M. ANNAEI LUCANI

# PHARSALIA.

M. ANNAEI LUCANI

# PHARSALIA.

CUM COMMENTARIO CRITICO EDIDIT

C. M. FRANCKEN.

ADIECTA SUNT SPECIMINA PHOTOTYPICA ASHBURNHAMENSIS,
MONTEPESSULANI, VOSSIANI PRIMI.

Vol. I continens libros I—V.



LUGDUNI BATAVORUM
APUD A. W. SIJTHOFF.

# PRAEFATIO.

Superiore saeculo ineunte magna incessit philologos cupido Lucani edendi. Decesserat (1681) qui Pharsaliae editionem cogitaverat [1]) Nic. Heinsius, quo nemo magis (absit invidia) naturam et ingenium poetarum Latinorum in se recepit. Eius collationes et notulas quasdam nactus Petrus Burmannus thesaurum tanquam draco custodivit. Erat [2]) „editio Lucani a Sebastiano Gryphio „anno 1542 curata, ad cuius oram variantes plus quinque et „viginti codicum lectiones, et simul, quae inter legendum et „conferendum ipsi natae fuisse videntur, coniecturas suas Vir „illustris adleverat'' (sic). Eas emendationes per sexaginta annos latuisse (Burmanniana tot annis post Heinsii decessum prodiit aº 1740) dolendum est; magis est quod doleas, unquam Burmannum Lucani edendi consilium cepisse, quod Bentleius eo ab edendi Lucani proposito revocatus est; sic enim vulgo creditur: noluit aemulus esse Petri Burmanni Ricardus Bentleius. Testatur Bentleii nepos, qui anno 1760 eius notas in Lucanum edidit: „ilico Bentleius, inquit [3]), ut ipsum Burmannum in eodem opere „iamdiu laborasse sensit, manus retinuit, ne in messem viri „amici falcem porrexisse videretur''. Satis mire „in messem'', quae nondum maturuerat, nisi vero futura praemia laudis et lucri cogitet. Res quomodo se habuerit apparet ex Praefatione Bur-

[1]) Cf. „P. Burmannus jr., de vita Heinsii'' ad a. 1660, p. 41.
[2]) Burmannus Praef. ad Lucanum p. 2.
[3]) Praef. ad editionem q. i. M. Annaei Lucani Pharsalia cum notis H. Grotii et R. Bentleii, Strawburryhill, 1760, 4º. Altera editio prodiit Glasguae 1816, 8º.

manni et epistolis Bentleii [1]). Is anno 1722 in manibus habebat et proxima hieme erat editurus Lucanum, quo consilio in epistola eo anno ad Burmannum scripta, a Wordsworthо edita rogat, ut sibi mittat „codicem Heinsii" [2]), suspicatus eum „ut in Silio „Drakenborchio, sic in Lucano sibi multum profuturum." Non obtinuit. Et tamen duobus annis post (1724) amicum suum compellat epistola, quae etiamnunc exstat (l. l.), ut typographum quendam Lugduni quaerat et privilegium procuret Ordinum Hollandiae. Apparet non de Heinsio frustratum desiderium, non Burmanni recusationem, sed defectum typographi, qui sumtus optatos suppeditaret, impedimento fuisse. Simul Bentleius petebat ab amico ut si quid ad Lucanum utile haberet, sibi traderet. Burmannus noluit recusare, noluit tradere. Itaque suum ait consilium esse edendi poetam, dudum susceptum; et facile credimus, nam quem poetam Burmannus non cogitabat edere? Non tamen exspectabat „amicum" propterea a consilio destiturum. Vir astutus, ut sibi videtur „mediam quandam viam" invenit: cum iamiam editio Britanni esset proditura, ne cogeretur obloqui amico, constituit, praevertere eius editionem „acuti quidem, sed „saepius infelicis et nimis temerarii critici." Iamque circumspiciebat typographum cum nuntiatur Bentleium „proiecisse aut certe distulisse editionem." Proiecit et distulit suam Burmannus: abiecit Bentleius, non quod Heinsium aut Burmannum desperaret se posse superare, sed propter emolumentum non satis certum et plures competitores, Burmannum et alios.

Erant eo tempore duo iuvenes, qui eandem provinciam suscipere avebant: Franciscus Oudendorpius et Gottlieb Cortius (Kortte), prior Burmanni alumnus et Scholae Harlemensis Rector, alter in universitate Lipsiensi inde ab anno 1726 per aliquot annos Iuris Professor et Burmanno per commercium epistolarum notus. Utriusque, ut notum, et Burmanni exstant editiones. Oudendorpii Lucanus prodiit a° 1728 cum notis ipsius et anti-

---

[1]) A Wordsworthо editis, cf. Hauptii Opuscula vol. III p. 101 et 107.

[2]) Exstabat codex Heinsii, de quo vid. Notitia Codicum infra scripta. Sed sine dubio rumor ad eum venerat de emendationibus Heinsii.

quiorum; Cortius ut praeverteret aemulum suum „Harlemensem ludimagistrum" [1]) ampliores annotationes premens parvam emisit editionem Lipsiae 1726 ($8^0$ min. 351 pagg. „Pharsalia — recensuit et plurimis locis emendavit G. Cortius"). Burmanni editio prodiit in 4° a° 1740. Ex his sine dubio optima est Oudendorpiana, etiamnunc utilissima propter largum apparatum antiquiorum interpretum et materiae prudentem dispositionem, Burmanniana pluris esset facienda, si vel sola Heinsiana, quae continet, spei susceptae magis responderent; sanam rationem et copiam lectionis in Burmanno non desideramus, sed loquacitas non compensat in emendando iudicium saepe vacillans, et temere iactatas coniecturas, quas paulo post revocat ipse, nec tamen delet. Accedit in his omnibus saeculo commune vitium, quod ne Bentleius quidem, si Lucanum edidisset, fuit evitaturus, nempe quod numerabantur codices potius quam ponderabantur, aut nimium tribuebatur iis libris quos casus editori obtulisset; sic factum videmus in annotatis Bentleii, sic ab Hugone Grotio, quamquam hic, dum Parisiis moratur, meliores nactus est [2]), sin fortuna adversa eum Parisios non duxisset, illos non consuluisset. Gravius etiam est, quod numero codicum subinde obruimur. Post Bersmannum Professorem Lipsiensem, qui suas et Pulmanni collationes editioni a se paratae a° 1589 adiecit, nemo Lucanum typis exprimendum curavit, quin calculum quendam adiecerit aedificio perficiendo, suique officii esse putarit memorare quid octo Pulmanni, quid Remensis, quid Estensis, quid Veneta, quid quatuor Lipsienses, et nescio qui praeterea contineant; quo saepius repetitur Lucanus, eo magis increscit cumulus, qui ne poetae tumulus fiat verendum est; augetur numerus codicum apud Cortium sub-

---

[1]) Opprobria in Oudendorpium effundere non lassum Cortium (cf. in Cortio-Weberiana I. XXX) Nemesis assecuta est, iam statim per Burmannum, mox per alios usque ad hanc aetatem.

[2]) Grotius utitur Thuaneis duobus, Parisinis, aliis; tenui indicio unus Parisinus Grotii cognoscitur esse Regius. Ad I. 681 Grotius: „multo melius in M. S. P. *quod* tela". Secundum le Jay (Lucani liber primus, Paris. 1894) *quod* habet Q, qui est Par. 7900 = 5073 sive Regius Oudend. (cf. Oud. p. †††) et noster. Alibi vero *Parisinus* Grotii non convenit cum Regio. Ultra librum I editio Doct. le Jay non processit. Ex I 566, 602, 695 nihil amplius efficitur. Habuit Grotius ex Bibl. Regia MSS duos „alterum antiquiorem, alterum manu recentiore", librum Fr. Thuani, denique „alium non minus veterem" Puteanorum. Vid. Grotii Praef. ed. 2ae et Oudend. p .****.

inde ad quadraginta et amplius, ex quibus nullus probe collatus. Chartae parcam, sed conferat mihi aliquis, quae Cortius ad I. 633 congessit. Non tam inepte ostentator fuit aut Grotius aut Bentleius, sed tamen, si qua lectio blandiebatur, arripiebant securi de eius origine, si modo e libro MS. non admodum perverso prodisset; Heinsius quoque propter numerum MSS, quos inspexisset, laudatur. Sed addamus saeculi propriam virtutem. Veteres illi excellebant lectione varia et multiplici, unde ad quemvis nodum extricandum nubem exemplorum paratam habemus, nobis quorum aures et animi occupantur saepe rebus et iudiciis ab antiquitate alienissimis, operose lexica sunt componenda ad singulos auctores, ut indigentiae nostrae subveniamus, interim studium antiquitatis labefactatur et circumspicienda sunt fulcra ne corruat, idque sedulo facimus. Sed ut redeam in viam, manebant diu veteris vestigia moris et admiratio molis indigestae.

C. F. Weberus medio paene saeculo nostro sibi beatissimus videbatur quod Cortii ampliores annotationes pretio impenso sibi paravisset et edere posset. Nam ut audivit [1] „Cortii commen„tarium cistae vili inditum pulvere obsitum tineisque perforatum „necopinate repertum esse'', „ego, inquit, ilico equum conscen„dere, Zwiccaviam Ciza, ubi tunc commorabar, cursu citato „vehi, omnia et Cortii et Martyni-Lagunae [2]) emere''. Atque haec facta sunt anno huius saeculi vicesimo sexto. Et Martyni-Laguna critica facultate non superabat Cortium [3]). Dolendum est quod Weberus illas copias invenit; melius operam collocasset in edendo poeta quam commentatore. Nunc constitit ea in praeviis quaestionibus enodandis, veluti de versibus spuriis

---

[1]) Praef. editionis Cortio-Weberianae p. iv.

[2]) Scilicet Martyni Laguna, Heynii discipulus, reliquerat Cortiana a se emta, eiusque heredes aegre Webero ea concedebant Cortii praeter praeviam illam editionem a. 1726 nihil etiamtum prodierat.

[3]) Bibliographus erat melior et quantum video multo diligentior et certe modestior quam Cortius. Eius epistola ad Heynium a. 1795 data accuratum conspectum continet editionum Lucani saeculo XVI antiquiorum, exstat in Cortio-Weberiana II pag. 531—564. Codicum vetustorum collationes, quas M. Laguna enumerat ed. laud. p. 529, (partim) flammis interierunt cf. l. l. I p. XXXV. Vid. II p. 529 et 566 notae Weberi.

(Weberianae II. p. 377—614) et de antiquis Vitis poetae, deque eius extrema voce et de duplici Pharsaliae Lucaneae exordio (programmata Marburgensia a. 1856—1860). Nec ad poetam ipsum emendandum novi quidquam adhibuit praeter quatuor Lipsiensium collationem, qua in universum, cum locus singulis libris non assignetur, quem in congerie MSS. tenere debeant, confusio augetur potius quam clara accenditur lux; annotationem ad singulos versus edidit Grotii, Bentleii, nostratis, sed parum noti E. de Clercq van Jever, velitis in re critica admodum temerarii („Spec. selectarum Observationum in Pharsaliam, novae editionis prodromus" et „spec. alterum", LB. 1772) et sic instructam editionem suam (distinguendam a Cortio-Weberiana) emisit Lipsiae a. 1821—1831 tribus voll., quorum tertium continet scholia undecunque congesta cum designatione codicum 150 quos passim adhibuit. Quid huic scholiorum editioni desit, intellegent quibus egregia cura ab Usenero in Commento Bernensi posita nota est. [1])

Bentleii opera non processit ultra librum V [2]), Heinsius nihil ipse edidit, itaque ex triumviris illis nobilissimis Grotio, N. Heinsio, Bentleio solus restabat Grotius, cuius recensionem usque ad haec tempora posteri sequerentur; nec ex antiquis philologis ullus magis aptus erat constituendo fide dignum contextum. Scilicet Grotius minime iactator ingenii non recepit correctiones temerarias, et emendationes fere non tentavit nisi codices ab eo inspecti suspitionem moverent nec sprevit quae prima specie insolentia in tradita lectione viderentur [3]).

Ex Heinsianis ad Lucanum notulis multa interiisse creditum

---

[1]) Non potest non desultoria opera esse, quam ad hanc turbam adhibuit. Tamen fundamenti loco, inquit p. VII inf., servire possunt codices Bernensis secundus et Wallersteinensis". Hoc quidem recte.

[2]) Nempe quatenus ad editionem erat parata; nam in reliquis quoque passim quaedam adscripta inveniuntur. Iam ad V$^{um}$ librum multo pauciores sunt annotationes quam ad superiores.

[3]) Sic *complosas manus* probavit II 292. Prima editio Grotii LB. prodiit a. 1614, secunda et tertia a. 1625 et 1639, postquam in exilium missus Parisiis nova subsidia nactus est. Optima est secunda; notae autem in minoribus editionibus Elzevierianis, Farnabiana (Amst. 1714 in 12°), Schreveliana (LB. 1658 8° min.) fere permixtae; separavit Gronovius.

est. Ego pauca interiisse puto nec magnopere desideranda. Tres sunt quasi fontes cognoscendi curam Heinsianam in Lucano positam, sed non aeque limpidi. Primo loco Cortius contendit se quasdam habere marginales notas Heinsii, sed in priore editione eaedem notulae plus semel dicuntur *Viri Docti* quae in altera *Heinsii*, unde apparet Cortio ipsi de re parum constitisse. Nec mirum frustra in Bibliothecis Hamburgensi et Berolinensi has notas quaesitas esse. In omnium manibus sunt (de his altero loco dicendum) „N. Heinsii Adversariorum libri IV", Franekerae a° 1742 a P. Burmanno iuniore in 4° editi, qui continent egregia ad Lucanum. Tertio loco commemoranda supra ab initio iam descripta editio Gryphii, quae re vera interiit. Sed continuit praeter lectiones 25 codicum, quos Burmannus Praef. pag. paenultima enumerat, etiamnunc cognitos plerosque, et quorum varietatem Burmannus commentario suo inseruit, in margine adscriptas suspitiones Heinsii admodum diversi pretii, quas omnes Burmannus in suam annotationem recepit, etsi sunt sine dubio inventa subitanea et ab Heinsio prelo non destinata. Continent ramenta auri, sed multa etiam magno viri nomine indigna, nec comparanda cum iis, quae vir magnus, in Adversariis postea editis, ad communem notitiam praeparata reliquit. Et tamen de his tacet Burmannus. Num, ut voluit parcere scilicet pygmaeus Burmannus Bentleio, sic Heinsio, cuius audaciam in Adversariis scribendis non nimis probaret? An cum ederet Lucanum Adversaria in manibus non habebat? Utut est, non magnopere ea curavit. Adversaria, si voluisset, potuisset conferre. Narrat Burmannus iunior se, dum Leidae studiorum causa versatur, a patruo Adversariorum partem describendam accepisse et a° 1737 [1]) sibi curam edendi omnia esse impositam, tribus igitur annis ante Lucani editionem; potuit sane, si valde cuperet, ab affine suo quandocunque vellet Adversaria recuperare Burmannus [2]).

---

[1]) Cf. Praef. ad Adversaria p. ** 2 versa.

[2]) Burmannus iunior, qui noverat Adversaria ab haeredibus Heinsianis Goesiis Cruciisque, 50 demum post Heinsii mortem annis, nempe a° 1730 patruo suo tradita esse, miratur, unde Broukhusius post Tibullum suum (1708) iam duo priora capita libri IV Adversariorum exprimere potuerit, cum certe a Burmanno non acceperit. Praef. Adv. p. ** 3. Contra est; accepit a Burmanno et hic a

Post Burmanni editionem (1740) saeculum et amplius praeteriit sine fructu quod ad criticam poetae tractationem attinet. Nam Bentleii opera, quae a. 1760 prodiit, multo ante erat perfecta et expectationem eruditorum fefellit. Bentleio certe res non ita successit atque in Horatio, non quo ingenium eius defecerit, sed cum in usu auctoris subinde erret (veluti in continuatione negationis, in iunctura membrorum per *que — et*, in repetitione eiusdem vocabuli post breve intervallum, quam igni et ferro expellit), tum ad corrigendum se accingit sine necessitate et probabilitate palaeographica; porro codicibus paucis, quos in manibus habebat, non optimos, his igitur ducibus utitur nimis fidenter.

Carolum Hermannum Weise piget cum Bentleio consociare; sed is ante saeculum quod dixi post Burmannianam exactum, a° 1835 „ad meliorum librorum fidem'' ut inscribitur, Lucanum „recensuit scholiisque interpretatus est et indicem adiecit''. Duos habebat scilicet „libros'' Argentinensem cum Sulpitii notis anni 1509 et Petri Aeolici „ante annum forte 1494''. Oudendorpium reprehendit, quod tam paucas bonas memorabilesque lectiones receperit (p. xix), ipse tamen (nec per se iniuria) tenax traditi, interpres potius quam criticus; absque eo esset, non Haskinsius in egregia editione hunc e vestigio secutus esset; cuius editionis, etsi contextum Weisii sequitur et ad corrigenda poetae verba parum confert, tamen hoc loco vel propter elegantem versionem, qua obscura saepe illustrat et Heitlandi doctum introitum mentio non erat omittenda („M. Annaei Lucani Pharsalia edited with English notes by C. E. Haskins, M. A. Fellow and classical Lecturer of St. Johns College, Cambridge. With an introduction by W. E. Heitland, M. A. Fellow and Tutor of St. J. Coll. Cambr., London 1887'').

Qui primus recta via institit disciplinae Ritschelianae alumnus fuit: Guil. Steinhart, dissertatione „de emendatione Lucani'',

---

Crucio. Hoc nunc apparet ex epistolis J. Broukhusii editis a Doct. I. A. Worp progr. Gymn. Gron. 1893/94 ep. XCI p. 136. Crucius, heres Heinsii, commodasse videtur Burmanno, ea condicione ut ne publici iuris faceret quidquam nisi se (Crucio) permittente, cf. p. 121 et passim. Post a. 1730 vero licuit edere.

Bonnae edita a. 1854, quem, antequam telam susceptam pertexere posset, exstinctum esse, magis etiam dolendum esset, si chartulas eius oblivio pressisset. Steinhartus sano iudicio omissis deterioribus codicibus contulerat Vossianos 1 et 2 (V et U) et Montepessulanum (M), ex quibus alterum Vossianum primo longe praeferebat, Montepessulanum et his et aliis, quos novisset, iudicabat superiorem. USENERUS, qui proposuit specimen editionis recte instituendae („Lucani pugnae Pharsalicae narratio Phars. VII. 385—711, ex H. Grotii recensione cum commentario critico, Gryphiae 1863"), his addidit Bernensem n⁰ 45 (B) collatum a Pfandero, saec. X ineuntis et lectiones Commenti (C) a se postea (1869) editi. Idem suppeditavit Dielsio (Seneca und Lucan, Berol. Verlag der Königl. Akad. der Wiss. 1886, p. 33, sqq., in quo Phars. X v. 194—331 editi sunt) lectiones Gemblacensis s. Bruxellensis 5330/2 et Vossiani 3, quos ipse contulit.

Hunc apparatum (nempe MVU a Steinharto, B a Pfandero, CG ab Usenero collatos) auxit Hosius („M. A. Lucani de bello Civili libri decem. G. Steinharti aliorumque copiis usus ed. Car. Hosius. Lips. Teubner 1892") selecta varietate Berolinensis et Cassellani denique Italorum trium quos partim inspexit, qui paucis locis profuerunt et raro commemorantur.

Steinhartus [1]) et Usenerus quanta cum cura libros suos contulerint mihi saepe apparuit eosdem cum illis codices aliquamdiu exploranti. Et de Hosio post trium annorum usum locupletior testis quam cum aº 1893 (Philol. Woch. 1893 p. 300) eius libri censuram dedi, affirmo quod olim testatus sum; eius editio studiis Lucaneis bonum fundamentum egregia ἀκριβείᾳ compositum offert. Si quis tamen ea editione satisfactum putat postulatis omnibus, et fuit qui crederet, valde errat, — nisi forte nulli lectores sint, qui amplius scire cupiant quam quid in MSS. tradatur, et ab editore, qui se insinuavit in mentem et sermonem auctoris obscuris locis cognoscere velint, num se ludat imbecillitas sua, an taciturnitas editoris, an mendum non correctum.

---

[1]) De Steinharto raro dubitavi; si quod discrimen erat notabile inter nostras collationes, utramque dedi. Saepius in notulis criticis M et m confunduntur, quod pro certo affirmare possem exemplis e libro VI, si tanti esset. Meae collationes iam factae erant antequam Steinhartianae prodierunt.

Ut par erat, ultra textum constituendum editio Teubneriana non procedit. Multis locis Pharsaliae mens poetae paene divinanda est et oboritur dubitatio, utrum poeta an librarii in culpa sint, an denique nos lectores, quibus proprietas saeculi Neroniani non satis sit familiaris; variaeque interpretationes tentandae, si forte ad aperiendam mentem poetae clavem offerant et verbis opem criticam efflagitare visis lucem offundant; saepe admoto loco parallelo eatenus tenebrae pelluntur, ut credere possimus verba eius poetae nos tenere, qui a novis et abstrusis non alienus et admodum in nexu sententiarum dissolutus est, qui invectivis et sententiosis gaudet, in quibus vehemens animi affectio sensa mentis saepe effundit et iuxta ponit sine apto vinculo, qui denique omnino trita deserit sic, ut paulo difficilius sit consuetudinis grammaticae ratione habita huic discrimen inter fas et nefas constituere. Ut, si solus auctorem legis ad coniciendum mentem tum demum advertes, si sententia nulla aut inepta te moveat, sic si quid communi eruditorum opera peragitur, proposita aut tentata enarratio probe explorata necessitatem emendationis demonstrabit, aut revocabit ab inutili correctione; etsi ante omnia exigitur pura traditi contextus species, tamen qui succedit editor hoc suscipere et profiteri existimatur, ut edat quae intellegi possint et sanatione non egeant iam, nisi diserte lectorem admoneat.

Restabat igitur post diplomaticam editionem, quae (iure suo) Harpocrate est taciturnior alia desideranda, quae, quantum eius fieri posset, aut recepta defenderet et excusaret e necessitate, et lectionem traditam contra aliorum dubia vindicaret aut emendationem tentaret. Breve ut faciam, commentarius criticus utile supplementum diplomaticae editionis nunc erat futurus, simul ut ex inventis Grotii, Heinsii, Bentleii, aliorum caute optima quaeque reciperentur, et ex eorum ingeniis aliquod lucrum in verba poetae redundaret.

Non igitur esse mihi videbatur cur operam anno h. s. 91 susceptam, quae huic desiderio posset respondere, post Hosii editionem de manibus ponerem. Scilicet ultra textus constitutionem mihi procedere semper proposueram. In quo ne mihi accideret, quod

Clercquio, Webero, Steinharto, Genthio aliis, ut operi suscepto succumberem aut defatigarer non perfecto, contrahenda vela esse existimaram, cum praesertim non iuvenis, ut illi, telam exordirer. Itaque in notis libris MSS fere [1]) mihi subsistendum esse putavi. Scilicet pauci sunt veteres poetae, qui tot exemplaribus proditi sunt, quot Lucanus, quos si velit quis omnes excutere, Herculeum laborem suscipiat cum exigua spe successus.

---

Libros MSS. a superioribus adhibitos editoribus Weberus enumerat 79 [2]). Manitius ex catalogis vetustis amplius octoginta [3]), quibus addendi primum codices saeculo XIV et XV scripti, deinde pars Italicorum, quorum duos tantum continent Manitii catalogi, cum multo plures sint. Ex sola Vaticana A. Mau V. C. in notitia MS. mecum communicata 28 recenset [4]); Florentiae, Neapoli, Venetiae, Paduae amplius 20 vidit Clar. J. v. d. Vliet [5]). Ex his, quos numerum 150 fere explere apparet, unum alterumque codicem, nondum collatum, diligentius exploratum aliquid profuturum Lucano, non est desperandum, sed ea spes tam est exigua, ut studium emendandi Lucanum ex bonis libris adhuc notis nemo prudens propterea differre debeat.

Libri, quibus usus sum, sunt:

Ashburnhamensis (A) Parisiis in bibl. publ. Nouv. Acq. Lat. 1626 (Libri 28); nunc primum contulit diligenter a me rogatus Dr. M. A. Kreling. — Continet 145 folia, in quibus 34$^{um}$ bis numeratur.

---

1) Ashburnhamensis, Daventriensis et excerpta ex RT accesserunt.

2) Praef. editionis Cortio-Web. I. p. xx—xxvii.

3) Manitius, philologisches aus alten Bibliotheken (bis 1300), R. Mus. N. F. XLVII Ergänzhft (1892) p. 54 sqq.

4) Ex Palat. N° 1678—1687: X, ex Urbin. I (656), ex Ottobon. 1192, 1210, 1497, 1712, 1803, 1881, 1951, 2007, 2872: IX, ex Regin. 1543, 1554, 1634, 1802, 1879, 2069, 2070, 2080: VIII. Summa XXVIII.

5) Cui magnas gratias debeo, quod in itinere Italico, sua causa iam valde occupatus, non destitit Lucani codices anquirere et breviter describere. Codices sunt Florentiae codex bibl. Riccardianae 546 fol. L. IV. 12, alter bibl. Magliabecchianae „Cod. chart. saec. XV" Catalogus. Neapoli Catal. bibl. Lat. p. 160 sqq.; IV. E. 26 sqq. CCXXVI—CCXXXVI undecim codices. Venetiae Marciana cod. CCCCLII—CCCCLIV; catalogi supplem. vol. II cl. XII, cod. XXXIII—XXXV, cl. XII cod. CXXXIV, CCXXIV, octo codices. Paduae n. 601 (cont. librum I—V), et bibl. S. Antonii I n. 13. Summa XXIII.

Singulae paginae continent 27—30 versus. Forma 270 (269) × 191 (190) mm. Margines sunt 40 (41) mm. Folia 144 et 145 saec. XII addita. Fol. 1[v] syngrapham quandam continuisse videtur, in qua Delisle V. C. agnovit inter alia haec verba: „anno XII regnante Karulo rege''. Ipse Lucanus incipit fol. 2 post versiculos aliquot de vita Lucani paene evanidos (aliunde notos) saec. XI aut XII scriptos. Inscriptio: m annei lucani belli civilis liber i incipit, in fine libri: m annei lucani belli civilis liber i explicit. incipit liber ii feliciter. Et sic post reliquos quoque libros, interdum omissis verbis *belli civilis*. Iudice V. C. Delisle Codex est saeculi IX, de quo omne dubium praecisum tabula phototypica a me huic editioni addita. Cf. Mnemosyne N. S. XIX p. 19. Una manu aequabili et eleganti scriptus est, nam quod fol. 63 sq. et 96 sq. elegantior conspicitur littera, maiori diligentiae scribentis debetur denuo opus resumentis. Varietas lectionis, in margine adscripta adiuncto signo quodam supra verbum poetae repetito, est saec. XII. Paulo recentior manus in textu litteras quasdam correxit aut verbum supra scripsit. Sic l. VIII. 859 secundam manum *Sertori* correxit haec recentior addita *i*. Scholia sunt pauca et exigua nec ullius momenti.

Statim huic subiungo Bernensem (B) N 45 collatum roganti Usenero ab E. Pfander et iterum a° 1890 ab Hosio inspectum. Est saec. X. Mire cum A consentit, ita ut in discrepantia codicum A et M stet a partibus codicis A. Sic V 580 AB *inverso*, M *inversa*, 691 AB *quod mittere*, M *committere*, 771 AB *praestare*, M *praebere*, 811 AB *tectas*, M *tactas* aut *tacitas*, VI 32 AB *metatur*, M *metitur*, 51 AB *et*, M *en*, 65 AB *medio*, M *mediae*, 101 $AB_1$ *manent*, M *iacent*, 118 AB *castris*, M *claustris*, 128 AB *ad*, M *in*, 144 $AB_1$ *implere*, M *in plebe*, 189 AB *premit*, M *petit*, 200 AB *torta*, M *portae*, 207 omittit M, habent versum AB, 206 AB *eligit*, M *ilicit*, 208 *getulus* A et fortasse B qui in rasura habet: *sic lybicus*, ut est in M, 264 AB *claustra*, M *castra*, 401 AB *terrenumque novas*, M *terrenum ignotas*, 582 AB *compressas*, M *conspersas*, 585 AB *avellere*, M *avertere*. Haec omnia tam ad amussim conveniunt, ut alterum ex altero libro descriptum esse appareat. Antiquiorem esse A etiam ex III. 167, 168 efficitur, ubi versus in A prima manu omissos et in margine positos contextui inserit B, sed alieno loco: hoc

ordine 165, 167, 168, 166. Liber, quem B exscripsit, habebat 167, 168 in margine. Contra si qui librarius Bernensem exscriberet, non versus 167, sq. e contextu removeret.

Montepessulanus (M) olim Buherianus a possessore Buherio, cuius arma cum aliis picturis initio libri et in fine cernuntur (cf. Mnemosyne XIX p. 16, sq.) nunc asservatur Montepessuli in bibliotheca Scholae Medicae sub numero H N 113. Forma est 321 × 212 mm. Constat ex duabus partibus quarum prior complectitur libros I—VI altera VII—X. Quaterniones habet 14, folia 108. Inscribitur: liber s. martini hednensis. Saeculi X esse satis constat, etsi externa indicia temporis desunt. Cf. imago phototypica adiecta [1]).

In singulis paginis sunt versus 38, raro 36 aut 37; si forte 39us adest, manus est diversae et in fine paginae additus post scriptos reliquos. Alia manu scriptam esse alteram partem (lib. VII—X) apparet e forma litterae A aperta (Langobardica) et j caudatae pro i. Porro ultimas paginas inde ab 106r alius scripsit. Plures manus in libro emendando occupatae fuerunt. „Prima manus „non admodum perita fuit, innumeris locis male vocabula divisit „et male legit, subinde quoque spatium vacuum reliquit explen- „dum. Mendas ab eo commissas erasis prioribus, itemque lacu- „nas illas sustulit coaevus librarius, tam peritus legendi quam „correctionis faciendae et occultandae; subinde tamen vel per „rasuram apparent primae litterae. Facile autem agnoscitur illa „manus atramenti colore. Nusquam apparet eum librarium ex „alio exemplo correctiones petivisse, quam quod prior usurpas- „set” cf. Mnem. XIX a. 1891 p. 17, sq. Conveniunt cum his quae ex Steinharti schedis postea edita sunt. Qui quod saepius quam mihi contigit deletam lectionem invenit, explicandum esse puto e meliore condicione libri, quo tempore Steinhartus multis ante me annis eum contulit; nunc multis locis mera divinatio est constituere quid praeter primam cuiusque verbi litteram lateat; chymico adiumento uti mihi non licuit, cuius olim adhibiti vestigia hic illic mihi in asperitate chartae pergamenae et

---

[1]) Scholion marginale in pagina adiecta: „Qm̄ ipsis victoribus non ē cu(ra) interfectos sepelire”. Prius scriptum erat: ipsi victores. Supra scriptum b. = bus.

confusis litteris deprehendere visus sum. Utique non facile est locum afferre qui ex primum erasa sed rursus revocata lectione sit emendatus. Latent sub illis correctionibus mendae stupidi librarii, cuius peccata Hosius Praef. p. VIII—IX acervatim collegit, ex quibus apparet, librum unde M descriptus est, habuisse vocabula uno tenore scripta sine interstitio et capitales aut unciales habuisse litteras.

Liber fuit notus Heinsio, qui eo antiquiorem Lucani codicem se vidisse nullum dicebat, et Oudendorpio, qui selectam ex eo varietatem habuit; tum, ut dixi, Steinhartus eum diligenter contulit et, ut opinor, H. Genthe, qui a° 1868 scholia ex eo (sane exilia) edidit (progr. des Gymn. z. grauen Kloster, Berol. 1868). Intercedentibus Curatoribus Universitatis Rheno-Traiectinae V. A., et Legato Gallico Viro nobilissimo qui Hagae commoratur, contigit mihi ut librum pretiosum per aliquot hebdomades domi meae consulere possem. Steinhartus librum descripsit in: „Symbola Philologorum Bonnensium in honorem Fr. Ritschelii collecta Lips. 1864—'67" p. 287—300.

Erlangensis (E). Hunc codicem contulit et descripsit A. Genthe in diss. Jenensi a° 1894. Notatus est num. 304. Forma est 265 × 184 mm. Scriptus saec. X continet praeter alia Lucanum totum exceptis verss. X 376 usque ad fin., quos manus XV saec. supplevit. Duo librarii pari diligentia scripserunt. Constat foliis membranaceis 147 (17 quatern.); singulae paginae habent 28, raro 29 versus. Cum Hosii editione contulit G. l. l. p. 31—63. Pauca singularia habet E, et admodum similis est libris AB et M, non tamen est exscriptus neque ex AB, neque ex M; locis illis supra memoratis librorum V et VI, ubi discordant A et M, Erlangensis 9<sup>es</sup> cum M, 17<sup>es</sup> cum AB consentit, nempe cum M: V. 691 *committere* ubi A *quod mittere*, VI. 65 *mediae* contra *medio* A, VI. 101 *iacent* contra A *manent*, 144 *in plebe*, ubi *implere* A ex *implebe* manifesto natum, VI. 157 *nos* contra A *non*, VI. 189 *petit* contra *premit* A, VI. 200 *portae* (*porte*) contra A *torta*, VI. 393 *sidere* contra A *silide*, VI. 401 *ignotas* contra A *que navas* (*novas* P[n]). His igitur locis apparet E non natum esse ex AB; nec magis ex M prodisse ex sequentibus conficitur, ubi contra

M Erlangensis cum AB consentit: V. 206 *furorum* — *furoris* M, 518 *inverso* — *inversa* M, 771 *praestare* — *praebere* M, 811 *tectas* — *tactas* (*tacitas*) M, VI. 32 *metatur* — *metitur* M, VI. 41 *tesqua* (*tescua*) — *testa* M, VI. 51 *et* — *en* M, VI. 81 *pabula* — *pabula* (*gramina*) M, VI. 100 *perempta* — *cadentum* M, VI. 118 *castris* — *claustris* M, VI. 128 *ad* — *in* M, VI. 207 adest versus — deest in M, VI. 208 *Getulus* — *sic Lybicus* M, VI. 264 *claustra* — *castra* M, VI. 532 *compressos* (*conspersos* m 2) — *conspersos* M, VI. 585 *avellere* — *avertere* M, VI. 746 *excussa* — *concussa*.

Cum igitur ex nullo huius classis (ABM) codice sit exscriptus E et tamen in plerisque ac paene omnibus cum iis concordet, sequitur eum ex communi fonte ductum esse. Idque ita esse apparet etiam ex omissione versuum, de quibus infra agetur.

Ad unam classem, ut dixi, referendi ABME. Pertinuit ad eam quoque contextus, hodie perditus, ad quem Scholia Bernensia scripta sunt, quae vulgo Commentum Bernense (C) dicuntur. Non iustum illud commentarium multo minus perpetuum esse facile apparet; nam cum expositione paulo ampliore singulorum locorum habet quoque *scholia* brevia et glossemata, quae sine verbis auctoris imperfecta sunt et speciem habent interlinearium aut marginalium notarum. Videtur igitur ex codice quodam Pharsaliae exscriptum Commentum. Lemmata adsunt, sed ea saepe aliam continent lectionem quam illa est, qua interpretatio nititur [1]). Probabile igitur est Lucani quendam cultorem contextu omisso, quo pertineret, annotationem cum glossematis transscripsisse et ex suo codice lemmata postea supplevisse. Lemmata habent auctoritatem cuiusvis codicis saec. X ineuntis, explicatio longe maiorem, continet enim saepe vetusti cuiusdam interpretis testimonium. Fundus scholiorum Bernensium pertinet ad tempus, quo Livius etiam integer exstabat et Sallustii Historiae, et ex iis hausit interpres primitivus, ut mihi videtur, largius quam fit in forma scholiorum nunc exstante, quae, ut solet, testimonia continent in breve contracta. Useneri editio sic inscribitur: *M. Annaei Lucani Com-*

---

[1]) Scholia adscribebantur ex alio subinde codice, ut ad Aeschylum scholia Medicea, potissimum ad Choephoros. In Cassellano quoque omnia scholia alia manu manifesto aliquanto post textum scripta, et sine dubio in aliis quoque codd.

*menta Bernensia edidit Hermannus Usener Lips.* 1869 8⁰ 338 pag. Continet „Commenta" cod. Bernensis litt. 370 saec. X. Praeter „Commenta" exstant in eo codice (vid. Usener p. VIII) *Adnotationes*, quae conveniunt cum Scholiis Vossianis; haec Usenero contulit ex parte Pluygersius, ut *Adnotationes* correctius ederet [1]. — Ut distinguerentur scholia et lemmata, illa littera *C*, haec minuscula littera *c* notavi, varietatem adscripsi, quae mihi Commentum perlegenti certa et alicuius momenti videbatur. Omisi memorare ea in quibus laudandis C cum textu tradito conveniebat, quibus Hosius auxit „Testimonia".

Ut appareat discrimen lectionis lemmata inter et scholia, quod subinde obtinet, cf. II. 397 (p. 76 18 Us.) *nulloque a*]*n.qua*, VII. 451 *astra Thyestes*] *a. Thyestae*, V. 543 *deducta*] *diducta*, X. 199 *meditantur*] *moderantur*, X. 245 *fluctu*] *flatu*. Ceterum alia quoque sunt ad Lucanum commenta sine textu adscripto, sic Manitius R. Mus. l. l. ex Catal. Bibl. Tegernseensis saec. XI N 6 affert „Commentum in Lucanum" et ex Catal. Corbeiensi saec. XII, N 330 „Vacca in Lucanum". Bibliotheca Florentina continet Catal. p. 20 n. 264 codicem Ashburnhamensem „Lucani" in quo textu omisso commentarius perpetuus in poetam scriptus est [2].

Quatuor libri ABME poterunt una littera, veluti $\mu$ significari. Ego varietatem ex A totam dedi, quoniam adhuc non erat nota, ex B qui plane convenit cum A, et E qui pauca singularia habet, selectam.

Vossianus secundus (U). Codex Voss. Latinus in Folio N⁰. 63, 129 foliorum, 305 × 195 mm. Quaterniones XVI, ex quibus primus habet septem, quintus decimus novem folia, sed agglutinatum est folium unum, in quo praeter alia est Vita Lucani:

---

[1]) Cf. etiam „H. Genthe über die in den Comm. Bern. angegebenen Varianten des Pharsaliatextes", Hermes VI. 214 sqq. (Berol. 1872). — Scholia Vossiana etiamnunc suum editorem exspectant. Legi dum conferebam codices VU omnia, et raro inveni quod ad emendationem posset adhiberi. Maiorem partem edidit in commentario suo Oudendorpius, Weberus vol. III omnia, sed cum aliis permixta et confusa habet.

[2]) Refert Vlietius de hoc: Cod. chart. XV saec. in fol. min. Catal. p. 20 n. 264. Non continet textum sed commentarium perpet. cum lemmatis, folia 145. In fine Deo gratias, Amen. Expletum die X April. 1475 in villa Valdagny.

„Lucanus iste Hispanus genere", rell. Cf. Weber, progr. Marburg. a. 1859 p. 2, Mnemosyne XVI (1888) p. 394. In summa pagina praeterea leguntur verba: „fluminis in morem" i. e. v. 5 epigrammatis metrici apud Oudend. p. ****3, Hosium p. 337. Altera pagina vacua est.

Scriptus est saec. X. Duae manus discernuntur satis similes inter se, veluti fol. 81$^{v}$, 89$^{r}$. Saepe erasa sunt verba, et in litura correcta prima manu. Subinde etiam prima manus spatium vacuum reliquit, quod altera suppleret. Factum hoc ubi prima exemplar suum non potuerat legere, sive quod id non nimis perspicuum esset, sive quod ipsius peritia dignoscendi non admodum magna esset, utique nihil hinc efficiendum de sinceritate loci, rasurae enim aut 2$^{ae}$ manus supplementa locis etiam minime suspectis inveniuntur; quare non semper rasuram notavi, nisi forte primae manus vestigia apparerent.

Variae lectiones (t) frequenter adscriptae saepissime ex altera familia (V) ut contra ex U inveniuntur in V. Harum ut par est, nulla ratio habetur, ubi agitur de origine et affinitate codicum, et primitiva forma librorum consideranda est, nam hae variae lectiones sunt postea adscriptae, saepius manu secunda.

Scholiorum minimum tres manus sunt, cf. e. g. fol. 105 et 68. Ceterum apud Weberum subinde confusa sunt scholia primi et secundi Vossiani, quod Oudendorpio etiam accidit. De scholiis cf. Mnemosyne l. l.

Codex est sine dubio ex optimis. Sed textus per multas librariorum successiones transmissus traxit aliquid alieni, dum M (i. e. M prima aut aequali manu correctus, nam innumera continet menda) primitivam lectionem constantius tenuit. Sic meliorem quam U lectionem praebet M: I. 58 [*in*] *medio*, 89 *medio*, 101 *mare*, 202 *nunc*, 246 *deriguere*, 350 *neque*, 404 *limite*, 419 *late*, 427 *latio*, 470 *inrupitque*, 529 *cometen*, 579 *auris*, 600 *cybelen*, 608 *numen*, 615 *dirum*, 633 *viscera*. U recte 37 *ipsa*, 305 *valido*, 326 *scelerum*, 335 *descendere*, 481 *hunc*, 584 *de more*, 588 *errantis*, 606 *fulminis*.

Sic libro quoque II U recte: 69 *victor*, 156 *dissiluit*, 165 *tam*, 299 *iubet*, 346 *comitem*, 348 *relinquo*, 402 *illinc*, 404 *spargit*, quibus locis M praebet minus recta, plerumque menda librarii.

Usurpavit librum iam Oudendorpius et alii, in primis G. Steinhart de emend. Lucani, p. 4 sq., quae tamen non nimis perspicua sunt, nec quae de deletis 2 m. versibus in pagina ultimis refert omni ex parte recte se habent. De librariis operam sic inter se partitis „ut singuli fere singulorum librorum partes conscriberent" (si intellego recte) credet nemo.

Vossianus primus (V). Cod. Voss. Latinus in Q° N 51 (videatur adiecta imago phototypica), 163 foliorum, forma: 180 × 260 mm. Praeposita est vita: „Corduba me genuit", rell. (v. 5 *fulminis* corr. in *fluminis*, 6 *vero*). Reliqua pars paginae continet litteris perparvis et partim evanidis ea quae sunt apud Weberum III. p. 3 „Intentio Lucani dissuadere civile bellum et hoc propter „duas causas, scilicet propter nefaria infortunia", rell. (ap. Web. v. 16 partim similia). Sequitur historiae narratio: „legitur olim „Romae fuisse plures dignitates" .... „Pompeius, Caesar et „Crassus fuerunt dictatores", rell., quae narratio continuatur usque ad mortem Antonii et Cleopatrae (omissa a Webero, cf. eius nota), deinde scholia quaedam ad primos versus. In fine codicis f° 162ᵛ et 163ʳ glossarium est Latino-Teutonicum, de quo refert Holder in folio inserto. F° 163ᵛ modi musici sunt, cantus sacer. Cf. Mnemosyne N. S. XVI (1888) p. 392, sq. Fasciculi sunt (paene omnes quaterniones) 21, paginae singulae habent versus 25. Saeculi est X et paulo vetustior quam U. Scholia, quae Voss. 1 ampliora habet quam Voss. 2, secundum Steinhartum l. l. p. 14 et Weberum III. p. XV, fons sunt commenti Vossiani alterius. Eius rei documentum vid. Mnem. l. l. Scilicet ad I. 188 V vocabulum medio aevo valde usurpatum *banda* (= copiae) bis posuit, quod inepte correxit Voss. B ut Caesar dicatur cum *blandis* et *blandissimis* Romam redire. Scholia autem supparis aetatis cum contextu videntur.

Hunc codicem J. F. Gronovius laudat his verbis „codicem qui aut raro aut numquam impetit", et Heinsius illum ad instar omnium reliquorum esse putabat. Vossius ipse hunc suorum optimum putabat. Nunc post Steinhartum intentae sunt hominum doctorum mentes magis in U M, quibus maior auctoritas adscribitur, et prae iis, ut fit, minus Vossianus V celebratur, tamen

sua laude non caret, Hosius librum „tanta cura descriptum „dicit, ut quod librarii socordiae imputes mendum vix detegas — „et textus integritate membranis omnibus quas priores adsci- „verant, longe antecellit" (Praef. p. V, sq.) eumque Steinhartus de emend. Lucani p. 14, nitidissime et accuratissime scriptum testatur. Mea sententia est haec: si Vossianum B (U) et codd. μ non haberemus admodum nobis gratularemur, quod tam sincerum haberemus testem. Nam est optime scriptus nec temerariae correctionis nec studio a librario factae interpolationis vestigia continet. Accedit quod raro aut numquam versus omittit [1]). Cur *interpolatum* dicat Hosius p. V, non perspicuum. Scilicet si versus de quorum auctoritate ambigitur (in μ extra contextum positos), omnes proscribas, defendi potest, his in V in ordinem receptis, sed id falso fieri hodie satis constat. *Emendatum* hunc a librariis codicem dum iudicat et *correctorum* manus passum, varias lectiones nota librarii l notatas et supra scriptas intellegit [2]); id sane pretium codicis non minuit. Raro admodum fit, omissa quavis nota (l aut ·/.), ut explicationem an variam lectionem voluerit librarius dubius haereas.

Ut exemplo appareat quomodo res se habeat, percurram librum VI. Triginta fere locis veram aut probabilem lectionem continet contra U, ex quibus dimidia pars (17) cum M consentit. Cf. 16 *quamque* (fort. recte), 35 *domus* — *domos*, 65 *mediis* cum M — *mediae*, *rabidum* — *rapidum* (Pelorum), 82 *attrivit* — *obtrivit*, 101 *dum* cum M — *cum*, 121 *impulsi valli* (— *impulso vallo*), quod non invenit hic librarius, sed manifesto *impulsu valli* cum GRT eius exemplum habebat, 135 *immissae* cum M — *emissae*, 136 *rec*$^{u}$*ondite* — *retundite*, illud solus V, 189 *premit* (*moles*) — *petit*, 196 *levibusque* — *levibusve*, 197 *perditis* cum M — *editis*, 237 *trementem* cum M — *prementem*, 256 *nudum* cum M — *nudo*, 301 *legum* cum M — *regum*, 312 *malorum* — *laborum*, 317 *suo hortatu* cum M — *sui hortati*, 402 *thessalicae* cum M — *thessaliae*, 411 *cum* cum M —

---

[1]) I. 436—440 (cum omnibus MSS) IV. 78, 251, V. $321^{a}$ (U), VI. 207, VII. 257, 258, 747, 820—822, VIII. 124, IX. 494, 497 omnino 18 versus in octo millibus (Voss. 2. om. 41 v.).

[2]) Cf. nota 2) ap. Hosium l. l.

*tunc,* 425 *pythia* cum M — *cynthia,* 448 *avocat* cum M — *advocat,* 466 *praeducunt cum* M — *producunt,* 505 *cantu* cum M — *caelo,* 520 *fulgura* cum AB — *fulmina,* 521 *segetis* cum M — *messis,* 559 *gelidis* (?) cum Rg — *calidis,* 604 *vulgatae* cum M — *vulgato,* 647 *factum* cum M — *facto,* 652 *illuc* (sic) cum M — *illic,* 714 *descendentem* (vulgo) — *descendisse,* 734 *custos* cum M — *cunctis,* 778 *tacitae* (vulgo) — *tactae,* 810 *abluat* cum M — *adluat.*

Maioris etiam momenti est pravas lectiones recensere. Statim v. 24 *clausa profundo undique praecipiti scopulis revomentibus* (*remov.*) *aequor,* V: *undique et illisu* (sc. undarum) *scop.* non est huius librarii correctio, sed sine dubio ab eo in exemplo inventum, ceteroquin alteram quoque lectionem memoraret; 78 *invisaque* — *iniussaque* vulgari confusione, 137 „*vomit* agger ad ictus" — *gemit,* illud ex *movet,* ut opinor natum, utique falsum, sed non a librario inventum, 161 *incursu* cum palimps. N — *inpulsu,* 166 *cornu* — *cantu,* 1ª m. suppositis punctis correctum, 177 *dissecat* — *dissipat* (cerebrum), ex *disicit* glossa iam ante V corruptum, 200 *torta* — *portae,* vitium iam in ABC exstat (*portae* verum), 211 *extraque* — *citraque* corr., 214 *venit* pro *manu* est glossa ad *tenditur,* prox. versu punctis suppositis errorem suum correxit 1ª m., sic etiam 224 *prodiderat* punctis corr. in *perdiderat,* 232 *non egeo* mala correctio ex *non eget,* 292 *obsessum* — *obseptum* corr., 295 *erigit* — *egerit,* mala correctio an oscitatio scribentis, incertum, 313 *exciri* male sed melius quam *exire,* 328 *ac* cum GR — *ah,* ib. *ullo* — *isto,* correctio mala, 330 *convertit* — *conduxit* (*iter*) corr., 337 *rapidi* corr. in *rabidi,* 361 *occasu* — *occasus,* neglegentia, 427 „noscere *fibris* fata" — *fibra,* 432 *voverat* — *noverat,* U *moverat,* 453 *addictus* — *adductus* mendum, 473 *abscissa* — *abscisa,* 504 *inferret* — *insereret* corr., 508 *minimae* — *nimiae,* vulgaris confusio, 549 „nervo *morsu* retinente" (cum C b) — „n. *morsus* retinente", corr., 580 *iam* — *tam,* 581 *polluto* — *pollutos* (sequitur: *cantu*), 650 *admittere* (cum M) — *emittere,* 653 *descendit ad* — *descenderit,* neutrum recte, 683 *durum* — *dirum,* 683 *imbuit* (cum g) — *inspuit* corr., *herbas* — *herbis,* 710 *si quisquam* (*quam* in ras.) (cum g) — *s. q. qui,* 741 *et quae* — *quae te,* 759 *nam* — *iam* mendum.

Apparet in his fere 40 lectionibus, si separes ea, quae in aliis quoque codd. inveniuntur vitia, item, quae ex incuria legentis

natae sunt confusiones vulgares, admodum pauca esse quae certo correctiones (i. e. consulto ex ingenio factae mutationes) dici queant, nec hae ipsae maiore cum evidentia possunt huic librario ipsi quam eius exemplo adscribi. Hic si quid corrigit, vulgo nihil delet sed punctis subscriptis vitiosa indicat, correctionem supra scribit, quae sic se facile prodit [1]. Correctiones mutatis litteris factas notavi septem (37, 73, 337, 465, 467, 675, 709), rasuras quinque (505, 507, 650, 664, 710). Ergo hunc codicem quare interpolatum aut correctum dicant, magis quam U et M (omitto varias lectiones cum nota l suprascripta) nulla causa est. Habet contra lectiones quasdam solitarias, quae minime ex ingenio scribentis nasci potuerunt, quae cum nihil explanent et ipsae obscurae sint, vestigia continent antiquae et subinde verae lectionis. Huc refero: *vomit* agger 107, *exciri* 313, quod ad veram me iudice lectionem *excidi* ducit, *dissecat* ex *disicit* 178, *impulsi* — *valli* (vulgo — *o*, — *o*) ex *impulsu valli* 123, denique vs. 24: „nam clausa profundo | undique et *illisu*, scopulis removentibus aequor" (*sc. remov. aeq.* in ras.) *illisu* sc. fluctuum, quod ducit ad veram lectionem *illisum* probatam palimpsesto R (cf. ad i. l.), contra „praecipiti" *μ*.

Sed quamvis huius librarii ipsius ecquae correctiones sint dubium sit, tamen manifesto traditae adsunt. In reliquis quoque huius stirpis libris. Scilicet haec quasi forma carminis non uno tempore *facta est*, sed aevo *crevit*, adsumtis in textum quae vulgaris consuetudo desiderabat et mutabat. Hic est, nisi fallor, adulteratus, ut fit, frequenti usu contextus vulgaris, quem homines vulgo antiquitus legebant, ut veram carminis speciem manu tenerent minus laborantes quam eam, quae posset intellegi. Quidquid est, id sane apparet, hunc codicem in iis quae propria habet antiqua traditione niti. Quae ex parte utique adscendere ad ipsius poetae exemplar saepius fortasse cum quadam varie-

---

[1]) Quanta ei sit religio in corrigendo hinc apparet, quod corruptas lectiones, ne meliore quidem supra scripta non delet; cf. 16, 18, 137 (vomit), 161 (recondite), 166 (cornu), 264 (venit), 224 (prodiderat), 351, 354 (sagittis, s. s. faretris 1ª manu), 365 (Euhenus, Euenus), 756. Saepius igitur punctatas habet quam deletas litteras (vid. infra).

tate descriptum, non est improbabile etsi demonstrari non potest, sed minorem etiam, me iudice speciem veri habet opinio, V cum affinibus, satis dissimilibus inter se, aliquanto post mortem auctoris ex uno archetypo prodisse, cum iam statim post mortem poetae ingenti studio divendita esse exemplaria et ubique sparsa, testimoniis Suetonii (in vita) et Martialis et ipsa rei natura constet. Multo minus etiam hunc archetypum, si fuerit, fuisse ex classe μ, ut huius lectionibus cognitis liceret Vossianum primum neglegere, constare potest.

Non necessarium duco hoc pluribus persequi; si verum est, ut mihi videtur, inutile est demonstrare non per se esse reiiciendas lectiones Vossiani. Non ut inconcussa maneat auctoritas mutilorum reiiciendus est Vossianus. Nullus codex exemptus est depravatione, ne antiquissimus quidem, et quo pluribus amanuensium successionibus traditur, eo maius corruptionis est periculum; ergo fieri potest, ut contra meliores subinde V verum servaverit; et reapse factum est. Uno exemplo defungar III. 348 (sumus parati)

sitientes lambere terram
et, desit si larga Ceres, tunc horrida cerni
foedaque *contingi* maculato *attingere* morsu.

Sic V; μ *m. corpora morsu.* Si res integra esset, et locus per se spectaretur, editores contenderent difficiliorem lectionem esse probabiliorem, quaerendum esse quid lateat in illo *corpora*, quod sic positum absurdum sit, sed tamen non temere spernendum; fortasse adderent parum probabile esse *contingi* et *attingere* iuxta posita esse. At nunc, cum constet fere de unica praestantia codicum μ, exempla colligunt unde defendant tam inficetam iuncturam [1]) et *corpora* illud tacite transmittunt [2]). Egregie Grotius viderat *corpora* exstitisse ex *carpere*, verbo aptissimo. Quis interpretationis causa *corpora* potuerit adscribere, non facile dictu est.

---

[1]) Mihi quidem non satisfaciunt: I. 45 tollitur offensio plena interpunctione: „quod tibi res acta est. Te cum statione peracta", rell.; VIII. 462 „transverso vertitur aestu" *transversus* habet definitam significationem a simplici sic diversam ut haec oblitteretur. Hosius l. l. 1893 p. 338.

[2]) „Hier hat also ein interpret gewirtschaftet". Hosius. Sane, sed non in V, sed in μ.

Sed, ut dixi, correctionibus pravis antiquis, ἀβλεψίας [1]) et oscitationis exemplis minime immunes sunt V et affines, velut in libro VI: 320 *convertit* pro *conduxit*, 504 *inferret* pro *insereret*, 559 *gelidis* pro *calidis*, 687 *primum* pro *multum*, 781 *aeternam* pro *infernam*, alia v. 453, 473. Plura exempla coacervare non opus est, quoniam hodie, quantum scio, non a quoquam in dubium vocatur. Id potissimum quaeritur, num V vestigia hic illic habeat antiquae veraeque lectionis, ad quam quaestionem affirmando respondendum. Demonstrabitur infra recensionem V esse saec. V vetustiorem, quam auctores palimpsesti Romani et Priscianus sequantur.

Daventriensis (D) pergamenus saec. XV, in Bibliotheca Daventriensi N⁰. 5399, 145 × 210 mm.; singulae paginae continent plerumque versus 31, raro 34 aut 30. Incipit: „M Anei Lucani „cordubensis pharsaliae liber primus", et sim. in fronte singularum paginarum. Continet Lucanum totum, etiam in U M E K omissos versus suspectos (de quibus infra), praeter I. 436—440, IV. 251 „et scelerum" —, VI. 152 „o famuli"—, VIII 124 „accipi"—, quos omittit. Duobus locis spurios versus addit aliunde notos (cf. Weber II p. 591 et 384), uno aliunde non cognitum, nempe ad VII. 174. Inde a libro VII scholia quaedam adscripta habet, quae edidi in Mnemosyne N. S. XVII p. 59—61. Scriptus est satis diligenter sed ab homine stupido, qui subinde ridicula vitia committit. Proxime accedit ad V, qui eosdem quoque versus omittit.

Bruxellensis olim Gemblacensis (G). Hunc a me rogatus diligenter contulit anno 1891 [2]) Doct. J. van Wageningen, cuius relationem infra posui. „Asservatur in Bibliotheca Regia Bruxellensi n⁰ 5330/2 in pergamena, folia 134 continens, mense Ianuario a.

---

[1]) Sic liceat appellare errorem eius qui non omnes litteras legit et ex conspectis male concludit de toto vocabulo, ut si quis ex *animus* neglectis *i* et *u* *amnis* legit. *Oscitatio* est eius qui e. g. tria vocabula legit sed antequam ea chartae mandavit, unius oblitus est, aut aliud vocabulum, inscius ipse, substituit. Scilicet per momentum temporis quamvis breve antequam ex stilo prodeant, memoria vocabula teneri debent; quod leve est — ei *qui hoc agit*.

[2]) Anno post prodiit Hosiana editio cum collatione Useneri, quae semper cum

1891 mihi officiose Groningam transmissus. Praeter Pharsaliam (fol. 1—131) insunt versus, ut feruntur, Vergilii de Est et Non Riese Anth. II. n⁹ 645, versus duodecim de *Υ* littera (inscriptio autem interiit) Riese Anth. II. 632, postremo versus Firmiani Lactantii de Faenice, quibus desunt v. 162—170 Riese Anth. II. 731. Cf. Claudianus ed. Jeep. III. 209—211, Baehr. III. XXVII. Codex nitide scriptus referendus ad saec. XII [1]) et integer praeter fol. 116, 131, 132, unde mediae partes avulsae sunt. In singulis paginis (exceptis iis in quibus versus in margine additi sunt) triceni bini versus. Margines oppleti sunt scholiis non parvi ducendis quae, quamvis Usenero nota (cf. Usener, comm. Praef. et index siglorum) tamen nusquam ab eo descripta sunt, nec cum ceteris scholiis congruunt.

Totum codicem una eademque manus exaravit, quae simul litterulis MINUTIS èt scholia in margine èt interpretationes variasque lectiones interlineares verbis „leg. et" indicatas addidisse videtur. Eadem manus postea, cum totus codex iam perscriptus esset, fortasse ex alio codice alias lectiones iisdem MAIORIBUS litteris, quibus ipsum carmen, scriptas, et sigillo l significatas ad versus apposuit, quo factum est ut hic illic interpretamenta illa variaeque lectiones vetustiores erasae sint et recentiores substitutae, aut hae supra illas positae, aut loco deficiente in marginem relegatae [2]). Praeter hanc primam manum etiam duae aliae distingui possunt, quarum una brevem argumenti expositionem dedit in margine libri I et II, atque fortasse uno duobusve locis in ipso textu aliquid addidit, aut

---

Wageningiana convenit. Cf. Usener Comm. p. VIIII, Diels Seneca u. Lucan p. 34. Uno loco neglexit Us. variam lectionem, quae Hosii lectionem potuisset confirmare: III. 555 *tardae*.

[1]) Vide Baehrens. Poetae L. M. III. p. 248, fallitur C. F. Weber, progr. Marb. 1859 p. 4, decimo aut nono saec. eum adscribens.

[2]) Sic *III.* 564 { l cupit / quia me sola regna reliquit / non privata cupis Romana.

VII. 761 { cassum vacuum. / caesumq₃.

IX. 356 leg. et *ripis* (quod paene evanuerat). Iterum maioribus litteris: *ripis*.

versum omissum adscripsit, altera vero nullius momenti est et lectores tantum de nominibus propriis et comparationibus monet. Multo minoris faciendae variae lectiones per *legitur et* quae absoluto codice scriptae per l notantur. — Ante librum I legitur inscriptio: M Annaei Lucani Belli Civilis incipit liber primus feliciter. GAIO SCHOLA[S]TICO BONO PRIMO MUSION." Haec v. Wageningen.

G numquam cum M facit contra VU, interdum cum U, frequenter cum V.

Memorabiles similitudines cum V: III. 235 *diverso*, rell. *diviso*, 341 *corpora* vid. supra, 511 *docuit* UG (rell. *decuit*) insana lectio, sed concentus eo memorabilior, *docuit* in utroque prima manus, correctio in U est rec. manus, 533 *recidunt* U ex corr. VG, rell. *recedunt*, 575 *conferta* VG [1]) — *conserta*, 600 *erumpere* VG — *erepere* [2]), 618 *conditus* VUG [3]) — *conditur*, 626 *puppim* VUG — *puppem*; IV. 104 *subiecta* VG, rell. *subtexta*, 186 *bellum* VG — *bello*, 283 *miscendi copia martis* VUG — *miscendae c. mortis*, 567 *cruoris* VBG — *cruorem*, 675 *destinat* VG — *detinet*, VII. 130 *et mors ventura est* VG — *mortis venturae.*

Sed hic concentus inter G et V minime est perpetuus.

Dissentiunt VG VII. 73 *lente* — *tarde*, 120 *clade* — *caede*, 185 *manebat* — *vocabat*, 210 *legentur* — *gerentur*, VI. 15 *litore* — *limite* (hoc recte), 76 *terrae* — *romae*, 200 *torta* — *portae* (cum M), 219 *ferrumque* — *telumque*, 237 *trementem* — *tenentem.*

Saepe G cum U consentit, nempe ubi U et V eandem lectionem praebent, raro ubi V dissentit, ut III 511 (v. s.) VII. 262 *culpam* UG, *culpas* V.

Locis adhuc allatis dissensus est ab M, nusquam paene adscriptam supra vides litteram M; AB etsi raro, tamen saepius cum VU et G facere apparet quam facit M, cf. III. 32, 525, 553, unde efficio AB, cum semel communem fontem ($\mu$) reliquissent, contagium deterioris familiae esse passos.

---

l conserta (1. m)
[1]) G conferta

l gyareus ir l irrūpere
[2]) U giare et repere. Ceterum h. l. etiam AB cum VG faciunt.

[3]) Ad G signum interrogandi apponit Hosius. G habet conditur, sed r prima manu mutata in s.

Porro apparet G non esse descriptum ex V, sed communem cum eo originem habere.

Quibus autem differt a V, plerumque non praestat. Sic VII. 73, 80, 185, 191 et alibi.

Quod nonnemo dixit G esse medium et quasi sequestrem inter M et V, adparet falsum esse. G nihil cum $\mu$ commune habet et pertinet manifesto ad stirpem V, cuius est propago mediocris.

Varia autem lectio g per l indicata, vulgo etsi minus recte m. 2 dicta, vicem praestat codicis et habet lectiones non contemnendas.

Sequantur hoc loco codices aliquot, quorum plenam collationem non habui, quos vel propterea nolui omittere quia non satis aut prorsus non cogniti essent. Debeo hos thesauro Universitatis Lugduno-Batavae.

In schedis Oudendorpianis Bibl. Lugduno-Batavae cod. N. 9 collatio invenitur facta a Dorvillio et Oudendorpio missa, qui sero accepit. Vid. huius Praefatio † † †. Inscribitur „Lucanus col- „latus cum Mto Regio TAURINENSI annorum circiter 500". Teste Dorvillio igitur referendus Taurinensis ad saec. XII. De eo I. C. d'Orville in epistola ad Oudendorpium: „Lucanus ad saec. XIII „referendus et fortasse ad XII, subita, tamen accurata contuli „manu". Optimae notae codicem appellat Oudendorpius. Frustra conatus sum perditum codicem investigare. Cf. Mnem. N. S. XXII p. 168, nota. Designavi: T. Deest collatio libri IX.

Melius, quamvis non tam plene quam vellem, notus est codex Parisinus, cuius collatio a Dorvillio facta et passim ab Oudendorpio usurpata est: REGIUS, olim bibl. Reg. N⁰ 5073 (vid. Oudend. p † † †), nunc Bibl. Publ. MSS. Latin. N⁰ 7900ª saec. X. In foliis 155, fol⁰ mai. continet Terentium, Horatium, Lucanum, Iuvenalem, Martianum Capellam. Fuit Claudii Puteani, ut apparet ex inscriptione. Lucanus explet folia 57—94. Scriptus est duabus columnis, quae singulae habent 48—58 versus, praeterquam libro IX, ubi non amplius 30 sunt. Desunt libri I versus 1—175. Referendum esse codicem ad stirpem V vel inde apparet, quod habet omnes versus, qui in $\mu$ desiderantur,

sed caret iis, qui in V omissi sunt; desunt nempe in VR (praeter I. 436—443): IV. 78, 251, VI. 207, VII. 257, 258, 747, IX. 87, 253, 254 (hi duo in V adsunt, sed linea subducta notati), 494. Codex merito ab Oudendorpio laudatus. Collatio Dorvillii facta est cum Grotiana.

Denique passim commemoravi Heinsianum codicem. Heinsii ipsius collatio exstat in Burmannianis in Bibl. L. B. Catalogi Burmann. in Quarto N$^0$. 13. Hac collatione usus est Burmannus in editione sua. Eum codicem significat, ubi de *uno Heinsii* refert, veluti VI. 80, 81 („Heinsii codex"), 100, III. 250, al. Sed saepe neglexit Heinsianum memorare, ubi de Richel., Thuan. pr., Hamb. $3_o$, Oisel. refert, veluti VI. 37, 108, 275, 309, 409, al. Saepius cum Vossiano 2 quam cum 1 facit. Pauca sunt, quae ex eo notavi, ne *lectio* notata a Burmanno Heins. cum *Heinsii emendatione* confunderetur.

Lipsiensis (L). „Codex est bibl. Urbanae Lipsiensis XL (Rep. I fol. 4) saec. XI; inde a folio 104$^a$ usque ad 163$^a$ Lucanum continet, binae per paginam columnae sunt, scriptura nitida." Ita Baehrensius, qui contulit librum I et II, cuius opera usus sum non magno cum fructu. Vid. editio Bipontina in bibl. Gron. γ. a. 107$^a$. Weberi est Lips. a. Cf. Vol. II. 440, III. 16.

---

Paulo accuratius agendum est de duobus *palimpsestis*, quorum notitiam debemus Detlefseno, Philologi XIII (1858) p. 313—357, XV. (1860) p. 526—538, XXVI (1867) p. 173—184. Horum prior Romanus (P$^R$) bibl. Palatinae N XXIV formae admodum minutae 157 × 110 (fere) mm. ante saec. V scriptus est. Cf. Mnem. XXII. (1894) p. 47. Singulae paginae vicenos versus habent, sed singulis versibus (margine in latitudinem absciso) aliquot litterae desunt, in folio recto a fine, in verso ab initio versuum. Litterae sunt pro palimpsesto satis parvae, fere 3 mm. in altum, admodum similes Bembino Terentii, paulo ta-

men antiquiore forma litterae U. In reliquis tanta est similitudo, ut codicem paulum Bembino praecedere, ipsum autem non attingere aetatem Ambrosiani Plautini et Ciceronis Taurinensis et Medicei Vergilii putem. Cf. imago phototypica in Mnem. l. l. Exstant duo foliorum paria sive 8 paginae, quae continent vicenos versus:

Fol. 1. VI. 21— 61 (omisso uno versu, 59)
Fol. 2. VI. 228—267
Fol. 3 et 4 VII 458—537 incl. (i. e. 80 versus in 4 paginis).

Hoc modo:

A (V fin. VI. 1—20)
B VI. 21—61 exstant
C (VI. 62—101)
D (VI. 102—141)
d (VI. 142—181)
c (VI. 182—221)
b VI. 221—267 exstant pro his 228—267
a (VI. 268—307)

Apparet post VI. 61 (incl.) usque ad 227 (incl.) adesse debere 166 versus. In palimpsesto erat spatium versibus 160 tantum sufficiens, nempe 4 folia × 40 versus. Unde sequitur in nostris codd. desiderari 6 versus. Cf. ad VI. 188. Num qui versus intercciderint inter Fol. 2 et 3 plane incertum. Cf. Mnem. l. l. Folium B habet 41 versus in schemate proposito, sed omissus est in palimpsesto v. 59.

Nullus fortasse palimpsestus tam mendosus exstat atque P^R, et tamen est magni ad crisin momenti, quoniam eo probatur stirpem V esse perantiquam et saec. V exstitisse; stirpis enim V lectiones habet P^R his locis: VI. 27 rapido cum VGU — rabido MAT, VI. 22 inlisū Vg, cum altera lectione *praecipiti* latet in „UNDIQUE - NEICUM-PRAECIPITI" (cf. Mnem. l. l. p. 53). Ib. 58 flexum cum Rg — μ flexus, 60 alea cum G — μ area, VII. 463, 462 hoc ordine cum VRGA, 478 inrupit cum VRTA — μ inrumpit, 503 sanguine cum VRg — μ caesare. Convenit cum his quod Priscianus IV. 131 *robore* habet cum P^R, ubi reliqui *vimine*, cf. Hosius N. Jahrb. 1893 p. 339 „dass das Zeitalter dieser Recension vor Priscian sicher stellt."

Quae Niebuhrius $a^{o}$ 1820 de hoc rescripto commentatus est (*Ciceronis Orat. fragmenta, Romae* 1820 cum imagine aeri incisa) hodie nullum usum praestant.

Alter palimpsestus est Vindobono-Neapolitanus $P^{v}$, Detlefsen Philol. XIII (1858) p. 313—357, XXVI p. 173—184. Discerptus est hic codex, eiusque pars (octo fol.) est Vindobonae, N 35 (olim 16), N° CCCXXII in Endlicheri catalogo, pars (notavi $P^{N}$, septem fol.) Neapoli notata IV. 4, 8. Partes hae olim erant splendidi libri Bobiensis, comparandi cum Palimpsesto Vatic. de Rep. Forma erat paene quadrata (380×350 mm.); marginibus tamen admodum latis spatium litteris tectum non maius erat quam 215 × 180 mm. Singulae paginae continebant non amplius 15 versus. De fatis libri Bobio oriundi copiose agit Detlefsenus. Endlicherus ad saec. V aut VI, Detlefsenus ad IV aut remotius etiam refert; sed specimen Philol. XV. p. 537 propositum ad iudicium non sufficit. Forma litterarum cum Verrinarum Reginensi (Wattenb.-Zang. IV, Chatelain XXXII) et Vergilii Vaticano (Watt.-Zang. XIII, Chatelain LXIII) convenit.

Singuli quaterniones continebant $30 \times 8 = 240$ versus; inde effici potest quot ab initio interierint; primus enim versus, qui superest, est V. 31, i. e. $3045^{us}$ carminis; hi versus, 3045 : 240, explebant $12\frac{7}{10}$ quaterniones, quibus si annumeres spatium inscriptionibus necessarium, habebis XIII Q. Ergo primus hodie servatus est XIV; hic et reliqui deinceps sic erant dispositi:

Q XIV A deest
- $B^{r}$ V. 31—45, $B^{v}$ V. 46—61 (deest v. 53 [1]) — $1^{um}$ fol. Vindob.
  - $C^{r}$ V. 62—76, $C^{v}$ V, 77—91 — $2^{um}$ fol. Vindob.
    - D deest
    - d deest
  - $c^{r}$ V. 152—166, $c^{v}$ V. 167—181 — 3. fol. Vindob.
- $b^{r}$ V. 182—196, $b^{v}$ V. 197—211 — 4. fol. Vindob.

a deest

---

[1]) Cf. ad V. 53.

Q XV A deest
B$^r$ V. 272—286, B$^v$ V. 287—301, 5. fol. Vindob.
C deest [1])
D$^r$ V. 331—345, D$^v$ V. 346—360, 1. fol. Neap.
d$^r$ V. 361—375, d$^v$ V. 376—390, 2. fol. Neap.
c deest
b deest
a deest

Q XVI ex hoc tantum
c$^r$ V. 631—645, c$^v$ V. 646—660, 3. fol. Neap.

Q XVII totus desideratur.

Q XVIII A deest
B$^r$ VI. 153—163, B$^v$ VI 168—178, 4 versus post 163 et
C deest [2]) [post 178 desunt, 4. fol. Neap.
D$^r$ VI. 215—229, D$^v$ VI. 230—244, 6. fol. Vind.
d$^r$ VI. 245—259, d$^v$ VI. 260—274, 7. fol. Vind.
c deest
b$^r$ VI. 305—319, b$^v$ VI. 320—334, 8. fol. Vind.
a deest

Q XIX A deest
B$^r$ VI. 395—409, B$^v$ VI. 410—424, 5. fol. Neap.
C deest
D deest
d „
c deest
b$^r$ VI. 545—561, b$^v$ VI. 562—576 [3]), 6. fol. Neap.
a deest

---

[1]) Continebat v. 302—330 (incl.) i. e. 29 versus; ergo unus versus nunc omissus est, cum folium vulgo habeat 30 v., cf. ad V. 321.

[2]) Continebat VI. 183—214 (incl.) i. e. 32 versus. Cum folium non amplius 30 versus capiat, duo erant omissi. Cf. ad VI. 188.

[3]) Ex fol. recto omissus est v. 556 *nec refugit* — et unus inter 547 et 550, inter quos spatium vacuum est unius versus, qui hodie legi non potest, sic:

547 *saepe etiam* —
spatium unius versus
550 *truncavitque* —

Cf. ad VI. 548.

Q XX superest unum folium

C r VI. 667—681 C v VI. 682—698, desunt 684, 685 — 7. fol. Neap.

Consensus nec cum μ nec cum V stirpe [1]) constans est:

Cum M (ABE):

| | | |
|---|---|---|
| V. | 279 *animam* galea | *animam* galeam ABM |
| | 372 tenet | tenet M(G) timet V(B) |
| | 383 honorem | honorem M(UE) honore V(AB) |
| VI. | 225 facie | facie M, rell. facies |
| | 330 condixit | condixit M, convertit V |

Cum V (aut O) contra M:

| | | |
|---|---|---|
| V. | 52 fama | famae M (Laur. Hosii), rell. fama |
| | 301 dimittere | dimittere V(G), demittere μ |
| VI. | 161 incursu | incursu V(BG), impulsu M(U) |
| | 182 iecit (O) | pergit M |
| | 263 nec (O) | non M |
| | 312 malorum (VBG) | laborum M |
| | 408 arva (GAm) | antra M [2]) cum rell. |

Vere igitur Hosius p. XVIII lectiones Bobiensis N ($P^{vn}$) inter duas classes vacillare dixit, sed quod addit „magis tamen ut Pauli „familiae accedant", non possum assentiri. Plures locos (non satis certos) in aciem proferre nolui, ne hariolari viderer.

Schedas Vindobonenses Eichenfeldus, Wiener Jahrb. XXVI supplem. p. 14 sqq. descripserat, qua descriptione nituntur omnia, quae Steinhartus in dissertatione Bonnae a° 1854 defensa de iis refert. Idem post Detlefseni disputationes (Philol. l. l.) in programmate gymn. Magdeburgensis a° 1860 edidit opusculum „de Lucani schedis rescriptis Vindobonensibus scripsit G. S."

---

Ad omnes codices pertinet quaestio de versibus aliquot controversis, qui in μ prima manu desunt, quare eam in hunc locum distuli. Sunt autem hi (secunda tabula VR, VDG etc. indicat codices V s. φ):

[1]) Praestaret hanc una quoque littera significare (ut μ designat MABE) e. g. φ. Vid. infra.

[2]) M non habet *arva* („ut videtur" Hos.), sed *antra* cum *al. arva* man. 3.

(I. 436—440 om. omnes qui exstant codd.)

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| III. | 167 egeritur / 168 pauperiorque | desunt in MAK, (in ER inter 165 et 166) | | | |
| IV. | 78 quamvis | deest in | MABEK | | VR |
| | 171 et fratres | „ | ME [1] | | |
| | 251 et scelerum | „ | MABEKU | | VDG |
| | 677^b semperque / 678^a — equo | „ | MEK | | R |
| V. | 795^b neuterque / 796^a — vale | „ | MABEK | | R |
| VI. | 152 o famuli — | „ | MABEK | | RGD |
| | 188 perdidit — | „ | MABEKU | | |
| | 207 par pelagi — | „ | M | U | VR |
| VII. | 90 sitque hominum | „ | MAB | | |
| | 103 si modo — | „ | MABEKU | | R |
| | 200 solis — | „ | MABEK | | |
| | 257 haec eadem — | „ | MABEKU | | V |
| | 258 reddat — | „ | MABEKU | | V |
| | 725 plurimaque — | „ | M | U | |
| | 747 inpulit — | „ | MK | U | V |
| | 796 fortunam — | „ | MK | U | |
| | 820 tu — / 821 quid — / 822 has — | „ | MK | U | VG |
| VIII. | 124 accipe — | „ | MABEKU | | RGD |
| IX. | 83 linquere | „ | MABK [2] | | RG |
| | 253 actum — / 254 indiga — | „ | MK | | RG |
| | 494 ulla nisi — | „ | MK | U | R |
| | 615 morsu — | „ | MABE | U | |
| | 664 a iove — | „ | MK | U | R |
| | 924 psyllorum | „ | M | U | |
| X. | 8 ne populus | „ | MK | U | G (R ante 7) |
| | 419 movit | „ | M | U | |

[1]) In AB post 177, sic R quoque.
[2]) EU post 79 ponunt.

Hoc indice non continentur versus in uno tantum libro librarii neglegentia omissi, qui non sunt pauci [1]).

Statim inspicienti apparet codices M et affines, plures aut pauciores, sed omnes aliquot versus omittere (13—31), in V et similibus multo minus deesse, (3—10). Praeter quinque codices, quos ea gratia accurate contuli (KVRGD) [2]) reliquos quoque e classe V maiorem partem horum versuum continere, eo probabile est, quod ubi defectum referunt veteres editores, fere prioris tantum classis (μ) codices memorantur.

Hoc si verum, apparet additamenta in φ (liceat sic V et affines appellare) non uni cuidam falsatori recentioris aevi adscribi posse sed stirpi esse communia, quam certe ad saec. V adscendere supra vidimus.

Si falsa sint, interpolator fontis omnibus communis satis est antiquus, si genuina, unde factum ut μ ea omiserit? Quaestio est impeditior, quod versus suspecti illi non omnes sunt eiusdem naturae. Sunt in iis ad nexum necessaria [3]), sunt superflua, alia Lucani ingenium ex ungue referunt [4]), alia novitia interpolatione non meliora, quamvis haec quoque saepe in molesta et artificiosa dictione scintillam Lucaneam possint continere. Haec me moverunt ut (Mnem. XVII 1890 p. 21) illam varietatem bonorum et malorum, utilium et superfluorum repeterem ex ipsius poetae exemplari. Post editos libros I—III poeta decessit, reliqui libri eo mortuo prodierunt [5]), nec probabile est *αὐτόγραφον* poetae a dilectissima uxore Polla Argentaria, quae non destitit viri memoriam colere et propagare (cf. Statius Silv. II. 7) esse deletum; contra cum insano studio Pharsaliae exemplaria divenderentur [6]), et aemulatio

---

[1]) In M fere triginta. II. 463, 464, 571, 723, 733, III. 146, 608, V. 810, VI. 816, VII. 154, 209, 484, 607, VIII. 375, IX. 86, 99, 100, 353, 485—487, 499 (664 K quoque om.) 805, X. 312, 313, 396[b], 397, 398[a]. In U numerus fere dimidius deest. Hic quoque apparet, quantum 1[a] manus in M incuria peccet, nam versus sunt omnes ii, quibus carere non possimus.

[2]) Regium ea causa mihi contulit optimus amicus M. A. Kreling.

[3]) VII. 725, IX. 615.

[4]) III. 167, 168, VII. 820—822, IX. 99.

[5]) Vacca in vita: (offendebat Neronem quod Orphea ediderat) „et *tres* libros quales videmus". Weber *ceteros*, refutatus fine eius vitae: „reliqui enim VII belli civilis libri" et „in iisdem dici — potest: „emendaturus, si licuisset erat". Cf. H. Genthe de M. Annaei Lucani vita et scriptis, Berol. 1859.

[6]) Suet. Vita p. 333 Hos., quem locum emendavi Mnem l. l. p. 20 „poemata

bibliopolas incitaret, ut complerentur exemplaria et emendarentur, si quae laborarent, saepius fontem, si non nimis limpidum, at solum sincerum esse consultum; sic quae scripserat poeta, et non satis clare delerat, etiam quae festinans variandi causa adscripserat, ut optio postea fieret, potuerunt cum prius scriptis simul edi [1]).

Verum non confundenda est quaestio de authentia versuum cum usu, quem praestant ad genera codicum constituenda. In omnibus enim nunc exploratis melioris familiae codicibus Montepessulano, Ashburnhamensi, Bernensi, Erlangensi, Vossiano secundo haec eadem omissio inventa notam praebet ad distinguendos codices, quae est in facto posita, nec a suo cuiusque iudicio saepe controverso pendet: in omnibus prioris classis defectus versuum superat longe, nempe tribus partibus alteram. Quocirca meliores codices *mutilos*, $\mu$ licebit dicere, quo nullum volo praeiudicium factum de natura illorum versuum, qui sane, si omnes uno ordine habere oporteat, deteriores dicendi sunt, tantum indicium et fundamentum divisionis, quod non fallat. Per $\mu$ autem indico archetypum melioris classis, codici M similem et tamen ab eo diversum; tota familia et codices inde orti $\mu$ a me dicuntur.

Receptum est, ut prior classis *Paulina* dicatur, de qua re hoc loco dicendum est, breviter omnino, nam non est gravissima, siquidem de nomine tantum agitur, de natura codicum controversia non est. Sed cum videam Genthium (minorem) [2]) pertina-

„eius etiam praelegi memini, confici vero ac proponi venalia non tantum operose „et diligenter sed et inepte quoque <ornata exempla>". Usener: „confici ac veno proponi". Sed minus aptum: *inepte propono*. Mart. XIV. 194 (Lucanus):

Sunt quidam qui me dicant non esse poetam,
Sed qui me vendit bibliopola putat.

[1]) Nolui hanc materiam nunc plenius persequi, de qua post Steinhartum (qui de uno M. agit Symb. Philol. Bonn. p. 287 sqq.), Weberum (vol. II. 572 sqq.), Kindlerum („de Luc. verss. qui desunt in M. et Voss. alt. Monast. 1882) copiose egi Mnem. XVIII (1890) p. 5—22. Praecipuum argumentum in quaestione de origine versuum suspectorum praebet ratio, qua Pharsalia prodiit, bipartito nempe. In priore parte, quam ipse poeta curavit lib. I—III, *uno* tantum loco III. 167, 168 omissio facta est, in altera *triciens* fere. Quod Clar. L. Jeep, quem in summa rei mecum sentire gaudeo, ex illo loco libri III dubium repetit, non mirum, at additamentum illud in codicillis poetae mortui (vid. Suet. in Vita, sub fin.) inventum videtur et cum plena editio prodiret, vulgatum. Cf. Bursians Jahresb. LXXXIV (1895) p. 112, sqq.

[2]) „De Lucani codice Erlangensi. Diss. Ienensis 1894" potissimum p. 7, qui,

citer pro Paulo suo pugnare, tanquam eius viri operae debeatur excellentia codicum, qui eius subscriptionem ferant, monendum tamen est, nihil de homine isto constare. Si probabilia sufficere debent, non rarum ingenium est quod codici codicibusve ab eo versatis dignitatem conciliet, sed magister aliquis aut clericus sub eo nomine latet. Etenim codicum subscriptiones, quae exstant ingenti numero, vix ullum nomen nobilis grammatici continent; illi subscriptores dum emendant, ut possunt („ut potui emendavi") et faciunt „operam conferente" familiari, qui alium codicem recitat, funguntur fere illo labore, quem nos in scholis (bureaux) magistratuum aut notariorum vocabulo *confronteeren* s. *collationeeren* designamus, et efficiunt genus hominum paulo librariis superius. Si quis Paulum praestitisse iis contendat, gaudeat Paulo suo, sin vero iustam recensionem ab eo factam credat et meliorem habitum contextus mutilorum ab eo repetat, is aut quid ad recensionem iustam requiratur nescit, aut nimis benigne de studio litterarum vetusto iudicat.

Pauli subscriptio haec est:

PAULUS CONSTANTINOPOLITANUS
EMENDAVI MANU MEA SOLUS·
MANNEI· LUCANI LIBER· (VII·) EXPL·
INCIPIT LIBER· (VIII·) FELICITER·
LEGENTI VITA· ET P̄FECTURA
SCRIPTORI VITA ET FORTUNA·
LEGE FELICITER·

Invenitur in codicibus Montepessulano (M), Vossiano 2 (U), Cassellano (K), Colbertino, et quidem his locis:

| | | | |
|---|---|---|---|
| in M post librum | | VIII, IX, | X. |
| in U „ „ | II, VII | | X. |
| in K „ „ | I | | |

---

ut lenissime dicam, non intellexit quae ego breviter dixeram, et iniuria queritur, quod ego argumentum nullum probabile attulerim, ut Paulinorum codicum praestantiam refellerem. Scilicet non perspicit aliud esse de persona Pauli pugnare, aliud reicere *codices a Paulo nominatos*. Insana postulatio est ut quis, qui PAULI peritiam non perspiciat, ad eum impugnandum refellat *lectiones* in codd., qui eius nomen ferant. An potest quisquam definire, quatenus se opera Paulina extenderit? Demonstrare possem Genthium minorem esse abusum iis quae ante sex annos breviter perstrinxi Mnem. XVIII pag. 22. Sed parcam chartae.

*Legenti*, sqq. desunt in U L. II, X; *legente* in U L. VII. In K inter argumentum libri II et librum ipsum addita est, manu paulo recentiore, eadem quae reliquis libris solita verba (*expl. lib..*, *inc. lib.*) addidit, hac breviore forma: PAULUS CSTANTINOPOLITANUS EM̄DAVI SOLUS [1]. Si Pauli opera ad omnes libros pertinuit, ut probabile est, eius mentio plerisque locis temere omissa est, non in archetypo $\mu$ sed a librariis codicum nostrorum; nam si in horum fonte neglegenter subscriptio esset omissa, carerent inde profecti codices post *eosdem* libros eius nomine. Non tamen inde effici potest, archetypum illud fuisse Paulo coaevum, eiusve autographon continuisse. Reliqua *legenti* etc. nullam admittunt coniecturam de Pauli aetate; *praefectura* quid sit incertum, innumeri sunt praefecti et quovis tempore. Certi nihil est quod impediat ne sit subscriptor codicis Miscellanei Parisini anni 674, ut opinatur Usenerus Rhein. Mus. XXIII. 497. — Reliqui codices huius familiae ABE *carent subscriptione.*

Difficilius est etiam aut plane nobis negatum definire quantum se Pauli opera extenderit, num distinctiones (interpunctionem) tantum posuerit [2], an vitia quaedam exilia, orthographica potissimum sustulerit; num codicem aliquem consuluerit, an ex ingenio rem egerit; in scholiis — nec valde mirum — nusquam eius nomen. Tantum quidem constat, hominem non exscripsisse Lucanum, nec credere licet, quodque Pharsaliae verbum stili Paulini acumen subiisse. Excludunt hoc verba ipsa, praecipue *solus*; qui scribit, solus id facit, sed bini vulgo emendabant, alter recitabat ex meliore codice, alter secundum recitata *menda* e suo tollebat; inde est quod Paulus gloriatur se „solum emendasse''. Non sane inde sequitur illum non habuisse, quem conferret, codicem. Sed talem *emendationem* aequiparare iustae recensioni, quae instituitur post curiosam optimorum librorum anquisitionem, ratione habita consuetudinis loquendi et sermonis, temerarium est. Nec, opinor plerique viri docti dissentient.

[1]) Diversa manus est ab ea, quae scholia scripsit. De Colbertino non possum accuratius referre; Cassellanum MS Poet. fol. 5 ut inspicere possem, factum est intercedente Bibliothecario Traiectino J. F. van Someren.

[2]) Sic Hosius p. XX. nota. Omnino facit mecum, dum dicit „unum [tantummodo] exemplum satis certum operae Paulinae'' exstare, ego nullum. Egi de eo exemplo (ordine versuum VII. 488—521) Mnem. XXII p. 167 sqq.

Si quaeratur quomodo Pauli textus cognoscatur, diversis modis potest responderi. Qui diserta testimonia desiderat, negabit ABE, utpote subscriptione carentes, esse Paulinos, proinde pauca illa, quibus M ab his distinguatur, sola innovationes esse Paulinas. Alii contra cum specie veri contendent, ea quibus U — sine dubio Paulinus — diversus sit ab affine suo M, Paulo non posse adscribi, quae supersint esse aut continere Paulina.


Cum igitur tot dubiis obnoxium sit, quid Paulus fecerit, quid non, eiusque manus nusquam evidenter possit monstrari, praestat aliam divisionis notam ad codicum stirpes constituendas adhibere. Volo defectum illum, quem supra significavi versuum aliquot; quem cur a Paulo repetam nescio. „Quae desunt, aberant sine dubio in codice utroque'' [1]) aut uno illo, quo Paulus usus est. Et mittere nunc praestat de versuum fide et authentia quaestionem; sunt utique antiquissimi.

Codices igitur divido in *mutilos* et *vulgares* (textum vulgo lectum); illos littera $\mu$, hos littera $\varphi$ significo; neque alteri ex alteris profecti esse videntur, imo ultima origo utriusque stirpis esse ipsius poetae *αὐτόγραφον* potest, post eius mortem editum et maiore minoreve cura et delectu (ex „duplicatis'') descriptum. Ut M ad $\mu$, ita V ad $\varphi$. Ceterum maiore numero codicum quam adhuc diligenter explorato, altera stirps in plures propagines scindi poterit, nam codicum $\varphi$ differentia inter se maior est quam alterorum. Duas stirpes mihi constituenti nunc simplicissima est delineatio. Vid. p. XXXVII.

---

In orthographia codices nec sibi ipsis, nec inter se constant, permixtis vetere ratione, quae ex inscriptionibus et antiquissimis libris satis nota est, et novicia, quae post Priscianum invaluit. Inutile videbatur, in Lectionis Varietatem sordes librariorum hoc in genere admittere, cum sui aevi rationem saepe veteri substi-

[1]) Verba quibus usus sum Mnem. XVIII (1890) p. 22. Quae porro ibi scripta sunt nunc, plenius exposita mea sententia, omitti possunt.




tuant; sed vestigia antiquae orthographiae, quae adhuc in codd. exstant notavi, *vel si conspirent cum lectione recepta.*

Palimpsestorum fragmenta, Romanum ($P^R$), et Vindobona-Neapolitanum ($P^v$) si maiora essent, normam scribendi constituere possent; sed sunt nimis exigua; accedit quod eorum auctores non sibi constant. Tamen receptam in hac editione orthographiam in universum confirmant, velut in his.

Post *u* consonam habent plerumque *o voltus* $P^v$ (quater), *volnus* (quinquies), *volt, volgus, volsit, laevom,* sed contra *saevum, aevum* (V. 61, 270) eademque inconstantia in $P^R$, ubi *vulsis* est VI. 232, *vultus* VII. 463, *vult* VII. 488; *antiquus* pro *anticus* aut *antiquos* $P^r$ V. 876;

adspiratio omissa in *umerus, oris* (pro *horis*) VI. 333 in $P^v$, *a pro* pro *ah proh*; *harena* semper.

In compositione cum praepositionibus veteres sequebantur compositorum originem, ut praepositio integra maneret; sed saeculo p. C. $1^0$ iam fuerunt qui putarent modum efferendi vocabula sive pronuntiationem esse exprimendam, sed non apparet rem plenum eventum habuisse. Cf. Kon. Akad. Letterk. R. III. 2 p. 344, sqq.

Quae inveniuntur exempla adhibitae assimilationis in Inscriptionibus etiam aevi Augustei contra multo maiorem numerum neglectae

non possunt regulam convellere. In palimpsestis Lucaneis invenimus tam *inpactae, inpellere, inpatiens, inpegit, inposuit, inmisit, inmensus, inrupit, inmittit* quam *imponere, imminet, impie, improba*; *inlabi* semel,

*con* — ante *l*: *conlatum, conlapsus, conlaudant,*

*con* — et *com* — ante *p*: *conpressit* et *compressus, conpressaque* P^r VI. 566 et *compressa, complere, comperit,*

*com* — ante *m*: *committere, commotus*; *comtentus* P^r VI. 33,

*sub* fere assimilatur: *summovere, suppressit*, *succurrit.*

Manifestum est non poetam sed librarios vacillare, dum inviti sequuntur morem loquendi i. e. assimilant. Accusativus in *is* frequentior multo quam in *es*; sic *crinis, silentis, merentis,* sed *obstantes* P^v V. 173.

*p* interponitur in *consumpsi, tempto, presumpto* (*praesumto* P^v VI. 418),

*s* non repetitur in *transcendam, extructus* (de quo iam Quinctilianus dubitabat), *exul, exulare.* Sed postrema sunt bonorum omnino codicum.

Vel in tanta depravatione, qualis est horum palimpsestorum (praecipue Romani), pellucet tamen statim orthographia quae fuerit poetae; nam si quibus in rebus dubitari potest, vincere debet antiquior ratio; nam librarii suae consuetudini obsequi solent et nova vetustis immiscere, non contra.

Non possum, dum hoc volumen publicae disquisitioni trado, quin gratum animum significem iis, qui mihi copias suppeditarunt. Veteri amico W. N. du Rieu in thesauris Bibliothecae Lugdunensis promendis nunc se adiunxit Doctissimus S. G. de Vries, quem paternae amicitiae memorem dicerem mihi officiose adstitisse, nisi scirem eum universorum studiis adiuvandis natum. Praefecti Bibliothecarum reliqui Vaticanae, Parisinae, Montepessulanae, Bruxellensis, Cassellanae, Taurinensis, Monasteriensis mihi aut amicis mea causa illos adeuntibus non defuerunt, Clarissimis Max Bonnet, Montepessulano, J. van der Vliet successori meo, J. C. Vollgraff Bruxellensi. Ashburnhamensem et Gemblacensem me rogante contulerunt Doctissimi M. A. Kreling Roterodamensis, J. van Wageningen Groninganus Prae-

ceptor, olim auditores mei. Quod „si mea paucis mendosa est'' editio, „causa fuit his'' cum Wageningeno, amicus J. van Leeuwen Professor Leidensis, qui quamvis multis negotiis districtus, lubenter tamen in se recepit, ut plagulas antequam prelo subicerentur, inspiceret, et benevolentiam diligentia aequavit.

Scr. Trai. ad Rhenum, M. Februario MDCCCLXXXXVI.

# OPUSCULA QUAE PASSIM VERBO IN ANNOTATIONE LAUDANTUR.

G. Baier, de Livio Lucani in carmine de bello civili auctore. Diss. Vratislaviensis 1874.

P. H. Damsté, Pharsalica, Mnemosyne, XVIII (1890) p. 342—352 et XIX p. 378—386.

H. Diels, Seneca und Lucan, Abhandl. der Berl. Akad., 1886. 4°.

J. Fick, Kritische und sprachliche Untersuchungen zu Lukan progr. Straubing 1890.

H. Genthe, de M. A. Lucani vita et scriptis diss. Berol. 1859.

——— Ueber die in den Commenta Bernensia angegebenen Varianten des Pharsaliatextes, Hermes VI. 214.

——— Scholia vetera in Lucanum. E cod. Montepessulano edidit H. G. Berol. 1868 (progr.).

Fr. Guyetus, Excerpta ex notulis a Fr. G. margini ed. Grot. adscriptis. Editio Oudend. p. 886—910. (De Guyeto cf. I. Uri Fr. Guyet d' après des documents inédits. Paris 1888).

W. E. Heitland, introduction (to Lucan) in Haskinsii editione, London 1887, p. I—CXXXI.

——— Classical Journal 1895 p. 190 sqq.

C. Hosius, Seneca und Lucan Jahn's Jahrb. 1892 S. 345, fgg.

——— zu den HSS. des Lucan, Jahn's Jahrb. 1893, S. 337—355.

A. Kindler, de Lucani versibus, qui desunt in codd. Montepessulano et Vossiano altero. Diss. Monasteriensis 1882.

J. E. Millard, Lucani sententia de diis et fato. Dissert. Traiect. 1891.

H. Muller, ad Scholia Lucani Bernensia in: Symbolae ad emendandos scriptores Latinos. Berol. 1876, 4°.

J. Obermeier, der Sprachgebrauch des M. A. Lucan, I. München 1886 (progr. des Maxim. Gymn.).

Fr. Ottl, Lucans philosophische Weltanschauung, Brixen 1888 (progr.).

A. Priem, de Lucani Pharsalia diss. Marb. 1859.

G. Steinhart, de emendatione Lucani, diss. Bonn. 1855.

——— de Lucani schedis rescriptis Vindobonensibus, Magdeburg 1860 (progr. gymn. Salzwedel) 4°.

——— de Lucani cod. Montepessulano in: Symbola Philologorum Bonn. Lips 1864—1867 p. 287—300.

Joa. Schmidt, de usu infinitivi ap. Lucanum, Val. Flaccum, Sil. Italicum, diss. Hallensis 1881.

# NOTAE CODICUM.

V Vossianus primus.
U „ secundus.
M Montepessulanus.
A Ashburnhamensis.
G Bruxellensis, olim Gemblacensis.
v, u, m, a, g varia lectio in iisdem codicibus a manu secunda.
$M_1$ primitiva lectio correcta in vulgatam, et sic $A_1$ $U_1$, rell.
O omnes supra memorati.
E Erlangensis.
B Bernensis.
D Daventriensis.
R Regius primus, Parisiensis Oudendorpii.
T Taurinensis d'Orvillii.
H Heinsianus, vid. pag. XXVI.
L Lipsiensis.
C Commentum Useneri.
c lemmata eius per interpretationem non firmata.
$P^v$ palimpsesti prioris folia Vindobonensia.
$P^n$ eiusdem folia Neapolitana.
$P^R$ palimpsestus Romanus.
$F^m$ fragmentum Monasteriense.
Prov. de libro Lucani proverbia (Rhein. Mus. 1891).
Litterae cursivae in var. lect. significant *in rasura posita.*
Ↄ : antisigma et . στιγμή praeposita sunt versibus eiusdem sententiae, antisigma dubiis propter repetitionem, στιγμή genuinis, cf. Suetonius p. 140 et 142 Reifferscheid.
Prisc. H, Prisc. II H = Prisc. II K, Prisc. III K.
Stht. Hos. Steinhart, Hosius.
Heins. Heinsii emendatio.
In lacunis designandis tot puncta posita, quot litterae omissae.

O. E. Schmidt, der Ausbruch des Bürgerkriegs im Jahre 49 v. C. Rhein. Mus. XLVI. (1892) S. 240 fgg.

A. Schaefer, Obss. crit. in M. A. Lucani Pharsaliam et P. Papinii Statii Silvas, diss. Monast. 1886.

N. J. Singels, de Lucani fontibus et fide, diss. Leidensis 1884.

P. V. Sormani, de Io. Schraderi vita et scriptis, diss. Groning. 1886, p. 46—92: Io. Schraderi emendationes autographae in Lucanum.

M. Souriau, de Deorum ministeriis in Pharsalia, thèse Paris 1885.

E. Trampe, de Lucani arte metrica, diss. Berol. 1884.

H. Usener, Lucani pugnae Pharsalicae narratio (Phars. VII. 385—711) ex Hug. Grotii rec. Lugd. Bat. a. 1626 edita, cum comm. Crit. Gryphiae 1863 typis Acad. 4°.

C. F. Weber, Vitae M. A. Lucani collectae a C. F. W. Particulae quatuor 4°. Progr. Marburgensia 1856—1858.

——— de suprema M. A. Lucani voce. Ad Tac. Ann. XV. 70. 4°. Progr. Marb. 1857.

——— de duplici Pharsaliae exordio, 4°. progr. Marb. 1860.

A. Zingerle, zu späteren Lateinischen Dichtern, IIs Heft S. 12—40 (zu Lucan, Silius, Martial).

## ADDENDUM AD I. 341.

„*Me* duce" Grotius cum Argentinensi. „*Mecum* duce" Thuan. 2. „Non cum duce" pro „sine duce" est moleste dictum et pugnat cum proximo versu.

In Var. Lect. scribendum: **341** cum duce OTL vulgo.

# M. ANNAEI LUCANI

# PHARSALIA.

## LIBER PRIMUS.

---

Bella per Emathios plus quam civilia campos
Iusque datum sceleri canimus, populumque potentem
In sua victrici conversum viscera dextra,
Cognatasque acies, et rupto foedere regni
Certatum totis concussi viribus orbis

VARIA LECTIO. „Civilis Belli libri" codd. veteres, „De Bello Civili" Hosius. PHARSALIAM carmen suum poeta inscribi voluit, IX. 985, coll. VI. 313 et I. 1, „Mannei Lucani civilis belli liber explicit", subscriptio X libri U, alibi V U omittunt inscriptionem veluti: Explicit liber scds. Incipit lib. tertius. M. Annei Lucani belli civilis liber primus incipit MABG; Vacca in vita: „ediderat et tres libros quales videmus" et paulo post: „reliqui enim VII belli civilis libri." Daventriensis saec. XV cum aliis recentioribus: „M. Añei Lucani cordubensis pharsaliae liber primus" et in fronte singularum pag.: pharsalia, in subscriptionibus: „M. Annei Lucani lib. ̇p̄mus explicit, incipit scs." et sic porro. Pharsaliae inscriptionem Veneta a. 1477, „Lucanus" sine additamento vetusti catalogi ante 1300 plerique, quinque e 70: belli civilis libri, vid. Manitius RM, NF. XLVII Bd. Ergänzhft 1892.

**1–7** Schol. Bern. (Comm.) ad 1: hos VII versus primos dicitur Seneca ex suo addidisse, ut quidam volunt avunculus Lucani, ut quidam volunt frater, ne videretur liber ex abrupto inchoare *quis furor*. Schol. V ad I: hos versus primos VII videtur Seneca addidisse, ut quidam volunt" Vita Lucani in U (non Suetonii nec Vaccae) cf. Mnem. N. S. XVI. 394: „libellos etiam suos inemendatos avunculo suo Senecae ut eos emendaret, tradidit, — Seneca autem, qui fuit avunculus eius, quia ex abrupto inchoabat hos VII versus addidit." Cf. scholia ad v. 8. Quae omnia chronologicis rationibus redarguuntur et communi errore de Lucani *avunculo* Seneca recentem originem produnt. Frustra C. T. Weber, de dupl. Pharsaliae exordio, Marb. 1860 traditionem ex parte defendere conatus est. Argumentum carminis his apte respondet (v. i.) cf. H. Genthe de Lucani vita Berol. 1859. Fronto, p. 157 b, Naber: „is (Annaeus) initio *carminis sui septem primis versibus* nihil aliud quam bella plus quam civilia interpraetatus est." **1–3** l. Beda VII. 245. 10 K; **1** b. p. Em. l. Marius Vict. VI. 108 K, [Censor.] VI. 616. 13 K; b. pl. q. civ. Fronto l. l., **2** iusque d. sc. l. Fronto, **3** in sua victr. conv. v. l. Fronto l. l., Prisc. 348. 2 H, **4** cognatasq. a,

ANNOTATIO EDITORIS. 1 Bella plus quam civilia, peiora, in quibus socer generum, cognati cognatos petiverant, VII. 463–466. Orosius II. 18, Gronov. Obs. IV. 5. — 2 sceleri libertatis extinctae VII. 433.

5 *Certatum*, participium pro substantivo abstracto Livio historico frequens, non alienum a Lucano, cf infra 70, Haskins ad h. l. Sine causa: „*ut* certatum" L. Paul, JJ, 1894 p. 409.

In commune nefas, infestisque obvia signis
Signa, pares aquilas et pila minantia pilis.
Quis furor, o cives, quae tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium praebere cruorem!
Cumque superba foret Babylon spolianda tropaeis
Ausoniis, umbraque erraret Crassus inulta,
Bella geri placuit nullos habitura triumphos!
Heu, quantum potuit terrae pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt sanguine dextrae,
Unde venit Titan, et nox ubi sidera condit,
Quaque dies medius flagrantibus aestuat auris
Et qua bruma rigens ac nescia vere remitti
Adstringit Scythicum glaciali frigore pontum!
Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes
Et gens si qua iacet nascenti conscia Nilo.
Tunc, si tantus amor belli tibi, Roma, nefandi,
Totum sub Latias leges cum miseris orbem,
In te verte manus: nondum tibi defuit hostis.
At nunc semirutis pendent quod maenia tectis
Urbibus Italiae, lapsisque ingentia muris
Saxa iacent, nulloque domus custode tenentur,

**6** in comm. n., infestisq. o. — pilis (7) l. Fronto l. l.; i. c. n. l. [Probus] IV. 225. 16; [que] G, add. g; signa Fronto, **7** signis Fronto, pares aq. et p. m. pilis l. Serv. ad Georg. I. 489 et Isidor. Or. XVIII. 3 et 7, 7 l. Isidonius XVIII. 3. 2, iterum XVIII. 7. 9, **8** C: „quis — lic. ferri" hoc Lucanus principium fecerat, sed Seneca praeposuit superiores versus." Glossae in Colbertino et aliis apud Oudend.: huc usque Seneca, modo Lucanus" *Vid. supra ad v. 1.* — 8 tanta insania Prisc. II. 153. 13 H: *tanta lic. ferri* V, **10** tropheis UvA, tropeis VM, 10—12 l. Beda VII 245 13 K, **11** umbra. inulte Acro ad Hor. C I. 2. 51, **13** terrae potuit, *hoc ordine* O, **15** u. v. T. l. [Probus] IV. 224. 20 K, unde — horis (16) Lact. ad Stat Theb. I. 157. 15 l. Isid Orig. I. 17. 3, **16** oris Lact., horis O vulgo, **18** scythicum glaciali V (nisi quod schyth. habet) U (li ex corr.) A m, Scythico glacialem M G, astringit U G c, **19** s. i. i. s. l. Probus IV. 27. 21, Marius Plotius IV. 478. 165. Serv. Georg. II. 122,.. sit Araxes V, **20** l. Acro ad Hor. C. IV. 14. 15, **21** tum VUAMT, tunc Gc, **22** commiseris Mu (supra scr. m. 2). **23** l. Acro ad Hor. epod. 7. 30, **25** quae M, *idem* 26 et *saepius*, **26** tenetur VUMg, tenentur GA, *iacent* T.

7 *Insania ferri* defendit nec tamen probat Bentl. adhibito Martiale IX. 70. „nulla est insania ferri."

16 *Auris* debetur Bentleio, qui non intellectum ait „*medium diem* partem orbis meridionalem significare". Alia causa est, cur *auris* restitui, pleonasmus non ferendus: „dies medius aestuat (flagrantibus i. e.) mediis horis", accedit depravationis facilitas, cf. *harena arena haustrum austrum*, (Lactantius h l. *oris*), porro *aula corus cotes, olla caurus cautes,* infra IX. 131 Dav. c. a. *auspiciis* pro *hospitiis*. De confusione verborum *aura* et *hora* agit Drakenb. ad Sil. XV. 67 et qui ibi laudantur; significatur ignitus aer; cf. Ov. Metam. II 229 „ferventes aurae".

19 *Hydaspes* Bentl. Propter errorém geographicum contra palaeographicam probabilitatem non est corrigendus poeta.

21 *Tum* et *tunc* perpetuo confunduntur; Lucanus ubique tunc usurpavit. Vid. infra.

Rarus et antiquis habitator in urbibus errat,
Horrida quod dumis multosque inarata per annos
Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis,
Non tu, Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Poenus erit, nulli penitus descendere ferro
Contigit: alta sedent civilis volnera dextrae.
Quodsi non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque aeterna parantur
Regna deis, caelumque suo servire tonanti
Non nisi saevorum potuit post bella Gigantum,
Iam nihil, o superi, querimur, scelera ipsa nefasque
Hac mercede placent, diros Pharsalia campos
Inpleat et Poeni saturentur sanguine manes,
Ultima funesta concurrant proelia Munda.
His, Caesar, Perusina fames, Mutinaeque labores
Accedant fatis, et quas premit aspera classis
Leucas et ardenti servilia bella sub Aetna,
Multum Roma tamen debet civilibus armis,
Quod tibi res acta est. Te, cum statione peracta
Astra petes serus, praelati regia caeli
Excipiet gaudente polo, seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phoebi conscendere currus
Telluremque nihil mutato sole timentem

**28** multosque ||| narata A, i *erasa* m. 2, **30** tum *corr. in* tu M, **31** erat VD, erit *cum rel.* Priscianus II. 255. 6, eris Vatic. 3, *non satis cognitus* ap. Weber, discindere VUABGE, discendere, *corr. in:* discindere, *quod item in marg. habet* M, **35** diis U dehis $M_1$, caelo M, **37** ista (*corr.*: iusta?) MT, **40** funesto concurrent pr. mundo $M_1$, **43** aethna O ut semper, **44** debes m a.

31 *Erat* recepit Bersmanus, sed refragatur *contigit*, pro quo respiciendo ad fallacem opinionem iam depositam, *contigerat* tum requiritur. *Eris* Martyni Laguna, post nominativum *Poenus* parum aptum. Requiritur fere: *reus*, non tu Pyrrhe reus habeberis. Nam sic rectius haec cum protasi cohaerent; et exspectatur hoc sententiae loco praedicatum. Ex duabus syllabis RE (*Pyrrhereus*) tanquam vitiosa altera est omissa et lacuna quae eo exstitit suppleta.

Ib. *Descendere* cum Heinsio primus Oudend. provocans ad Schol. Voss.: „numquam ad imum pervenire". *Discindere* absolute dici non poterat, cf. VI. 216, Sil. It. XV. 543 et Oud. „Sedet telum" Stat. Th. X. 656.

38 *Diro* Bentleius; „dirus sanguis" ita diceretur sanguis civium Rom., parum apte. nec *diros* = luridos habet quo offendat.

45 *Statione parata* fuit qui requireret, sed cf. Antoninus ap. Front. p. 168 Nab. (coll. Tac. Dial. 17): „hunc diem quo me suscipere hanc stationem placuit". Proximo versu *praelati* conf. cum V. 347 „cum duce praelato".

49 „Mutato sole" scilicet sol non Phoebum sed Neronem rectorem haberet, nec tamen esset cur quidquam terra timeret.

Igne vago lustrare iuvet, tibi numine ab omni
Cedetur, iurisque tui natura relinquet,
Quis deus esse velis, ubi regnum ponere mundi.
Sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe,
Nec polus aversi calidus qua mergitur Austri,
Unde tuam videas obliquo sidere Romam;
Aetheris inmensi partem si presseris unam,
Sentiet axis onus. Librati pondera caeli
Orbe tene medio; pars aetheris illa sereni
Tota vacet, nullaeque obstent a Caesare nubes.
Tunc genus humanum positis sibi consulat armis,
Inque vicem gens omnis amet; Pax missa per orbem
Ferrea belligeri conpescat limina Iani.
Sed mihi iam numen; nec, si te pectore vates
Accipio, Cirrhaea velim secreta moventem
Sollicitare deum, Bacchumque avertere Nysa.
Tu satis ad vires Romana in carmina dandas.

**50** l. Prisc. 345. 15, iuvat Prisc. VUMg, iuvet AG et post Cortium vulgo, ignivago m var. lect. ap C, tibi usque ad 52 velis l. Prisc. II. 343 27, **51** iurisque tui VUMABg, iurique tuo Tg, Cortius, Weise, **54** l. Prisc. 394. 21, et polus Prisc., adversi V, aversi MAG (M in litura.) cum Heinsio Oud. coll. VIII. 337; vergitur VUMAG Prisc, mergitur T, **58** in medio U, **59** obstant U; a.ces (*a* m. 2) M, **60** tum VAG, consul et armis A, **61** [omnis] M, add. m. amat t, 62 l. Isidorus XV. 7. 4, Acro Hor. C. III. 14. 16, **62** conpescat M, **63** nec—(**65**) deum l. Prisc II. 244. 14, **63** sed m. i. numen l. Serv. Ecl. 1. 7. nec — accipio (64) Serv. A. I 8, **64** accipio VU Prisc, accipiam AM (in lit) G, chyrcea U, chyrrea M, cyrrea A, .rrhea a. cirrhea V, **65** Nisa VUMA, solic A, sollic a bacchum m, **66** l. Prisc. *quater* II. 77. 23, 85. 3, 293. 20, 370. 1; vires r. i. c. dandas (hoc ord.) VUATG, ad dandas r. i. c. vires Grotius et alii.

54 *Mergitur* in 1ª editione recepit Grotius, postea improbavit; non recte opinor; reflexivum *vergi* nusquam usurpavit Lucanus, quod si fecisset, tamen h. l. minus aptum esset, *vergit* deinceps quaeque pars coeli dum movetur, perpetuo *mergitur* (nobis) tantum australis pars; proprium igitur *mergitur*. *Vergere* pro *mergere* in G infra IV. 525 substitutum „mergere ponto astra" et Senec. Ep. 36: „pars caeli levatur adsidue, pars mergitur", vergitur i. e. inclinatur non oppositum est verbi *levatur* et recte hodie improbatum.

55 Haec ad derisionem Neronis scripta putat Conradus Hirsaugiensis ed. Schepss, Wien 1889 p. 62, sq. Cf. Weber Vitarum part. III p. 14; Schol. ad 55, 57 dicunt „obliquo sidere" dicta ad sugillandum Neronem, qui strabo fuit. Legerunt „obl. *lumine*", ut opinor, et sic in recentioribus apud Cortium ex correctione male intellecti loci. Obliquus esset Nero (*sidus*) Romae.

56 *Imam* Bentl., intellegens de arctoo et australi caelo; sed utrumque simul *imum* dici non potest. Si Neronis sidus prope alterum utrum polum considit, eius pondus gravat axem, si aequali spatio ab utroque polo, in utrumque vim habet, non in *partem unam*, sive septentriones, sive meridiem, sed in totum, nec aequilibrium aut celeritatem rotationis turbabit. — Si constellatio eius erit in medio orbe, in medio semicirculo, qui polos iungit (meridiano Romano), erit fere supra urbem eamque recta spectat, non erit „sidus obliquum."

57 „Librati" per prolepsin est: ut libramentum servet caelum. *Sereno* Bentl., dativus, at *serenus* iuxta *aether* est epitheton ornans. In culmine caeli purus aether est, prope finitorem vapores.

Fert animus causas tantarum expromere rerum,
Inmensumque aperitur opus, quid in arma furentem
Inpulerit populum, quid pacem excusserit orbi:
Invida fatorum series, summisque negatum
Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus,
Nec se Roma ferens. Sic cum conpage soluta
Saecula tot mundi suprema coegerit hora,
Antiquom repetent iterum chaos omnia; mixta
Sidera sideribus concurrent, ignea pontum
Astra petent, tellus extendere littora nolet,
Excutietque fretum, fratri contraria Phoebe
Ibit, et obliquom bigas agitare per orbem
Indignata, diem poscet sibi, totaque discors
Machina divolsi turbabit foedera mundi.
In se magna ruunt, laetis hunc numina rebus
Crescendi posuere modum. Nec gentibus ullis
Commodat in populum, terrae pelagique potentem,
Invidiam Fortuna suam. Tu causa malorum
Facta tribus dominis communis, Roma, nec unquam
In turbam missi feralia foedera regni.

**67** et promere M promere m, **68** quod T, **69** imp VUMA₁, orbi O, vulg., **72** nec — ferens Prisc. II. 96. 8, [sicut] conpage sol. Prob. IV. 10. 10 K, Marius Plot. VI. 475. 19, **73** suppr. U, ora M, hora m, **74** repetens VUMG, repetent A, mixtus O, **76** nollet A, **77** [que] T, **78** oblicum c, **80** divolsi M, divulsi VUmA, divisi T, **81** nunc M, hunc m, **83** commendat u, **84** et tu T,

69 Orbi tantum dativus esse potest. Cf. Neue II 222. De constructione *excutere alicui aliquid* pro removere aliquid ex aliquo cf. Cortius ad IV. 536 et II. 249.

74 „Repetens—chaos; omnia" legebatur et distinguebatur ante Oudend., qui Rutgersii emendationem *repetent* recepit; Burm. rursus *repetens*; interpolatum locum existimans Bentleius: „repetens iterum chaos: [omnia mistis s. s. concurrens]"; A. Schaefer, Obss. crit. ad Lucanum et Statium Monast. 1886 p. 9: „omnia miscens", Trampe de Luc. arte metrica Berol. 1884 p. 96 propter insolitam incisionem ante pedem quintum cum Bentl. facit. Interpolationis (ex Seneca cons. ad Marciam fin., ubi „sidera sideribus incurrent") rationem nullam video, contra ipse auctor Senecam imitatus h. l. ut saepius. *Mixtim* Usener; *mixta* recepi ex F. Hosii, interpunctione mutata.

76 Bentl. „littora quaeret". Sententia est: discordia inter mare et terram erit; haec non brachia extendet ad amplectendum pontum, sed procul illum arcebit. Nimirum terra multis locis attolletur novique montes existent et discrimina aquarum et terrae alibi evanescent. Cf. Seneca ad Marc. 26. 6 „tot supprimet montes et alibi rupes in altum novas exprimet, maria sorbebit, flumina avertet". Nat. Q. III. 30. Infra VII 134: quis littora ponto obruta, quis summis cernens in montibus aequor, aetheraque in terras deiecto sole cadentem, rell. (h. l. ignea pontum astra petent). Ib. 814.

83 Fortunae honorificum est *tantum* populum subvertisse, hoc gloriam ei et invidiam parit. *Invidia* res est qua gloriatur.

85 „Nec unquam". Generalis sententia: *μοναρχία* non patitur participem (cf. Sen. Ag. 259 Tac. A. I. 6), sic enuntiatur: non unquam in turbam mittitur; funesta regni foedera. Coniecturae *felicia f.* Grotio memorata, *durantia* Bentl., *vitalia*, alia locum non persanant. Corruptela potius est in

O male concordes nimiaque cupidine caeci,
Quid miscere iuvat vires, orbemque tenere
In medio? Dum terra fretum, terramque levabit
Aer, et longi volvent Titana labores,
Noxque diem caelo totidem per signa sequetur,
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Inpatiens consortis erit. Nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.
Nec pretium tanti tellus pontusque furoris
Tunc erat: exiguum dominos commisit asylum.
  Temporis angusti mansit concordia discors,
Paxque fuit non sponte ducum, nam sola futuri
Crassus erat belli medius mora. Qualiter, undas
Qui secat et geminum gracilis mare separat Isthmos,
Nec patitur conferre gradum (si terra recedat,

**88** orbeque var. lect. Comm. ex accommodatione perversa ad *medio*, **89** medium dum VUm var. lect. Comm., medio MAC, **90** tytana VU, **92** nulla — erit (93) l. Lact. ad Stat. Theb. I. 131, **93** nec — muri (95) Lact. ad Stat. Theb. V. 120, **94** p. &ant; M, **95** l. Acro ad Hor. epod. 7. 17, August. C. D. XV. 5, **95** primum G, **97** nec — erat (97) l. Lact. ad Stat. Theb. I. 144, **98** temporis — ducum (99) l. Acro ad Hor. C. II. 1. 3, augusti Acro (Hauth). **99** ducem Acro (Hauth), **100** *mora* M, **101** medium corr. in geminum M. male VU (Stht.), seperat T (suprat D). Laudat Lactantius ad Stat. Theb. I. 120: „et gracylis medium — sep. Isthmos." et ad Stat. IV. 62, **102** fretum O, gradum est coni. Bentleii.

his: *in turbam missi*, quod minime defenditur Ovid. Metam. I. 355, aliis; hoc loco, ubi de rebus civitatis agitur, *turba* necessario est multitudo, non, ut putant vulgo, triumviri; non magis probabile *mittere* (non comparandum *in discrimen m.*); denique negatio referenda erat ad praecipuam sententiam non ad membrum. Tentavi: *inturbata istis* „semper turbas dedistis", *istis* = fuistis, cf. Heinsius ad Claud. Epith. Pall. 137. Confusa AM et ATA. ISSI et ISTIS. „In cassum eat" = frustra sit, plerique II. 263. *Abire* vulgo.

89 „Medium", terminatio proximi *dum* mendum peperit; in medio = ἐν μέσῳ, tanquam praemium. Non est quod *orbemve* requiratur, cf. infra 134 et al.

91 Seneca Dial. VIII 5. 4 „(natura) sena per diem, sena per noctem signa perducens". Quasi quovis die sol per sex Zodiaci signa currat. Horae nocturnae et diurnae *per totum annum* una computatae aequales.

93 Gentes sunt barbarae sive populi exceptis Romanis ut I 9, 465, II. 47. Sine causa Bentl. *fastibus*. „Nihil opus est exemplis externis", veluti Persarum.

95 *Primum* facilis correctio; sed *primi* Romulei sunt, oppositi Servianis.

102 Gradum conferrent tanquam gladiatores duo maria. *Fretum* ferri non potest, debebat certe, quod metrum non fert, *freta*. Iure Bentl. non tulit: „Isthmos non patitur mare geminum conferre fretum." Proxima uncis inclusi, parenthesis ab ampliore comparatione non aliena, cf. etiam IX. 37. 150, 350, similisque copia vel apud Homerum invenitur. Sed constructio impedita: terra recedens (= isthmos rec.) frangat Ionium mare Aegaeo. Ferendum tamen hoc aeque ac: „Corinthus cremata flammis maria committat duo" Sen. Med. 35, „sol abiens demit iuga bobus fatigatis", et multa alia, in quibus nihil agendo agere aliquid res quaepiam dicitur; et certe minus durum est quam: mare (subi.) frangat Ionium (substantive cf. VI. 27) Aegaeo (abl. instr.). Cf. Sil. It. XV. 157 „(Corus) Ionium Aegaeo miscet mare". *Frangendi*

Ionium Aegaeo frangat mare) sic, ubi saeva
Arma ducum dirimens, miserando funere Crassus
Assyrias Latio maculavit sanguine Carras,
Parthica Romanos solverunt damna furores.
Plus illa vobis acie, quam creditis, actum est,
Arsacidae: bellum victis civile dedistis.
Dividitur ferro regnum; populique potentes,
Quae mare, quae terras, quae totum continet orbem,
Non cepit fortuna duos. Nam pignora iuncti
Sanguinis, et diro ferales omine taedas
Abstulit ad manes Parcarum Iulia saeva
Intercepta manu. Quodsi tibi fata dedissent
Maiores in luce moras, tu sola furentis
Inde virum poteras atque hinc retinere parentem,
Armatasque manus excusso iungere ferro,
Ut generos soceris mediae iunxere Sabinae.
Morte tua discissa fides, bellumque movere
Permissum est ducibus. Stimulos dedit aemula virtus:
Tu, nova ne veteres obscurent acta triumphos,
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne, times, te iam series ususque laborum

**103** franget MTGU, frangat AmV (in quo gl. „frangatur aut frangat se"), male VU (Stht), **104** grassus $M_1$, chrassus A, **105** charrhas VMc, charras A, carras G, **106** dampna U, **109** potentis M, var. lect. C, potenties m ut videtur, populi[que] T, **110** quae — duos (111) Prisc. 310. 27, possidet AVU Prisc., continet rell., **111** coepit VU, cepit cum rell. Prisc., **113** manis A, **114** interfecta (*fec* in ras.) corr.: — cepta M, interfecta g, **115** furentem codd., **116** aut g, **118** generos soceris med. hoc ord. OC, socios C, sotiis c, **119** morte — ducibus Serv. Dan. A. VI. 831, discussa o vulgo, **120** est om. VAMG, addit U et [Servius], **121** facta TL, facta corr. in acta G, acta VUMA, **122** pyratica M

vocabulum h. l. propter hostilem concursum pugnantium electum; subinde comparatio enuntiatur vocabulis, quae suggerit res comparatione illustrata; *miscere* h. l. minus aptum fuisset, quoniam discidium erat illustrandum; infra 155 „sua templa ferit (furit)" addita sunt propter Caesarem suam patriam infestantem potius quam ex proprietate fulminis. Burm.: *infringat*, quod eodem redit. Laguna sine causa putat inter 102 et 103 quaedam periisse, Bentleius V. 100, sq.: „qualiter una dissecat". Madvig: „Aegaeo frangatur, sic." „Male" Hos.

111 Fortuna, non populi Romani, sed in universum dictum, ut apparet ex additamento: „quae mare, quae terras, quae totum continet orbem"; non capere potuit duos populipotentes. Potens de triumviris infra 271, pro imperatore IX. 170. — Bentl. nulla causa allata: „mundique patentis non cepit mensura duos". Cf. Mnem. XVI 391. Florus II. 13 p. 96 Jahn: „sic de principatu laborabant, tanquam duos tanti imperii (*potentes* add.?) fortuna non caperet", qui manifesto Lucanum imitatur. Seneca Thyest. 445: „non capit regnum duos".

113 „Abstrahis" Bentl.

115 Furentes (-tis) certatim Heinsius, Bentleius, Cortius.

119 *Discissa* Bentl.; *discutere*, in omnes partes dispergere, h. l. non est aptum, ubi separationis sponte secutae e morte Iuliae (abrupta est) notio est.

121 *Acta* cf. VIII. 25. 320.

Erigit, inpatiensque loci fortuna secundi.
Nec quemquam iam ferre potest Caesarve priorem,
Pompeiusve parem. Quis iustius induit arma?
Scire nefas, magno se iudice quisque tuetur:
Victrix causa deis placuit, sed victa Catoni.
Nec coiere pares: alter vergentibus annis
In senium longoque togae tranquillior usu
Dedidicit iam pace ducem, famaeque petitor,
Multa dare in volgus, totus popularibus auris
Jnpelli, plausuque sui gaudere theatri,
Nec reparare novas vires, multumque priori
Credere fortunae. Stat magni nominis umbra;
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuvias veteris populi sacrataque gestans
Dona ducum, nec iam validis radicibus haerens,
Pondere fixa suo, nudosque per aera ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit umbram;
Et quamvis primo nutet casura sub euro,
Tot circum silvae firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Caesare tantum
Nomen erat, nec fama ducis, sed nescia virtus
Stare loco, solusque pudor non vincere bello.
Acer et indomitus, quo spes, quoque ira vocasset
Ferre manum, numquam temerando parcere ferro,

**125** quenquam V, non (*pro* nec) P, potes T, Caesarque T, **128** l. Boethius Cons. IV. 6. 124 P, vic trix M corr. in vulg. ultrix VC, **129** vergentibus annis l. Symmachus epistol. IV. 18, cogere M m 2 corr. in vulg., coire A T, non P, **131** ded. i. p. ducem laudat Prisc. II. 267, 25 H., dedicit, di m. 2 suprascr. M A, **132** popularibus — theatri (133) l. Acro Hor. C III. 2. 20, **133** impelli M, **135** i. e. fama supra scr. M, **137** veteris O L, veteres b, antiquae editiones, **138** haeret A corr. m 2 in vulg. g, **139** suo est, vulgo; aerea T, umbram corr. in: umbras A, umbras TL, **141** et quamvis VUM (in hoc ant. man. corr: sed) sed ATG, **142** formose corr. in vulg. M, **146** et supra ira scr. m. 2 A, **147** et numquam vulgo, temerato C, explicans temere assumpto; lemma: temerando.

125 Florus l. l. (p. 96 Jahn): „nec ille (Pompeius) ferebat parem, nec hic superiorem". De Pompeio praeierat Vell. Pat. II. 29, 33.

126 Signum interrogationis posui post *arma*; similiter distinguendum IX. 563, Pers. Sat. III. 66—72.

137 *Veteris* praetuli, significatur veneranda vetustas, donaria sunt populi, qui iam evanuit, hoc non fit si *populi* nudum ponitur.

139 Verba „pondere fixa suo" illustrant superiora: „neciam validis radicibus haerens" (non: *haeret*) nec absolvi ab iis debent, quare *est* omisi.

145 Non vincere bello, alia ratione quam vi et armis superare; *non* cum *bello* cohaeret. Bentleius coniciens *non vincere lente*, non probavit negationem ferri posse. Usener: *velle*. Cf. II. 439.

147 temerando ferro = temerationi (sit venia vocabulo ferri. Mirum hanc con-

Successus urguere suos, instare favori
Numinis, inpellens, quidquid sibi summa petenti
Obstaret, gaudensque viam fecisse ruina.
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Aetheris inpulsi sonitu mundique fragore
Emicuit, rupitque diem, populosque paventis
Terruit, obliqua praestringens lumina flamma,
In sua templa furit, nullaque exire vetante
Materia, magnamque cadens, magnamque revertens
Dat stragem late, sparsosque recolligit ignis.
  Hae ducibus causae, suberant sed publica belli
Semina, quae populos semper mersere potentis.
Namque ut opes mundo nimias Fortuna subacto
Intulit, et rebus mores cessere secundis,

**148** urguere UMA, succensus T, **149** quicquid VUAG, impellens O, **151** venti, s add. m. 2 in ras. M, laudat Prisc. II. 132. 15 H, Cledonius V. 51. 30 K. Lact. ad Theb. I. 257, **152** sonitum undique M, corr. m 2, **153** pavore Ug, rapuit (sed *p* dub.) T, **154** obliqua — flamma l. Lact. ad Stat. Theb. V. 666 perstringens Lact., T, **155** fuit, r add. 2(?) m. M, **157** recollegit M, corr. m. 2, **158** puplica A, **160** nimias mundo (hoc ordine) VUMAG.

structionem apud antiquiores tam raro inveniri, cum tamen prorsus respondeat analogiae verborum tradendi et committendi. Laudatur ex Petronio et Augustino. Liv. XXVI. 31. 5: „contumeliis in eos dicendis parcitis", X. 12. 8 eadem constructio verbi temperare. Durius infra IV 804 „spectandumque tibi bellum civile negatum est", contrarium est: dare spectandum. „Temerare" est temere arripere, ut temerare littus infra III. 194 temere calcare, cf. Heinsius ad Sil. Ital. II. 472. Diversus paulum usus est, quo ponitur pro: violare rem sanctam (μιαίνειν). Perversum hoc de Caesare iudicium convenit cum v. 145. *Inpellere* = prosternere, Lucano cum Seneca commune de Benef. VI. 31. 11, cf. V. 330.

151 *Ventis* est ablat. instrumenti: ventus exprimit (nubibus) fulmen, idque per nubila emicat et solis lumen vincit (rumpit diem) et Iovis templa (sua templa) percutit. In his postremis comparatio accommodatur rei illustratae: Caesar in sua templa i. e. patriam furit et dum nihil eum retinet, ne late per totum orbem vagetur (nulla — materia), dat ubique stragem etiam extra Italiam et sparsas vires colligit ad bellum transmarinum (sparsosque — ignis). Opiniones de fulmine e nubibus orto cognoscas e Sen. Nat. Q Q. II. 23. 32, I. 14. 5, Iuven. XIII. 225, Lucr. VI. 160, Val. Flacc. IV. 660; de reditu fulminis Xen. Mem. IV. 3. 14, Plin. N II. II. 143. Structura loci manca est; quare Weise plene interpunxit post *flamma*, ut haec *qualiter — flamma* sine apodosi adhaereant superioribus, quod merito improbatum. Bentleius: *ut micuit*. Sed omnia clamant, haec 153—157 membra paratactica esse; illud *in sua templa furit* additur ἀσυνδέτως tanquam explicatio, sed re vera novum momentum continet. Conieci „*et* sua templa *ferit*", cf. Mnem. XVI. 392. Pro *rupitque diem* Schraderus: *rupitque viam*. Sed *dies* = caelum illustre cf. VII. 189, VIII. 217. Denique Bentl: „magnam veniens" quoniam geminatum *-que* „non est moris apud nostrum". Verba „nullaque exire vetante materia" innuere videntur quasdam materias fulmen attrahere et retinere. Quaedam veteribus fulmina non repercutiuntur, sed (caduca) *conduntur.*, si materia quaedam ea retinet. Vulgaris interpretatio, qua de rebus fulmini oppositis cogitatur, quae sunt extra „templum", veluti nubibus, minus me iudice cum „materia" convenit. — Anno 1722 Bentl. in epist ad Burmannum: *terret et* obliqua *perfringens culmina plaga — nulla transire*, cf. Haupt. Opusc. III. 101. Haec postea improbavit aut oblitus est.

158 Burm. primus hanc distinctionem recepit, antea: „causae suberant, sed" rell. Parum refert, *sed* postpositum Lucano non familiare esse: sententia postulat. Sed cf. II. 128, III. 504, al. Cortius ad VI. 12.

Praedaque et hostiles luxum suasere rapinae,
Non auro tectisve modus, mensasque priores
Aspernata fames; cultus, gestare decoros
Vix nuribus, rapuere mares; fecunda virorum
Paupertas fugitur, totoque accersitur orbe,
Quo gens quaeque perit. Tunc longos iungere fines
Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli
Vomere et antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.
Non erat is populus, quem pax tranquilla iuvaret,
Quem sua libertas inmotis pasceret armis.
Inde irae faciles, et quod suasisset egestas
Vile nefas, magnumque decus ferroque petendum,
Plus patria potuisse sua; mensuraque iuris
Vis erat; hinc leges et plebis scita coactae,
Et cum consulibus turbantes iura tribuni,
Hinc rapti fasces pretio, sectorque favoris

**163** tectisve M (ve in ras.) VUA, -que G, **164** cultus — mares l. Serv. A II. 501, cultos M, u suprascr. m. 2. **165** fecunda — paupertas (166) l. Acro Hor. C I. 12. 42, foecunda VUP **166** accersitur VUAG, accessitur (r a m. 2) M acersitur T, **167** tum V, **169** Curionum VG, **173** et quod — nefas (174) l. Acro Hor. C. III. 24. 42, quem] Acro, **175** plus — sua l. Serv. A. IX. 641, **176** hinc — coactae l. Prisc. II. 185. 20 H, plebis scita VM plebi scita UM ex corr (sic: bis scita, praeterea ci in ras., antea a ut vid.) plebiscita AG, **178** fasces pretio, hoc ord. O

164 Fames positum pro cupiditate; cf. Florus I. 46 Jahn, III. 12. 15 D. „per famem quam luxus fecerat". Petronius in carm. 16: „fames premit advena classes". Cultus, cf. Mayor ad Iuven. III. 147, 172, Suet. Calig. 52.

166 *Accersitur* voluit fortasse etiam corrector M, r alieno loco supra scripta. Ad sententiam comparant Petronium v. 33, recte sane, modo ne credamus hunc ex Lucano solo hausisse, nihil enim est in eo carmine, quod a Lucano potius quam a reliquis morum magistris Sallustio, Velleio Horatio suggestum credas.

167 *Perit* praesens: quaeque gens suppeditat instrumenta luxuriae, quae illi noxia sunt.

168 *Duri* Bentl., vix credibile; 167 idem *latos* pro *longos*, et 172 *arvis* pro *armis*. Non felix condicio est eius populi, qui sua arva neglegit; sed is invidendus qui suam libertatem tuetur ac non insidiatur alienae bello suscepto. V. 173 egestas = defectus divitiarum, cf. *fames* v. 164.

176 Mirum post Salmasium et Oudend. ad lectionem plebiscita (ὑφ' ἕν) redire potuisse Burm., Cort., Weisium; Bentl. rursus corrigit *plebis scita*. Et tamen Haskins: carried throug by force. Si ad *leges* quoque participium esset referendum, tamen *coacta* esset scribendum. Sic, inquit, nempe per vim, leges factae et plebis coactae scita, nam plebs cogebatur corruptione et potentiorum minis. Ad remotius substantivum attributum sic demum constructione referri potest, si id reapse aut scribentis cogitatione primarium est.

177 Tribuni sensim paulatimque ex prohibitiva potestate iura imperii sibi arrogarunt leges ferendo, centuriatis convocandis, aliis, quae ad consules pertinebant. „Cum consulibus" solita brevitate pro: consulum iuribus. *Iura* sua, tribunorum; nemo laudabit Bentleianum *rostra*.

178 Ordinem receptum defendit Bentleius, Cortius praeferens dactylum unum in duobus primis pedibus (cf. ad I. 228) elegantiam suam contra codd. obtrudit Lucano, qui qua-

Ipse sui populus letalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina Campo;
Hinc usura vorax, avidumque in tempora faenus,
Et concussa fides, et multis utile bellum.
Iam gelidas Caesar cursu superaverat Alpis,
Ingentisque animo motus, bellumque futurum
Ceperat. Ut ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Lugens visa duci Patriae trepidantis imago
Clara per obscuram voltu maestissima noctem,
[Turrigero canos effundens vertice crinis,]
Caesarie lacera, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permixta loqui: „Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa, viri? Si iure venitis,
Si cives, huc usque licet". Tunc perculit horror
Membra ducis; riguere comae, gressusque cohercens
Languor in extrema tenuit vestigia ripa.
Mox ait: „O magnae qui maenia prospicis urbis
Tarpeia de rupe tonans, Phrygiique penates

**179** letalisque — campo (180) l. Prisc. 547. 8 H, loetalis VUM ut semper, fatalis m (rec. m) a (m 2 in marg.), **181** faenus A, tempore P, **184** ingentis, corr. in -tes G, [que] T, **185** coeperat VUMG, **186** traepidantis M, ingens visa vulgo, **187** mestissima O, **188** turrigero — crines l. Serv. A VIII. 33, **189** caesariae M (ae in ras.), A, astare G, **190** tenditis inquit m, **192** tum MA Sch. Ter. ut saepe, tum — ducis (193) l. Schol. cod. Bemb. Ter. Ad. IV. 4. 4, **193** cohercens UA, gressum VUMG -sus A, **194** langor MA, trivit T, **195** menia M, moenia G, **196** frigiique VUMG.

vis fere pagina ab ea recedit, et multo durius aliquando a tribus spondeis versum incohat. veluti VI. 41: „amplexus finis saltus", 43 „non desunt campi non", III. 440: „procumbunt orni nodosa inpellitur ilex". Alterum quod postulat Cortius, ut attributum a nomine suo separetur („rapti pretio fasces") est ea utilis observatio, sed non ut ad eam poeta corrigatur.

Ib. *Sector*, vendens suum favorem ut caupo vel institor; favores populi sunt honores; hi emtis suffragiis dantur. Eutropius, Claud. XVIII. 198 „institor imperii, caupo famosus honorum".

181 *In tempora*: per dies lucrum computans, inhians temporibus (gierig op den tijd). Ineptum: *in tempore*. Convenit interpretatio proposita cum prima Haskinsiana, reliquas eius nimis artificiosas puto. Ad 182 cf. Sall. Cat. 13 fin., 33.

184 Cf. infra 470: „(vana fama) cklademque futuram intulit", i. e. praesensionem dedit cladis futurae. Caesar ceperat animo = praeceperat animo; hoc per se non nimis clare enuntiatum obscuratur etiam zeugmate: motus enim sunt animi motus, non belli. Desidero: bellique furorem.

186 Eleganter Heinsius: *lugens* pro *ingens* quod in omnibus libris est. *Ingens* fere de rebus turpibus, nimis magnis. Si Patriam amabilem voluit facere poeta, non scripsit *ingens*.

187 „cultu" Schrader.

188 cf. II. 358 „turritaque premens frontem matrona corona". Versus onerat locum et cum sequenti pugnat, laceri crines non sunt, qui cohibentur corona turrita. Atque haec corona non apta ei, quae nuda pectora plangit.

194 Somniat se vigilantem languore somni cohiberi.

Gentis Iuleae, et rapti secreta Quirini,
Et residens celsa Latiaris Iuppiter Alba,
Vestalesque foci, summique o numinis instar
Roma, fave coeptis. Non te furialibus armis
Persequor. En, adsum, victor terraque marique
Caesar ubique tuus, liceat modo, nunc quoque, miles.
Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem".
Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem
Signa tulit propere, sicut squalentibus arvis
Aestiferae Libyes viso leo comminus hoste
Subsedit dubius, totam dum colligit iram;
Mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae
Erexitque iubam et vasto grave murmur hiatu
Infremuit, tunc, torta levis si lancea Mauri
Haereat, aut latum subeant venabula pectus,
Per ferrum tanti securus volneris exit.
  Fonte cadit modico, parvisque inpellitur undis
Puniceus Rubicon, cum fervida canduit aestas,
Perque imas serpit valles et Gallica certus

**197** iuliae $M_1$, **198** latialis (non -ris) O, lacialis U. latialis (*ialis* in ras.) M, latiali...s iupiter A, iuppiter a, aula V. **203** erit [ille] nocens P, [me] T, **204** bellis, deleta s, M, **205** in arvis — 207 consedit l. Isidorus I. 36. 33, in arvis Is., sicut VAMG, sic in Um, sicum T, **206** Lybies VUMAg libyae Is. aestigene (= generantis post gene add. 2 m) M, astriferae c, aestiferae l. Probus IV. 7. 27 K, estfere Is.. visus Is. hostem Is. hostae M, **207** collegit corr m 2 in colligit M, **209** iubas VUM, iubam AG, et vasto O, [grave] VUM, **210** tunc M (*suprascr.*: tum al. dum) V, post: si una litt. deleta M, **212** l. Servius Aen. XII, 8, **214** rubicin M (co suprascr.) corr. a m-2, aestus $M_1$, **215** et — colonis (216) l. Serv. Aen. I. 1. p. 7 Thilo.

197 Alibi secreta urbis Romae (mundus et Penates in aede Vestae) non consociantur cum exitu Quirini. Hic aedem habebat in Quirinali, quae ab Augusto renovata est. Hanc fortasse ob oculos habet. Cf. omnino Becker, Topographia p. 570 sq. De elisione cf. ad VI. 56.

198 *Latiaris* cf. ad 535. In archetypo librorum M A iam exstabat correctio.

200 Vestigium cultus Romae deae est. unde de Caesaris aetate nihil efficere, de Neroniana aliquid suspicari possumus. Publicus et Romano more receptus cultus Urbis non supra Augustum adscendit, cf. Preller-Jordan II. p. 353, sqq., Marquardt-Wissowa Röm. Staatsverw. III² p. 504, Boissier Relig. Rom. d'Aug. aux Antonins² I. p. 131. — Ib. furialis pro feralis positum, non improbabile Lucanum *feralibus* dedisse. Arma furialia sunt fax et alia, quae furiae gestant. Verba Caesaris affectum habent, qui non cum reliquo carmine convenit, in quo pessima quaeque ei obiciuntur. Sine dubio antiquiorem narrationem presse secutus est.

212 „Tanti volneris", nimirum quod inflixit lancea Mauri, „securus" exit, superat saltu venabula; simul vulneratus est et venabulis circumdatus; *aut* non aptum. — Comparatio pertinet ad moram et superatum deinde obstaculum. Post conspectam Patriae speciem cum experrectus esset (inde v. 204) moras solvit et Rubiconem transiit, ut leo post moram (*subsedit*) venabula superat.

Limes ab Ausoniis disterminat arva colonis.
Tunc vires praebebat hiems, atque auxerat undas
Tertia iam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis euri resolutae flatibus Alpes.
Primus in oblicum sonipes opponitur amnem,
Excepturus aquas, molli tunc cetera rumpit
Turba vado facilis iam fracti fluminis undas.
Caesar ut adversam, superato gurgite, ripam
Adtigit, Hesperiae vetitis et constitit arvis,
Hic, ait, hic pacem temerataque iura relinquo;
Te, Fortuna, sequor. Procul hinc iam foedera sunto.
Credidimus fatis, utendum est iudice bello".
Sic fatus, noctis tenebris rapit agmina ductor
Inpiger. It torto Balearis verbere fundae
Ocior et missa Parthi post terga sagitta,
Vicinumque minax invadit Ariminum, ut ignis
Solis Lucifero fugiebant astra relicto.
Iamque dies primos belli visura tumultus
Exoritur; seu sponte deum, seu turbidus auster
Inpulerat, maestam tenuerunt nubila lucem.

**217** tunc VU, praebebat, *prior b in ras* M, hiemps UA, hiems (*s in ras* 2 litt) M, **218** Cinthie VUM, gelido g, **220** $\overset{m}{a}$nem, a *in ras.* 2 *litt man.* 2; *prior* m m. 2 M, *fuit fortasse*: omnem, **221** tum O **222** faciles iam fr. (hoc ord.) O, **225** sic g, **228** *post* noctis *lacuna* 4 *litt* M, **229** et torto VAG, it (i a m. 2) MU, **230** parthy M, otior A, erga A, et missam — sagittam l. Acro ad Hor. C. I. 19. 11, aut missam — sagittam id. C. II. 13. 17, **231** et ignes OTL, **233** belli pr. hoc ordine g, **235** impulerat VUMG inp. A.

218 Facta haec 10/11 Januarii a. 49. Cf. O. E. Schmidt, der Ausbruch des Bürgerkrieges RM. NF. XLVI (1892) S. 240 fgg. Tertia iam Cynthia, tertius dies post interlunium (novam lunam), qui dies erat ominosus et madidus pluviam portendebat (J. H. Voss ad Georg I. 428 p. 179, sq.). Verg. l. l. „Luna revertentes cum primum colligit ignes Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu, Maximus — parabitur imber". De die tertio aut quarto Avienus in Arateis 1396. Br, Varro ap. Plin. XVIII. 348.

219 Recte Haskins Alpes proprie dictas non potuisse significari e situ locorum demonstrat, quod Rubicon inde non oritur; et ne tempus quidem liquefactae nivis convenit cum anni tempestate, quae reapse erat hiemis initium.

225 Relinquit iura, quatenus viam iuris deserit et ad arma confugit; temerata sc. a senatu.

227 Ut nostro fato semper confisi sumus, sic nunc aleae belli rem committimus. *Credimus en* Heins., *cedimus en* Burm. cf. Weber diss. II. 594.

229 *It* restituit Oudend.

231 *Ut* debetur Grotio. Post „Ariminum" plene interpungens *et* (*ut*) eiecit Weise, debebat certe *Ariminon* scribere, quod probat Bentleius conferens *Auximon* II. 466. Tum B. refingit: „ut iam | caetera lucifero" sine probabilitate palaeographica. „*Et* ignes" defendit Cortius, aliena conferens. „Ariminon. ignes" Haskins. Recepta mutatio, ut minima, ferenda videtur.

235 *Impulerit* Cortius et Weisius sine auctoritate bonorum MSS.

Constitit ut capto iussus deponere miles
Signa foro, stridor lituum clangorque tubarum
Non pia concinuit cum rauco classica cornu.
Rupta quies populis, stratisque excita iuventus
Deripuit sacris adfixa penatibus arma,
Quae pax longa dabat, nuda iam crate fluentis
Invadunt clupeos, curvataque cuspide pila,
Et scabros nigrae morsu rubiginis ensis.
Ut notae fulsere aquilae Romanaque signa,
Et celsus medio conspectus in agmine Caesar,
Deriguere metu, gelidus pavor occupat artus,
Et tacito mutos volvunt in pectore questus:
„O male vicinis haec maenia condita Gallis,
O tristi damnata loco! Pax alta per omnis
Et tranquilla quies populos, nos praeda furentum
Primaque castra sumus. Melius, Fortuna, dedisses
Orbe sub eoo sedem gelidaque sub arcto,
Errantisque domos, Latii quam claustra tueri.
Nos primi Senonum motus, Cimbrumque ruentem

**238** cum in ras. U, **239** populi O, **240** diripuit UM (in quo *dir* in ras.) A, deripuit VG, affixa VUG, adf. MA, defixa gT, **242** clipeos VAB clypeos MU, **243** et — enses l. Lact. ad Stat. Theb. III. 582, **245** agmin͜e (sic) M, **246** diriguere VUM (i *ex corr.*) A (i *ex corr.*) occupat artus VUMAG (ex corr) alligat m (s. s. m. 2) a (2 m in marg) P, gelidos M corr. in vulg., **247** tacitos muto VG tacitus muto P, **248** condita moenia, hoc ord. V, **250** furentis P, **253** errantisque VA, latii (i *in ras*) M, **254** Cimbrumque furentem VUM (*in ras*) AbT, ruentem G.

238 *Non pia* cf. non fidae V. 58, non sanus VII 830, non iustus IX. 54, non asper VII. 186, II. 176, IX. 945. *Concinere*, una canere s. insonare cum acc. *classica* ut: modos canere et simm. Proximo versu *populis* Cortius. Audacter Bentl.: *Martia concinuit*, Heins. *concita* vel *obvia*, Oudend. *nuncia*. Cf. Weber diss. p. 490. Mihi sermo poeticus postulare videtur *cantica* pro *classica*; ita emphasis, quae est in *non*, intellegitur; cantica saepissime pia sunt.

242 *Invadunt* cf. IX. 198: „invasit ferrum" = arripuit gladium. Bentl.: „truncataque cuspide pila". Haec cur servassent? Sed solebant curvari cuspides telorum, repercussae clypeis.

246 *Deriguere* recepi, nam ubique hoc restituendum; nullum verbum est *dirigesco*, quod debetur librariis, quibus familiare *dirigere* fraudi fuit, et paene ubique pars codicum *derigui* etc. cf. II. 78. III. 613. — Ib. *alligat* auctoritate multum cedit vulgatae *occupat*; placet *gelidos* propter verborum ordinem, per se magis poeticum est *gelidus*, quod propterea tenui.

247 Nolui, contra codd., elegantiam *sub pectore* cum Grotio obtrudere Lucano. Me iudice *tacitos muto* aeque recte se habet ac *tacito mutos*; nihil agit Cortius.

251 *Natura* pro *fortuna* restituit Bentleius, quam lectionem certam praestat(!) quod 5 abhinc versu rursus *fortuna* compareat et propter cod. Regium, qui tamen non est optimus ille.

254 *Ruentem* Aldus iam habet; cur *furentem* reiiciamus non sufficit sane argumentum ductum ex eiusdem vocabuli (250 furentem, 255 furoris) repetitione, nam id Lucano admodum leve est; cf. Heitland p. LXXXI, sq. Sed *ruentem* prius etiam in M fuisse apparet, et habet G. *Ruentem* in-

Vidimus, et Martem Libyes, cursumque furoris
Teutonici. Quotiens Romam Fortuna lacessit,
Hac iter est bellis". Gemitu sic quisque latenti,
Non ausus timuisse palam; vox nulla dolori
Credita, sed quantum, volucres cum bruma cohercet,
Rura silent mersusque iacet sine murmure Pontus,
Tanta quies. Noctis gelidas lux solverat umbras:
Ecce faces bello, dubiasque in proelia mentis
Urguentes addunt stimulos, cunctasque pudoris
Rumpunt fata moras; iustos Fortuna laborat
Esse ducis motus, et causas invenit armis.
Expulit ancipiti discordes urbe tribunos
Victo iure minax iactatis curia Gracchis.
Hos iam mota ducis vicinaque signa petentis
Audax venali comitatur Curio lingua,
Vox quondam populi, libertatemque tueri

**255** Lybies VUA, Lybiae M, cursum — bellis (257) l. Priscianus II. 132. 7 H, **256** quotiens MA, **257** belli T, **259** cohercet UMA, coercet VG, **260** mediusque O *vulgo*, tacet VUATG iacet M (*i* in ras m. 2), **262** belli vulgo, O, **263** urgentes V, urguentis U, **266** anticipiti $M_1$. **267** curio corr. in: curia M, **268** imota a.

venire superat ingenium librarii, contra cum *furere* ex proximis in memoria haereret, hoc verbum errore invexit.

255 *Rabiem L.* Bentleius coni., speciose.

258 sq. Prae dolore nullam vocem dignam lingua invenisset (zij leenden aan hunne smart geen woorden), dolorem mutum patiebantur.

260 *Medius* vulgo sed corruptum, Haskins: the transition is very abrupt from the woods and fields to the open sea. Damsté: *mutusque iacet.* Propius ad *mediusque*, accedit *mersusque*, exprimitur *εὕδει πόντος. Mersus* et *medius* IV. 745 confunduntur. Collato V. 434, 443 praetuli Heinsianum *iacet*, pro quo ex interpretatione substitutum esse *tacet* probabilius puto, quam contra pro *tacet*: *iacet.* Ceterum Pontus est deus, qui nunc in fundo dormit. Cf. omnino Aeschyl. Ag. 565 *πόντος ἐν μεσημβριναῖς κοίταις εὕδοι πεσών.*

261 *Nondum* pro *noctis* Bentl. coni., quod incertum sit. quo pertineat *noctis*, ad *quies*, an ad *umbras*; hoc est corrigere auctorem. Magis assentior de sequentibus. ubi *bello* ab eo propositum recepi, pendens ab *addunt.* Porro ex coni. pro *dubiae — menti* substitui *dubias — mentis* (fata addunt stimulos urguentes dubias mentes in proelia); *s* in postremo versus vocabulo excidit; nec singularis aptus *menti*, ubi de multitudine agitur, nec *urguentes* absolute positum. Ceterum *populis* pro *noctis* aeque ac *gelidas noctis*, quod ex nescio quo Voss. affert Oudend., auctoritate iusta caret. Urguere aliquem in proelia, a me receptum, supervacaneam facit coniecturam *urentes* (Bentl.). Tribunos Arimini Caesarem convenisse ipse quoque tradit, Ravennae Appianus.

264 Durae huius constructionis duo exempla e Iustino XXVIII. 3. 10 „regem se constitui laborat" et XXXVI. 1. 7 „se tutorem — substitui a populo laboraverat" affert J. Schmidt, de usu infinitivi ap Luc., V. Fl., Sil. Ital., Halis 1881 p. 114. De *motus* dubito, sed Bentleianum *questus* non probabile.

267 *Mactatis* Heins. contra sententiam, quae est: senatus gloriabundus se extulit caede Gracchorum olim commissa ut idem fatum nunc tribunis minaretur. „Proiectis" explicat Gronovius Obss. IV. 5, p. 566 Lips, non recte.

270 Curio adolescens reges oderat superbos i. e. triumviros, Cic. Att. II. 8. 1 (a° 695), adeo ut eorum arma non timeret: armatos potentis (i. e. triumviros, ad 109 supra) miscere plebi armatae ausus erat;

Ausus, et armatos plebi miscere potentis.
Utque ducem varias volventem pectore curas
Conspexit, Dum voce tuae potuere iuvari,
Caesar, ait, partes, quamvis nolente senatu,
Traximus imperium tunc, cum mihi Rostra tenere
Ius erat, et dubios in te transferre Quirites.
At postquam leges bello siluere coactae,
Pellimur e patriis laribus, patimurque volentes
Exilium, tua nos faciet victoria civis.
Dum trepidant nullo firmatae robore partes,
Tolle moras. Semper nocuit differre paratis.
[Par labor atque metus pretio maiore petuntur.]
Bellantem geminis tenuit te Gallia lustris,
Pars quota terrarum! Facili si proelia pauca
Gesseris eventu, tibi Roma subegerit orbem.
Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi
Excipit aut sacras poscunt Capitolia laurus.

**271** ausis T, **275** tum M, **277** at VUM (corr. ex: ac) AGTL sed a G, solutae m. **278** pellimur — exilium (279) l. Priscianus II. 279. 10, 29ë. 16 H, **279** faciet O, **281** diferre *ex* def. T, **282** agnoscunt O, **286** triumphy M, **287** laurus VM (corr ex lauros) A, lauros UG.

post in tribunatu (a° 704) ad Caesarem transiit, quod a Caesare accepto centies sestertio fecisse arguebatur, Vell. Pat. II. 48. 4, Caelius ad Fam. VIII. 6. 5. Lucanus copiose de eo IV. 690, 800. Haskins fere: miscere = aequare, sed cf. IV. 800; infeliciter Bentley: *atratos.*

278 *Dolentes* pro *volentes* A. Schaefer Obss. crit. in Pharsaliam et Stati Silvas, diss. Monast. 1886. Acute, sed exilium voluntarium dicitur, quod „legitime" *exul* non erat, exilium non erat pronuntiatum, poterat secundum leges redire.

279 „Faciat" Burm. et editiones ante Oudend.

280 „Firmati — patres", Bentl., sed cf. II. 527, I. 692; ducere, trahere in partes Tac. Ann. IV. 60, XV. 51.

281 Non male Richel, (liber ignotus ap. Burm.): *parata.*

282 Eiicit Guyet; Baehrens in marg. adscr.: *favor.* Sententia e nexu supplenda: „quam si differas". Non est γνώμη aut sententia generalis, in qua praesens usurpatur de more, sed ex opportunitate haec verba intellegenda sunt: manum admove, tibi erit magna merces non maiore cum periculo quam postea. Propterea olim futurum *petentur* adscivi, non propter cod. Turrianum, cf. Weber diss. p. 556, sed hoc est reduviam curare. Difficultatem, quae est in petendi verbo sensit Baehrens et Weber: *peti* h. l. dicuntur ingrata, quae non appetenda sunt, cf. Mnem. XVI. 394; patrum memoria haec per hypallagen aliquis explicasset: „par labor pretio" pro „pari labore pretium", sed istis artificiis valedicimus. Alia explicatio: „quam si statim aggrediare", ut sententia sit: „is qui differt petit parem laborem et metum (periculum) maiore cum dispendio" non magis probanda. Bentl.: „merebunt", non probo.

284 Fortasse: *parili* (pro *facili*), vocabulum probum sed rarum eoque corruptum; „*facilis eventus*" insolens. Forma orationis antiquae potissimum latinitatis de duabus actionibus simul perfectis (fut. ex.) h. l. aptissima. Cf. Madv. Opusc.[2] p. 467, sq.

287 Non est *aut* pro *nec* positum, nec scribendum *haut*; posterius enim membrun *aut — lauros* illustrat superius eodemque pertinet, membrum omissum est: „nec victoriarum fructum capies", quod alia sub forma v. 288 legitur. — Inepte Schrader „noscent", Oud. „noscunt" (Weber I. p.XI).

Livor edax tibi cuncta negat, gentisque subactas
Vix inpune feres. Socerum depellere regno
Decretum genero est. Partiri non potes orbem:
Solus habere potes". — Sic postquam fatus, et ipsi
In bellum prono, tantum tamen addidit irae
Accenditque duci, quantum clamore iuvatur
Eleus sonipes, quamvis iam carcere clausus
Inmineat foribus, pronusque repagula laxet.
Convocat armatos extemplo ad signa maniplos,
Utque satis trepidum turba coeunte tumultum
Conposuit voltu, dextraque silentia iussit,
„Bellorum o socii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, decimo iam vincitis anno,
Hoc cruor arctois meruit diffusus in arvis,
Volneraque et mortes hiemesque sub Alpibus actae?
Non secus ingenti bellorum Roma tumultu
Concutitur, quam si Poenus transcenderit Alpis
Hannibal. Inplentur valido tirone cohortes,
In classem cadit omne nemus, terraque marique

**290** genero est *hoc ord.* UMAG, **293** ducem *vulgo*, O, quantum – sonipes (294) l. Servius ad Georg. III. 102 (p. 285 Thilo), quanto m, elaeus A, **294** clauso vulgo O, **295** inmineat M, pulset g, **296** l. Isidorus IX. 3. 50, extimplo V U, **301** arctoos A, **304** quam — Hannibal (305) laudat [Probus] IV. 224. 1 K, **304** transcenderet VAB, transcenderit UM Prob., transcederet T, **305** validae VM (corr m. 2. do) A, tyrone U.

293 Merito Bentl., vulgatam *ducem* impugnans, interrogat, quis sit dux ille diversus ab illo (Caesare), iusto tamen plura mutavit proponens: „in bellum *promto tantum* tamen addidit irae accenditque *facem*, quantum", rell. Hodie nemo amplius haerebit in voc. *pronus* v. 295 repetito; sufficit, opinor, *duci* scribere, interpunctione post *irae* sublata: „tantum irae admovit et accendit duci, et ipsi in bellum prono". „Accendere iram" notum.

294 Vulgo: *iam carcere clauso*, i. e. carcere non amplius aperto, contra sententiam; distinguere autem: „quamvis iam, carcere clauso, inmineat" est molestum, ut recedens a „naturali" iunctura. Repagulis obnititur pectore equus, fores, quas parvo intervallo adspicit, iamiam apertum iri exspectans; his reseratis postremo repagula removentur; catenae h. l. et ap. Sil. It. v. i., Querbalken, Blümner, Philol. Wochenschr. 1890, p. 762, Marquard VII. 1. 255. cf. Sil. It. XVI. 317, Ov. Metam. II. 155; posteriore loco nisus Hosius „pedibusque rep." dedit, sed ibi est „pulsat", cum *laxat* melius convenit *pronus*.

299 Bentleius Lucanum exornat scribens: „*hoc erat*, o socii qui — vincitis anno? *Hoc* cruor Arctois — in arvis Vulneraque et *totiens* hiemes sub *pellibus* actae?" *Pellibus* iam Cortius, quae coniectura postulat ut omittatur *-que*. Bentleianum *hoc erat* nimium habet *πάθος* pro longiore compellatione; post verba illa *qui — anno*, ubi resumitur oratio, elegantius duo vocabula *hoc erat* per anaphoram repeterentur; feremus sane, a mss. oblatum. Memorabile *arctoos* in A.

304 „Hannibal ad portas" superavit, opinor, Alpes, non superat; verum est *transcenderit*.

305 Cohortes, quae certum numerum habent, non sunt maiores aut minores, minus apte dicuntur validae, quam tirones robusta rustica iuventus, cum praesertim Caesar exaggeret apparatum adversariorum. *Agi* (307) metaphora a venatione ducta.

Iussus Caesar agi; quid? si mihi signa iacerent
Marte sub adverso, ruerentque in terga feroces
Gallorum populi? nunc, cum Fortuna secundis
Mecum rebus agat, superique ad summa vocantes,
Temptamur? Veniat dux longa pace solutus
Milite cum subito partesque in bella togatae,
Marcellusque loquax et nomina vana Catones.
Scilicet hesterni Pompeium emptique clientes
Continuo per tot sociabunt tempora regno?
Ille roget currus nondum patientibus annis?
Ille semel raptos numquam dimittet honores?
Quid iam rura querar totum suppressa per orbem,

**308** ruerent in U, que add. m. ant., **311** temptamur VUMAG, longa dux, hoc ord. AG, **312** bellato gatae $M_1$, **313** catonū (ū in ras. 2 litt.) MG, catonis A (nes m. 2 marg.) c, (respicere ad phaleras) et nom. vana Catonum l. Hieron. ep. LVIII. 324 (XXII. 584 Mign.), **314** extremi vulgo O, emptique VUAG, **315** satiabunt vulgo, sociabunt G, *corr. in* saciabunt, **316** regit (m. 2 corr, reget) MB reget A cum rell., **317** dimittit A, **318** subpressa M.

307 sqq. Inversa oratio pro: nunc temtamur victores, quid si signa iacerent? Bentl. „*quod si mihi*, sine interrogatione et per aposiopesin post *populi*; tum signum interrogandi post *temptamur*. Non sequor. Apposite ad : agere cum aliquo secundis rebus Cortius laudat Senecam Ep. 104 (XVIII. 1. 29): „Catonem, cum quo et infestius fortuna egit et pertinacius". *Secundis rebus* est abl. modi, ut prospera fortuna, simm.

310 *Agat* in coniunctivo in Lucano ferendum. Ad *Catones* Heinsius confert: „sacrataque pignora matres" ut legendum VIII. 406, VI. 795, popularia nomina Drusos, Sil. It. VIII. 256.

314 Heinsius: *hesterni* egregie, fortasse ob oculos habens Persium III. 105 : „hesterni Quirites", domini morte hesterna manumissi. Multos Pompeius in Hispania et Oriente civitate donaverat, quorum ope extraordinario et prorogato imperio ornatum Pompeium dicit, eorum vim in comitiis pro re exaggerans poeta. Paene ridiculum tamen esset si *extremi*, ex ultimo orbe arcessiti aut *externi* (nam hoc quoque defensores invenit) conciliasse Pompeio regnum dicerentur. Tolerabilius esset *extremi* per „infimi" interpretari. *Empti* corrupti, ut suffragiis iuvarent. *Esterni* et *estremi* quantum differant quisque videt.

315 Non quaeritur num insatiabilis sit Pompeius, sed quid iam adepturus; „imperium perpetuum ei conciliabunt?" quare amplector quod Gemblacensis dat, *sociabunt*, qui simul quomodo hinc vulgata exstiterit, demonstrat; scribebant: *saciare*. Sic *amicicia* et multa, quae notare vix operae est. *Sociabunt* ante Bersmannum legebatur.

316 Phaethon regebat currus nondum patientibus annis. Questus est pusionis invidi vulgaris: *ille reget currus*. Non multo melius Bentl.: *illen aget*; Burmannus *roget*, bene, sibi arrogabit triumphum, triumphum ipsi victores petebant, ut notum est. Ceterum ex *annis* efficias certam aetatem constitutam fuisse triumpho, sed per se intellegitur, quoniam triumphans dux cum imperio esse deberet, ante aetatem praetoriam non potuisse agi.

318 *Iura* in aliquot editionibus manifesta coniectura aut mendum est; *quid frumenta* Guyet; *farra* Bentleius, et Schraderus, ignorans Bentleium, et Dorvillius teste Oud. (Weber Praef. p. XIV), quod satis humile est, praesertim in invectiva, in qua cavendum maxime est, ne quid dicatur, quod in risum possit detorqueri; si de alimento rusticorum Romanorum sermo est, *far* pro genere frumenti quodam proprie dicitur (Liv. 23, 19), hoc vero loco de toto orbe agitur. Similiter in sacris proprie *far* usurpatur, unde infringitur quodammodo argumentum quod Bentleius protulit ex Prudentio c. Symm. II. 911 (Obb.): „Palladiis quod farra focis — negentur". Iam conferas

Ac iussam servire famem? Quis castra timenti
Nescit mixta foro? gladii cum triste micantes
Iudicium insolita trepidum cinxere corona,
Atque auso medias perrumpere milite leges
Pompeiana reum clauserunt signa Milonem?
Nunc quoque ne lassum teneat privata senectus
Et docilis scelerum Syllam vicisse magistrum, 326
Bella nefanda parat, suetus civilibus armis. 325
Utque ferae tigres numquam posuere furorem,
Quas nemore Hyrcano, matrum dum lustra secuntur,
Altus caesorum pavit cruor armentorum,
Sic et Syllanum solito tibi lambere ferrum
Durat, Magne, sitis: nullus semel ore receptus
Pollutas patitur sanguis arescere faucis.
Quem tandem inveniet tam longa potentia finem?

**320** micantes umAE, minantes G, gladio M (corr. in vulg. m. 2), **322** auso corr. ex ausum aut ausū in M, -sum g, versus in G omissus in fine pag. suppletus, aque factum ex atque T, reges 1. m. T, *Versum l.* Beda in Psalm. 33 (XCIII. 655 Migne), **326** syllam semper libri, Sullam scelerum (hoc ord.) vulgo, sceleris M (Steinh.), **328** secuntur UM, **331** hore T, **332** mansuescere vulgo O, **333** tamen vulgo O.

v. 344, „quae rura dabuntur, quae noster veteranus aret?" (nempe suppressa erant) et 170 „longa sub ignotis extendere rura colonis", et apparebit a Lucano rura dici praedia rustica, agros cultos, rusticationes et per *δείνωσιν* de toto orbe dici, quod Italiae proprium erat, nempe agriculturam iacere. In sequentibus Bentleius secundum Prudentium l. l. 915: „et tristem saevire famem, totumque per orbem" emendat; Prudentio sine dubio hic locus in memoria haeret, sed eum pro opportunitate mutat. Cf. Plut. Pomp. 49: *Κλώδιος δ' ᾐτιᾶτο μὴ γεγράφθαι τὸν νόμον διὰ τὴν σιτοδείαν, ἀλλ' ὅπως ὁ νομος γραφείη, γεγονέναι τὴν σιτοδείαν*, infra III. 152, App. Civ. II. 18 (Pomp. acerbius per totum orbem frumenta exegit et rapinis suis a re rustica factitanda absterruit). — Heins.: *quo iam*, sine causa. *Fames* pro famelicis. Pertinent 319, sqq. ad a. 57.

320 Quod splendet et nitet plerumque exhilarat; *triste micantes* oxymori simile; contra post *minantes triste* fere supervacaneum est. Prius revocat in mentem scenam Milonianae. Bentl. laudat Stat. Theb. IV. 154: „nec enses triste micant".

322 Intellege de operis Clodianis: manu armata aggressus erat Clodius Milonem, sed Milo accusatur medias leges perrumpere = mediam pacem turbare. Bentl., *irrumpere*, sed medium perrumpere proverbialis ratio loquendi = prorsus.

324 Sullam *continuit* a caede senectus privata. Ut *teneat* intellegatur, mentio Sullae statim sequi debet, quare 326 ante 325 collocavi, quo nervosius etiam periodus desinit in: *bella nefanda parat.* Porro scripsi „docilis scelerum Sullam v. m." *Docilis* adsciscit genetivum (Hor. „docilis modorum", Sil. It. XII. 726) et *διὰ μέσου* positum *scelerum. Sceleris* Hos.

329 Guyetus: *ater.* Sed cruor est in lustris, ubi quasi fluvius currit; *secuntur* non recte intellectum est. Cf. praeterea multo duriora III. 572, II. 214. — Lucanus in 575 versibus habet singulos spondiacos (omnino 14), cf. M. Manitius, Rhein. Mus, 1891 pag. 622.

332 Imitatus hunc locum Claud. Ruf. II. 8 habet *arescere*, quae antiqua lectio esse videtur, et melius convenit cum *pollutas* quasi *madidas*. Quidam codd. Claud. „mansuescere". Cf. Jeep. Ad sanguis cf. L Muller[2] p. 399.

333 *Tandem* Bentl.; id convenit stomachanti. *Tamen* recte se haberet si superiora

Quis scelerum modus est? Ex hoc iam te, inprobe, regno
Ille tuus saltem doceat descendere Sylla.
Post Cilicasne vagos, et lassi Pontica regis
Proelia, barbarico vix consummata veneno,
Ultima Pompeio dabitur provincia Caesar,
Quod non victricis aquilas deponere iussus
Paruerit? Mihi si merces erepta laborum est,
His saltem longi, non me duce, praemia belli
Reddantur, miles sub quo iubet iste triumphet,
Conferet exsanguis quo se post bella senectus?
Quae sedes erit emeritis? quae rura dabuntur,
Quae noster veteranus aret? quae maenia fessis?
An melius fient piratae, Magne, coloni?
Tollite iampridem victricia, tollite signa.
Viribus utendum est, quas fecimus, arma tenenti
Omnia dat, qui iusta negat. Nec numina deerunt,
Nam neque praeda meis, neque regnum quaeritur armis:
Detrahimus dominos urbi servire paratae".
Dixerat, at dubium non claro murmure volgus

**334** iam te (hoc ord.), O, modus te iam te hoc T, **335** saltim (i in ras) MA, descendere VUM, discedere AG, **336** vagas e corr. m 2ae M, **337** barb. — veneno est (*sic*) l. Oros, VI. 1. 29, **338** provintia G, **340** paruerim corr. ex — ram M, paruerit a, paruerim rel., vulgo, **341** me duce VU, cum duce MAGTL, saltim (*i* in ras.) MA, **342** quolibet *vulgo* O, **343** exanguis V, **344** quae — aret (345) l. Serv. D. A. XII. 359, **345** menia (o supra scr.) MG, **346** l. Servius ad Georg. IV. 127 et A. XII. 359, aut V *ap.* Serv., fiant VH *ap.* Serv.. figent P, ib., magne corr. ex magni M, **347** l. Prisc. 348. 5 H, victricia toll. signa *l. dem* p. 166. 7, **349** neque V b, derunt (altera e deleta) M A (e altera supra scr.) desunt G, deerunt g, versum [349] laudat Lact. Stat. Theb. II. 466, **350** nam nec p. m. neque AMG.

approbationem continerent. Denique *tandem* aptum est temporis significationi, quae est in *iam*, proximo versu, quam particulam ab emphatico loco, quem tenet in codd., iniuria aliquot editores removerunt.

340 Vere m. 2 in marg. A, quae antiquior est quam quae interlinearia scripsit, praebet tertiam personam. Durus transitus est ad primam.

342 Vulgo: „sub quolibet iste triumphet". „Miles *iste*" e more Lucani potest significare: „miles meus", sed non hoc loco, ubi milites ipsos compellans dux cavere debet ne eos videatur contemnere. Ex *quolibet* s. *quolubet* si *l* in *i* mutes, sententia et verba recte se habent; cum irrisione, Pompeius, inquit, indicet ducem, sub quo victor exercitus moenia intret. Cum hac emendatione aeque ac cum vulgata pugnat: „non cum duce", v. 341, quod Oudendorpio, Cortio, aliis placuit. Concessiva sunt *reddantur*, *triumphet*; apodosis loco est: *conferet — fessis* i. e., at Pompeius rura dare non potest (cf. 318). Littera L obliquo ductu exiguo, facillime in capitali scriptione cum I permutatur.

346 *An*, rell. i. q. an melius feretur nunc, quod olim factum est, et nunc fortasse vis, ut piratis agri dentur, cf. Pomp. Mela I. 13, Vell. Pat. II. 32. 4, infra II. 579.

352—358 Haec omnia nimis copiosa (non claro murmure = secum, feras mentes = animos tumentes, summi munera pili gerens, pro: primus pilus; insignia doni = quercum) moverunt Bentleium, ut improbabilia proponeret: „penates *Perstrinxere* feras", „insignia *coni*" (357). Acute hoc, et vere, si conus esset praemium.

Secum incerta fremit: pietas patriique penates
Quamquam caede feras mentes animosque tumentis
Frangunt; sed diro ferri revocantur amore
Ductorisque metu. Summi tunc munera pili
Laelius, emeritique gerens insignia doni,
Servati civis referentem praemia quercum,
„Si licet, exclamat, Romani maxime rector
Nominis, et ius est, veras expromere voces;
Quod tam lenta tuas tenuit patientia vires,
Conquerimur. Deeratne tibi fiducia nostri?
Dum movet haec calidus spirantia corpora sanguis,
Et dum pila valent fortes torquere lacerti,
Degenerem patiere togam, regnumque senatus?
Usque adeo miserum est civili vincere bello?
Duc age per Scythiae populos, per inhospita Syrtis
Littora, per calidas Libyae sitientis arenas.
Haec manus, ut victum post terga relinqueret orbem,
Oceani tumidas remo compescuit undas,
Fregit et arctoo spumantem vertice Rhenum.
Iussa sequi tam posse <iuvat>, quam velle necesse est.
Nec civis meus est, in quem tua classica, Caesar,
Audiero. Per signa, decem felicia castris,
Perque tuos iuro quocunque ex hoste triumphos,
Pectore si fratris gladium iuguloque parentis
Condere me iubeas, plenaeque in viscera partu
Coniugis, invita peragam tamen omnia dextra;
Si spoliare deos, ignemque inmittere templis,

**354** tum̄tis A, **355** duro V, **356** munere (corr. in vulg. m. 2) M, **358** querquum M, **359** scilicet UMgT, **360** ius est VUMATG, „etiam fas est" supra scr. U „pro etiam fas" suprascr. V, depromere V, **361** quid (*o* supra scr. m. 2) M, leta corr. in vulg. M, **362** deerat ne A (corr. in: deratne m. 3), d. an T, fidutia G, **367** scithiae VU, sirtis VUG, **368** libiae V, lybies U, harenas G, **370** verticae M. **372** ulle T, supra scripta *e*, iuvat *Withof*, mihi *vulgo* O, **375** cocunque $M_1$, **376** parentes $M_1$, **378** invita *it* in ras V **379** s. M.

365 „Degeneris togae" Schrad. sine causa.

367 Syrtis accusativus est cf. 313. *Campos* pro *populos* Bentl.

371 Iracundum et tumidum Rhenum. Cf. Hor. Carm. II. 9. 21: „Medumque flumen, gentibus additum, minores volvere vertices", Bentl.: „irato vertice", non necessaria emendatio.

372 *Mihi* irrepsit ex interpretatione et pepulit vocabulum illud, quod solum aptum sententiae est. Obscure Schrader: „*meum* quam". Bentleius „hanc fraudem et caliginem" defendit „Senecarum loquendi modo", quo *tam* et *quam* negligenter commutentur. Eo defenderetur „quam possum tam volo" et contrarium: „tam p. quam v.", sed non „posse necesse est".

Numina miscebit castrensis flamma monetae;
Castra super Tusci si ponere Tibridis undas,
Hesperios audax veniam metator in agros.
Tu quoscunque voles in planum effundere muros,
His aries actus disperget saxa lacertis,
Illa licet, penitus tolli quam iusseris urbem,
Roma sit". His cunctae simul adsensere cohortes,
Elatasque alte, quaecumque ad bella vocaret,
Promisere manus. It tantus ad aethera clamor,
Quantus, piniferae Boreas cum Thracius Ossae
Rupibus incubuit, curvato robore pressae
Fit sonus aut rursus redeuntis in aethera silvae.
  Caesar ut acceptum tam prono milite bellum
Fataque ferre videt, ne quo languore moretur
Fortunam, sparsas per Gallica rura cohortis
Evocat, et Romam motis petit undique signis.
Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno,
Castraque, quae Vosegi curvam super ardua rupem,
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.
Hi vada liquerunt Isarae, qui gurgite ductus
Per tam multa suo, famae maioris in amnem

**380** l. Acro Hor. C. I. 35. 36, **381** tibridis U, tybridis V, thybridis G, thibr. A, signa A (in marg. castra m. 2) T, **382** moetator V, l. Isidorus X. 179, et Serv. Georg. II. 274, veniat Is., **386** assensere VUG, adsensere MA, hic m. rec. in M, **387** elatasque — manus l. Servius Aen. XII. 258, Lact. Theb. III. 669, **388** in aethera V, tunc tantus T, **389** nubiferae VuaG (pinif. g), threicius G, **390** praessae M, **396** lemanno O Is., l. Isidorus IX. 2. 94, Serv. Georg. IV. 278 et 426, schol. Bern. Georg. IV. 427, **397** ripam UM (in lit.) ATG vo*ge*si, U, vo....si M, *ge* supra scr. m. rec., vosegi G *sed* s *et* g *alium colorem habent, in* A *in marg,* fluvius, curvā s. a. r. m. 2 A, **398** lingones VUATG lingonas M, **399** gurgit.e ductus M *fortasse e*: gurgite eductus, **400** multa, supra t scr., ⊢ (= h ?),

380 Incendium e castris illatum liquefaciet deos (*signa*) eosque nummis (*monetae*) miscebit (cudet conflatis signis nummos). De simulacris conflatis cf. Mayor ad Iuven. XIII. 153, Seneca Exc. Controv. IV. 4 med.

383 *Effundere* suspectum.

388 „Promittere manus" ante Lucanum nemo usurpavit, post eum Statius Theb. IV. 352, al. Est porrigere, προτείνειν. Etymon vocis in novando secutus est Lucanus.

392 *Fataque ferre* huc quoque pertinet accusativus *bellum.*

395 Bentl.: „ut — petat", quoniam Arimini opperiebatur copias, non Romam petebat, quasi *petere* non possit improprie dici.

397 *Vosegi* (les Vosges) habet unus G, reliqui, quamvis diversi inter se, tamen in ultima syllaba: *si* consentiunt. *Lemanno,* cum duplici *n,* omnes. Schol. Bern. apud Hosium p. XII nota 2 item *vosegi.*

400 *Per tam culta, tot culta, loca culta* con iecerunt, qui non satis ad oppositum (tamen nomen non pertulit ad mare) attendentes elumbem orationem iudicaverunt. Fort.: „per sata multa".

Lapsus, ad aequoreas nomen non pertulit undas.
Solvuntur flavi longa statione Ruteni;
Mitis Atax Latias gaudet non ferre carinas,
Finis et Hesperiae, promoto limite, Varus;
Quaque sub Herculeo sacratus nomine portus
Urguet rupe cava pelagus: non corus in illum
Ius habet aut zephyrus, solus sua littora turbat
Circius, et tuta prohibet statione Monoecum,
Quaque iacet littus dubium, quod terra fretumque
Vindicat alternis vicibus, cum funditur ingens
Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert.
Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet,
Destituatque ferens, an sidere mota secundo
Tethyos unda vagae lunaribus aestuet horis,
Flammiger an Titan, ut alentis hauriat undas,
Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera ducat,
Quaerite, quos agitat mundi labor, at mihi semper
Tu, quaecumque moves tam crebros causa meatus,
Ut superi voluere, late. Tunc rura Nemetis
Qui tenet, et ripas Aturi, qua litore curvo

**402** ruteni VUAG uteni *deleta* 1a *litt.* M (*voluit fort.* riteni), **403** ferrae m, **404** milite UvM (*in lit. 2a sed antiqua manu*) g, **405** numine VUmA, nomine GM, pontus m (m. 2), **406** urget VUA (s. s. u), chorus O, **407** zephirus VU, **408** cirthius VG, meneci VU, menoeci M (*me* in lit. supra scr. *o*) A G, (s. s. ti), monoecum *emendavi*, **4C9–411** l. Serv. D. A. VII. 225, **410** vendicat VU, **411** refiuis Servius ad Aen. II. 225? qui haec habet „refuso autem refluo,ut Lucanus indicat", **412** ventus — labor (417) l. Serv. Georg. II. 479, **413** sydere U, distituat M, destruat T, **414** tethios VU, tetyos A, aestuat M, vage g. oris A, **415** tytan VU, l. Beda mundi const. XC. p. 906 Mign., **416** tollat UGA var. l. in C, ludat M corr. in: ducat, *sic* a, V Serv. C, **4J5** et **416** laudat C ad IX. 313 scribens alentis auriat, et per compendium F. A. S. T[ollat]. **419** ut — late laud. Diom. 434. 34 K, lates VUG, late MA (ubi *te* s. s. m 1) Diom.., tum V, **420** satyri UAgT satiri V, saturi a g, atyri M, m. 2 add. s, aturi G, saturis c.

408 Securi aut nihil monent editores, aut *nautas* intellegendum dicunt. Sed iniuria; id non potest omitti. Praeterea Circius (*mistral*) infestat oram; quomodo igitur praesidis dei statio in illa ora tuta esse potest? *Monoecum* legendum est; Circius facit ut deus tutam stationem non habeat aut nautis offerat. In fine versus istiusmodi corruptelae saepius irrepserunt. Guyetus: *tua litt. Monoece.* De re cf. Sil. I. 585. Portus est Herculis Monoeci, inde „nomine" v. 405. *Numine* Hos.

410 Hodie *Crau* dictum cf. Plin. III. 34, Strabo p. 187 C.

413 „Destituitque ferens" = quod fert, ratio loquendi Graecis magis familiaris quam Latinis; confert Haskins VII. 417.

416 *Ducat* = trahat cf. X. 252, VIII. 720. Hosius *ducat* defendit comparans IV. 81, VII. 5, X. 252, quae non sufficiunt. Eodem iudice *ducat* dixisset L. ut simul imitaretur, simul diversus esset ab exemplo suo Verg. A. I. 103 „fluctusque ad sidera tollit".

419 *Nemausi* probabiliter Schrader.

420 Aturi lectionem stabiliunt codd., apud Ausonium Mos. 468 „Aturrus", cf. intpp. Tib. I. 7. 4; hoc tantum loco ŭ. *Aturis*

Molliter admissum claudit Tarbellicus aequor,
Signa movet, gaudetque amoto Santonus hoste,
Et Biturix, longisque leves Suessones in armis,
[Optimus excusso Leucus Rhemusque lacerto,
Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis]
Et docilis rector constrati Belga covinni,
Arvernique ausi Latio se fingere fratres,
Sanguine ab Iliaco populi, nimiumque rebellis
Nervius et caesi pollutus sanguine Cottae,
Et qui te laxis imitantur, Sarmata, bracis,
Vangiones, Batavique truces, quos aere recurvo
Stridentes acuere tubae; quos Sulga pererrat
Gurgite, qua Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim, qua montibus ardua summis
Gens habitat cana pendentis rupe Gebennas.

**421** recipit u, tarvellicus g, **422** sanconus V, sanctonus G, **423** bitures UM (es in ras.) a, bituris c, sessones UPc, sas$^{e}$sons M (e a 1 m.), saxones G, **424** remique V, remusq M, remisque T, obtimus M, **425** girum VG, obtima M, **426** monstrati OT$^{i}$, covinni O, quovenni C, **427** latiis UvmL, latius a, latio uMAG (corr. ex -is), latios V, latios T, averni M r add m. 2, alverni G, arveni T, **429** faedere Cottae U, fidere a (marg.), foedere m (marg.) b L, sanguine m (v. l. in marg.), sanNine, corr. in sanHine, s. s. m. 2 *n*, M, **430** bracis VMAG, brachis m (bracis suprascr: Ͱ) $^{o}$sarmate M, $^{c}$cote T quottae C, **431** vere T corr in vulg, batabique A, vatubique truces schol. Iuven VIII. 51, **432** qua vulgo, O, Cinga vulgo, O, **433** rodanus U, rap$^{t}$im A, **435** pendenti g.

Quicherat, temere. — Tarbellicus pro regione, quam incolit. Includit eius regio partem oceani, qui incurrit in effluvia Aturis, molliter admissus i. e. leniter declivi ripa. (Hosius affert Sabbŭra IV. 722, qui apud Caes. b. c. II. 38 *Saburra* dicitur, cf. 675).

422 „Gaudent — Santonĕs" Heinsius, quod *Suessones* plurale sequitur; quid pro *Biturix* voluerit, non traditur.

424 et 425 proscribit Schaeferus, diss. Monac. 1886, p. 15. Cf. II. 606.

426 *Monstrati*, quod omnes codd. habent, corruptum puto cum Heinsio ex *constrati*. Vehicula constrata Curtius IX. 10. 25. *Rostrati* alii post Bersmannum, sed currus falcatos novimus, non memini rostratos legere; sine causa Burmannus requirit currum bellicum.

428 *Populos* Bentl. quod Arverni se fratres *fingebant*, honoremque Aeduorum falso sibi arrogabant. Erravit fortasse poeta. Pluralis potius minus h. l. aptus, qui saepius sane a Lucano usurpatur de uno populo, sed non ubi politica (origine communi) natio significatur, sed turba infinita; conicio *populus*. Cf. Sidon Apoll. Epist. VII. 7.

429 Nervii se iunxerunt Eburonibus, post caedem Cottae Caes. b. G. V. 38.

431 Schraderus: „aera recurva stridentesque" secundum Ovidium: „non tuba *directi* non aeris cornua *flexi*"; quod vereor ne sit poetam potius quam librarios corrigere. *Batavi*, rectius *Batăvus*, certe usitatius.

432 *Quos Sulga* debetur Bentleio; Sulga flumen in Rhodanum influens, *Σούλγας* Straboni IV. 1, 185, idem nomen Weber, probatus Haskinsio. *Pererrare* absolute dici non potest, quod si ita est, flumen restituendum in vicinia Rhodani. Cinga in Gallia ignotus.

435 Locum aliquem significari in declivi monte situm verbum *pendentes* ostendit;

Tu quoque laetatus converti proelia, Trevir,
Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decore
Crinibus effusis toti praelate Comatae,
Et quibus inmitis placatur sanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus Hesus,
Et Taranis Scythicae non mitior ara Dianae.
Vos quoque, qui fortis animas, belloque peremptas
Laudibus in longum vates demittitis aevum,
Plurima securi fudistis carmina, Bardi.
Et vos barbaricos ritus moremque sinistrum
Sacrorum, Druidae, positis repetistis ab armis;
Solis nosse deos et caeli numina vobis,
Aut solis nescire datur. Nemora alta, remotos

[Pictones inmunes subigunt sua rura; nec ultra
Instabiles Turonas circumsita castra coercent.
In nebulis, Meduana, tuis marcere perosus
Andus, iam placida Ligeris recreatur ab unda;
Inclyta Caesareis Genabos dissolvitur alis.]

**436–440** infra positos om. OTR, habet m, in marg. m. rec saec XIV abscisis versuum initiis his: picto, instab, inne, andus, i, **436** immunis subigit m, **441** hunc versum om. M, **442, 443** l. Prisc. 264. 12 H, **442** decore VUMAG Prisc., decora m, corr Prisc, tonsa A (se marg.), legur, corr. in vulg. G, **443** cometae V, praelatae M, **445** theutates U, aesus V, haesus M, esus AG, **446** caranis G (taranis 2 m. s. s.), l. Prisc. II. 175. 4 et 308. 5 H, **447** fortis corr. in -es V, **448** dimittitis VU, **449** laud. Festus p. 34.11 M, **451** driadae VUC, dryadae M, druides G, **453** datum est VAgT, datur UMP, datum m G, alia M, remoti, s add. 1 m. M, remotis rell. vulgo.

de tractu montium (Cevennes) aut de urbe (Genève) propterea cogitari nequit. *Cana* intellego de nive (nusquam *cava*).

436–440 Horum quinque versuum „auctorem esse Marbodum Rhedonensem Episcopum ex monasterio San Sergiensi tradunt ante annos quingentos". Guyetus. Desunt a prima manu in omnibus nunc notis codd., eosque iam Grotius obelo confixit. Auctor eorum aegre tulit quod nulla suae regionis mentio facta esset. Cf. Oud. et Lejay editionis p. CI (qui de Marbodo dubitat et clericum alium paulo recentiorem, post a. 1123, in eadem regione eos finxisse opinatur).

441 Converti cf. IV. 163.

445 „Teut, vates" Bentl. Sed conf. Lactantius de falsa rel. I. 21 qui Esum atque Teutaten nominat. Teutates est Mercurius. Cf. de toto hoc loco L. Paul, das Druidentum J. Jahrb. 145 (1892) p. 784 sqq.

446 Iunge: et ara Taranis non mitior (arā) Dianae.

448 *Οὐάτεις* cum Druidis et Bardis erant tres ordines sacerdotum, cf. Strabo IV. 4. 4, Paul. l. l. 784. Sed *vates* h. l. appositum est voc. *Bardi* et appellativum, ut Paul quoque vidit.

449 Heinsius teste Burmanno in suo cod. mire *securos* sollicitat, *cirrigeros* et simm. coniciens; erant nunc soluti metu Romanorum. „Positis ab armis" = ex quo subiecti estis.

452 Oudend.: „caeli lumina" ex „veterrimo Regio" collato Caes. IV. 14 („multa praeterea de sideribus disputant") et Mela III. 2, probabilius quam Bentl. *munera*. *Numina* tamen intellegi potest de voluntate deorum; Mela l. l.: „quid dei velint scire profitentur". Paulo post Bentl.: remotos vos colitis lucos", a quo *remotos lucos* mutuatus sum; nemora non sunt pars

Incolitis lucos. Vobis auctoribus umbrae
Non tacitas Erebi sedes Ditisque profundi,
Pallida regna petunt: regit idem spiritus artus
Orbe alio, longae (canitis si cognita) vitae
Mors media est. Certe populi, quos despicit arctos,
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urguet, leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animaeque rapaces
Mortis, et ignavom, rediturae parcere vitae.
Et vos, cirrigeros Belgis arcere Chaucos
Oppositi, petitis Romam, Rhenique ferocis
Deseritis ripas, et apertum gentibus orbem.
  Caesar, ut inmensae conlecto robore vires
Audendi maiora fidem fecere, per omnem
Spargitur Italiam, vicinaque maenia conplet.
Vana quoque ad veros accessit fama timores,

**454** lucis vulgo O, **455** herebi V, **456** regit – alio (457) l. Serv. Georg. I. 243, regit – vitae (457) l. Serv. A VI. 532, Myth.' Vat. III. 6. 25, **458** certe om. V, caer.t.e (sic) M, *t* a 2 m. in spatio 3 litt, ex corr., arcthos V, artos. s. s. c M, deficit T, **460** loeti VMAG, inde – viris (461) l. Lact. ad Stat. Theb., IV. 231, ruenti Lact. **461** fertum Lact., animaeque – vitae (462) l. Porphyrio Hor. C. IV. 14. 49, **462** ignavum est V, **463** crinigeros AG, caycos vulgo, caducos a (m. 2 marg.), chaicos G, bellis vulgo. O, **464** feroces O, vulgo, **467** fecere fidem G, sed corr., **468** complent A,

lucorum. Corruptio in fine versus et simili exitu in proximo vocabulo facile intellegitur.

460 Propter insolentem iuncturam *ruendi pronus* Bentl. dubitanter: „profecto (sic) in ferrum mens promta viris", non reputans „in ferrum promtus" minus apte iungi quam „in ferrum ruendi", *pronus* autem construitur ut *avidus*. „Promtus ad ferrum" est paratus ad pugnam, „pronus r. i. f." contemnens mortem, proclivis i. m., quod sine causa damnat Bentl.

461 *Capaces* Haskins explicat: great enough for death. Sed qui mortem timet etiam notionem mortis animo continet. *Rapaces* Heinsius, i. e. avidae mortis. Lucano hoc aptum. Cf. Burm. ad IV. 278.

465 In enumeratione 396–465 per septuaginta versus continuata admodum laxa constructio est. *Deseruere* (396) sc. cohortes omnia loca etiamtum obsessa; *hi* (399) non habet ad quod respondeat; *quaque* (405) caret apodosi, ubi dure supplendum *gaudet* sc. portus; *qui tenet* (420) est Romanus, sed ambiguum verbum; *gaudet* (422) nimis longe a subiectis omnibus usque ad 435 remotum.

463–465 Non genuinos putat Trampe Sent. Contr. in diss. 3. *Belgis* Bentl., *terris* Schrader. — Cayci (sic omnes libri 463, non *cauci*) sunt Chauci, quos Claudianus Stilich. I 223 *Caücos* secundum Heinsium, secundum postremum editorem Chaŭcos nominat, quem secutus sum, *Amnem* probabiliter Bentl. pro *orbem*, quamquam incerta correctio. *Feraces* Schrader, quo non opus, cum *ferocis* genitivus sit, quem librarii pro accusativo perperam habuere.

468 In verbis *Caesar spargitur* iocatur Bentleius: „Actaeonis aut Pentheos instar". Si, non felici audacia, sic L. dixit pro „rumor de Caesare spargitur", supervacanea sunt „vicinaque moenia complet", nisi vero hoc „complet" rursus infelicissimo zeugmate de ipso Caesare dictum est. Sed „Caesar" metonymice pro exercitu eius dicitur; equites ubique spargunt terrorem et omnia (hyperbole: „omnem Italiam) infestant. — Bentl. v. 466 *terror* pro *Caesar*, sed post digressionem eius nomen aegre desideratur. Idem v. 468 „Romanaque moenia".

Inrupitque animos populi, clademque futuram
Intulit, et velox properantis nuntia belli
Innumeras solvit falsa in praeconia linguas.
Est qui, tauriferis ubi se Mevania campis
Explicat, audaces ruere in certamina turmas
Adserat, et qua Nar Tiberino inlabitur amni,
Barbaricas saevi discurrere Caesaris alas;
Ipsum, omnis aquilas conlataque signa ferentem,
Agmine non uno densisque incedere castris.
Nec, qualem meminere, vident: maiorque feroxque
Mentibus occurrit, victoque inmanior hoste.
Hunc inter Rhenum populos Alpemque iacentis,
Finibus Arctois patriaque a sede revolsos,
Pone sequi, iussamque feris a gentibus urbem,
Romano spectante, rapi. Sic quisque pavendo
Dat viris famae, nulloque auctore malorum,
Quae finxere timent. Nec solum volgus inani
Percussum terrore pavet, sed curia et ipsa;
Sedibus exiliere patres, invisaque belli
Consulibus fugiens mandat decreta senatus.
Tunc quae tuta petant, et quae metuenda relinquant
Incerti, quo quemque fugae tulit inpetus urguent,

**470** irrumpitque U, **471** innuit s. s. V, **472** praecordia Prov., inmeras, nu s. s. m. 2 M, **473** et **474** l. Priscianus 361. 10 H, **473** et (sic) qui — afferat (475) l. Lact. ad Theb. IV. 368, m.ae vania M, maevania A, **474** audace, *s* add m. 2 M, **475** asserat V, afferat UG Lact., adferat M, rell., inlabitur UA, **476** discurrere, rr in ras ex corr, **477** conlata M, conl. A, **478** incaedere A, **479** feroxque GT, ferusque g c rel., **480** inmanior UM, hostae M, **481** l Prisc. 328. 16 H, tunc VmC Prisc., Nunc s. s. *t* M (N ex H fort. natum cf. v. 429), nunc B, hunc, rell. vulgo, alpem Prisc. propter singularem numerum locum afferens. **482** arcthois V, ab g, revolsos M, *u* s. s. m. 2, **483** agitantibus M. (corr. m. 2), A (agentibus m 2 marg.), **484** rom. sp. r. l. [Prob] IV. 244. 29 K, **486** quae f. timent l. Lact. Theb. III. 661, inane M, **487** percussum O, perculsum L, ipsi vulgo, O, **488** exiluere VG, exsilere U, exsiliere M, exsiluere A, **490** tunc „leg. et cum" 2 *m s. s.* G, quae „leg. et qua" G, petant, *u* s. s. m. rec. M, relinquant *u* s. s. m. 2 M, relinquent A, **491** urget (urguet) O (*non:* urguent).

470 „Clademque futuram" corrupta sed incerta emendatio i. q. et praenotionem futurae cladis indidit animis.

478 „Densis castris", stipatis, pleno exercitu. Bentl. infeliciter *carris*. Praestaret *turmis*.

479 *Ferox* Bentl. quoque et 480 *Alpem*, cf. III. 299. Alpini i. e Alpim Dav.

487 *Percussum* cf. II. 234.

488 *Exiliere* propter U M, quorum consensus tali in re gravis, cf. Neue II. 482. Senatuscons. ultimum factum est secundum Caesarem B C I. 5 a. d. V Id. Ian., ante Ariminum occupatum, secundum Lucanum medio mense post loca munita in Italia media obsessa. Bentl.: *iniussaque*.

491 *Urguet* non probandum contra usum; post sing. *inpetus* librarii singularem desiderarunt. Bentl. mutat: *praecipitem cur-*

Praecipitem populum, serieque haerentia longa
Agmina prorumpunt. Credas aut tecta nefandas
Corripuisse faces, aut iam quatiente ruina
Nutantis pendere domos: sic turba per urbem
Praecipiti limphata gradu, velut unica rebus
Spes foret adflictis patrios excedere muros,
Inconsulta ruit. Qualis, cum turbidus auster
Reppulit a Libycis inmensum Syrtibus aequor,
Fractaque veliferi sonuerunt pondera mali,
Desilit in fluctus deserta puppe magister
Navitaque, et nondum sparsa conpage carinae
Naufragium sibi quisque facit, sic, urbe relicta,
In bellum fugitur. Nullum iam languidus aevo
Evaluit revocare parens, coniunxve maritum
Fletibus, aut patrii, dubiae dum vota salutis
Conciperet, tenuere lares; nec limine quisquam
Haesit et extremo tunc forsitan urbis amatae
Plenus abit visu: ruit inrevocabile volgus.
O faciles dare summa deos, eademque tueri
Difficiles! Urbem, populis victisque frequentem
Gentibus, et generis, coeat si turba, capacem
Humani, facilem venturo Caesare praedam
Ignavae liquere manus. Cum pressus ab hoste
Clauditur externis miles Romanus in oris,

**492** seriae M, **496** limphata VUAG, **497** aflictis V, adflictis *f* s. s. m. 2 M. afflictis G, **499** reppulit O, lybicis O, inmensum UM, **501** des. p. m. l. Consentius V 355. 17 K, pupe M, **502** conpage MA, **505** revocare, *vo* in lit. 2 m. M, coniunxve VUM, coniuxque AT, **506** haut, *h* supr. scr. m, aut V, salutis VU, **507** limina, corr. m. 2: liminae M, conciperent vulgo, O, **508** cum fors. Ug, extromo (e supr.) M, **509** inrevocabile O, **510** O faciles — difficiles (511) l. Acro Hor. C. I. 5. 6, **511** frequentem, *fr* in ras. U, **514** host e M, ingratae? T, **515** horis VM (h in ras.) T, horis A.

*sum*; nec melius: *perrumpunt*: ex loco incluso in liberum prodeunt (*pro-*). Idem 496 *ancipiti*, 499 *inversum*, 503 *pace* (pro *urbe*).

504 *Natum non* Withof., Burman, *nullis* — *fletibus* Heinsius, sed *nullum* obiectum ante *tenuere* (507) necessarium. Bentl.: „*non natum* — maritum *ritibus* aut *patriis* dubiae dum vota *saluti conciperet*, tenuere lares".

507 *Conciperet* Oudend. recte post *nullum*; vix inter tot plurales immotus esse potuit singularis (Dav. *-ret*).

509 *Irrevolubilis unda* Bentl.

510 Cf. Sil. It. XI. 6: „heu nimium faciles laesis diffidere rebus". Cf. J. Schmidt, de usu infinitivi, diss. Hal. 1881, p. 96, sq.

511 Cf. ad IV 800.

514 sqq. Heinsius, quem secutus sum, sententiam continuans signum interrogandi ponit post *muris*, 520. Idem Heinsius dicitur V 514 *tum* maluisse, manifesto errore; sine dubio voluit *cum clauditur — effugit, tu — desereris?* V. 517 malim *subito* — *munimine*, ne *munimine* sit supervacaneum.

Effugit exiguo nocturna pericula vallo,
Et subitus rapti munimine cespitis agger
Praebet securos intra tentoria somnos:
Tu tantum audito bellorum nomine, Roma,
Desereris, nox una tuis non credita muris?
Danda tamen venia est tantorum, danda pavorum:
Pompeio fugiente timent. Tunc ne qua futuri
Spes saltem trepidas mentes levet, addita fati
Peioris manifesta fides, superique minaces
Prodigiis terras inplerunt, aethera, pontum.
Ignota obscurae viderunt sidera noctes,
Ardentemque polum flammis, caeloque volantis
Obliquas per inane faces, crinemque timendi
Sideris, et terris mutantem regna cometen.
Fulgura fallaci micuerunt crebra sereno,
Et varias ignis denso dedit aëre formas:
Nunc iaculum longo, nunc sparso lumine lampas
Emicuit caelo. Tacitum sine nubibus ullis
Fulmen, et arctois rapiens e partibus ignem,
Percussit Latiare caput: stellaeque minores,
Per vacuum solitae noctis discurrere tempus,
In medium venere diem, cornuque coacto

**521** laborum g, **523** levet add. m. 2 U, est post additum m. 2 U, saltim M (corr. rec. m. e) A, **525** impler̄.... hera M, **529** cometem U, syderis G et — cometen l. Isid. de rer. nat XXVI. 13, Schol. Iuv. VI. 407, **530** craebra M, fulgorat AM, **531** l. Priscianus p. 520. 13 et II. p. 473. 34 H, tenso vUM (in ras.) AgCP, denso m G, ignis in ras. M. in medio voc. fuit *s*, **532** nuen, *ue* subductae m. 2 M (nunc s. s.), **534** arcthois V, de M **535** laciale (*c* corr. in *t*) U, latiare M, reliqui (etiam A) latiale, **536** decurrere O, vuIgo (b superscr.), **537** cornu coacto l. [Probus] IV. 262. 14 K, coacta C, **538** phaebe U, phoebe M, ore V, **538, 539** l. Isid. de R. N. XXI. 2.

519 *murmure* Grotius coni.

529 *Nutantem* ex Argentinensi Weisius. Cf. Tac. Ann. XIV. 22: „inter quae et sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis (Bentl. vere: regnis) portendat" Sil. It. I. 461: „terret fera regna cometes". Schol. Iuv. supra laud. pro *mut. regna* habet per errorem: *magnum adstare.*

531 *Tenso* in paene omnibus MSS. lectum vitium est Scholiaste et Prisciano antiquius, cf. Seneca NQ. VII. 21: „placet ergo nostris cometas — denso aere creari". Ib. I. 2. 4 „(lumen repercutitur) ob aeris densi obscuritatem" opp. *tenuis.* Vitium natum ex pronuntiatione quoniam formae D et T nihil simile habent. Cf. II. 683 „tensis rudentibus" al. *densis*, V. 714 *tensas*, *densas.* VI. 592 *te precor*, *deprecor*, IV. 447 *impedit*, *impetit*, et sic *excidium exitium*, Peerlkamp Hor. Carm.[2] p. 61*b* (*Tenso* defendit Hosius eo, quod Seneca ipse II. 57. 1 aerem dicit in ignem *extenuatis* nubibus verti" sed ne cùm *tenso* quidem hoc convenit).

535 *Latialis* boni libri tam hic quam supra 193; tantum M h. l. *latiaris.* Intellegitur h. l. capitolium. *Latiaris* M h. l.; supra 198 fuisse videtur idem in M et a; sic palimps. Taur. Cic. Mil. 85. *Latialiter* Sidonii Apoll. Ep. IV. 3, 54. 21 Momms. *latiariter* Carm. 23, 235.

Iam Phoebe toto fratrem cum redderet orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.
Ipse caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentis atra caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coegit
Desperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole Thyesteae noctem induxere Mycenae.
Ora ferox Siculae laxavit Mulciber Aetnae,
Nec tulit in caelum flammas, sed vertice prono
Ignis in Hesperium cecidit latus. Atra Charybdis
Sanguineum fundo torsit mare. Flebile saevi
Latravere canes. Vestali raptus ab ara
Ignis; et ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes, geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos. Tunc cardine tellus
Subsedit, veteremque iugis nutantibus Alpes
Discussere nivem. Tethys maioribus undis

**540** tytan VUA, olimpo VG, **542** coaegit M, **544** thiesteae V, sol*e*.*t*h M, Thyaest. G, Micenae M, [in] O vulgo, sensere, s. s. m. 1 duxere G, **545** mulcifer UvG, aethnae O, laxabit c, **547** caribdis V U, charypdis M, charibdis AG, **550** inflectas D, **551** sur-*ar*et corr. in -git M, scinditur — rogos (552) l. Lactantius ad Stat. I. 35, **552** tum G, **554** tethys — atlanta (555) l. Prisc. 291. 11 H, thaetis V, thethis U, thetys A, thetis (mut: thethis) G.

538 Schol. U apud Weberum p. 83: „quidam legunt [*toto*] *orbe terrarum*, sed mendose quoniam sensum corrumpunt. Legendum autem est *umbra terrarum*". Ita legendum. Apparet a quibusdam *orbe* lectum esse v. 539, male repetitum e superioris versus fine. *Coacta* in lemm. comm. 537, omissa etiam fide librorum, non probandum; cornua lunae coguntur ut unus circulus existat. Sufficiat Prop. IV. 4. 27 (Lachm.) „unde coactis | cornibus in plenum menstrua luna redit".

543 *Per* loci est, refugit sol per orientem. „*Thyesteae* Mycenae" minus apte dicuntur. Ceterum cf. Stat. Theb. I. 325, et caligantur abrepto sole Mycenae". *Ducere noctem* (544) minime potest comparari cum *ducere horas, noctem, diem*, apud elegiacos frequentibus, cum quibus componit Cortius; non agitur de longa h. l. sed de alta caligine, quare *in* post *em* inserui; nec opus est *sibi* addere cf. III. 387, Ovid. Metam. I. 263 „et quaecunque fugant inductas flamina nubes" Trist. V. 163 „at simul inducent obscura crepuscula noctem" al. *Sensere* in G ex interpretatione natum puto.

548 „Flebile *laevi* latravere canes" Bentl., „*Scyllae* latravere canes" Schrad. Nocturnos potius significavit poeta sine domino oberrantes canes, „Suburanas" aliasve Hor. Epod. 5. 58, Prop. III. 16. 17 (Baehr.). Scyllae canes semper eodem (flebili) modo latrant. *Saevus* saepe pro *scaevus*, ominosus, idque tam saepe, ut in ipsa consuetudine loquendi haec vocabula permutata credam (*scaevi* Cortius).

551 Pausan. IX. 18. 3: *τούτοις δὲ (τοῖς Οἰδίποδος παισὶν) ἐναγιζόντων αὐτῶν (τῶν Θηβαίων) τὴν φλόγα, ὡσαύτως δὲ καὶ τὸν ἀπ' αὐτῆς καπνὸν διχῇ διίστασθαι.* Stat. Theb. XII. 431, Sen. Oed. 321. Ex h. l. apparet Ferias Latinas, quae statim post initum magistratum a consule indicebantur et celebrari solebant mense Aprili (cf. Mommsen, Forschungen II. 104, sqq. Marquardt-Wissowa, Sacralwesen 297, sq.), hoc anno religionis causa antequam consules urbe exirent, quomodocunque celebratas esse. Sollemni ritu in mediis his turbis vix fieri potuit. Iam d. 17 Ian. Pompeius urbem relinquit.

Hesperiam Calpen summumque inpellit Atlanta.
Indigetes flevisse deos, urbisque laborem
Testatos sudore Lares, delapsaque templis
Dona suis, dirasque diem foedasse volucres
Accipimus; silvisque feras sub nocte relictis
Audaces media posuisse cubilia Roma.
Tunc pecudum faciles humana ad murmura linguae,
Monstrosique hominum partus numeroque modoque
Membrorum, matremque suus conterruit infans,
Diraque per populum Cumanae carmina vatis
Vulgantur. Tunc, quos sectis Bellona lacertis
Saeva movet, cecinere deos, crinemque rotantes
Sanguineum populis ulularunt tristia Galli.
Conpositis plenae gemuerunt ossibus urnae.
Tunc fragor armorum, magnaeque per avia voces
Auditae nemorum et venientes comminus umbrae.
Quique colunt iunctos extremis manibus agros,
Diffugiunt; ingens urbem cingebat Erinys,

**555** l. Isidorus XIV. 8. 17, calpe G, calpem Is., inplevit O, vulgo, athlanta VUG, **557** testatos T in marg., **558** fedasse M, **561** tum O, tunc C, **562** num. — membr. (563) l. Lact. ad Stat. Theb. IV. 375, **563** matr. — inf. l. Isidorus XI. 3. 6 et Lact. ad Theb. IV. 375 conteruit Is., **565** tum VUM g tunc G, **566** monet UG (corr. in movet); crinem — galli (567) l. Serv. Aen. X. 220, **567** sanguinei UAMLG Serv., sanguineum V, **568** compositis M, temuerunt c, urne gloss. Sang. 905 p. 1061 **569** tunc O, variaeque per Um, **572** erinis V, erynis UMA, erinys G.

555 Hunc versum Bentl. fecit: „Hesperiam Calpen Mauramque impellit Abylam" hoc producta secunda admittens, quod id promontorium *Abinna* quoque producta altera dicitur. Sane quod aestu incredibili Oceanus dicitur tumidus Atlantem cooperuisse (*inplevisse*), omnem id fidem superat, sed propter hyperbolen non facile quidquam a Lucano abiudicandum; accedit quod nomina geographica ut Atlas h. l. apud poetas admodum vaga sunt. A Bentleio tamen sumpsi *inpellit. Athlas* pro *Atlas* vitium puto non ipsius poetae, sed librariorum, qui Graeca nesciebant. Recepit L. Bauer ap. Sil. It. e. g. I. 201.

561 Multitudo prodigiorum in paucis his diebus suspecta; sine dubio de suo poeta quaedam addidit. Cf. Iulius Obsequens ad hunc annum (c. 124).

565 *Tunc* et *tum* susque deque habuerunt librarii: 252 tunc (G tum), tum 561 (C tunc) 565 tum (G tunc), 569 tunc. Quibus locis manifesto eadem forma requiritur, nempe *tunc*, qua Lucanus semper usus videtur, etiam in enumeratione (= porro), IX. 39 metro tuta, cf. supra 481 et 21.

566 Bellonarii et Galli saepe confusi (a Iuvenale VI. 512: „Bellonae matrisque deum chorus") h. l. distinguuntur inter se, sed non recte: illi dicuntur *canere deos*; Bellonae sacerdotes non canunt, i. e. celebrant, deos, nam *cecinere deos* non significat, quod Weisio videtur, deos iratos; Bellonariis etiam cum reliquis diis nihil commune est. Quare verum puto: *deae* Schraderus: *deo*, sed Lucanus *deus* de dea non usurpat. *Canere* (futura) Bellonae sacerdoti adscribit Tibullus I. 6. 43, sed vocabulum de insanienti choro satis mirum est pro *intonuere* aut simili. Plura movet Bentleius: „saeva *monet placare deos*, crinemque rotantes sanguinei *Cybeles* ululatunt tristia Galli". Quod Bellonarii in furorem agebantur, per se erat prodigium. Grotius: *sanguinei*. Sed cf. Stat. Theb. X. 173 de gallo: „sanguineosque rotat crines".

Excutiens pronam flagranti vertice pinum,
Stridentisque comas, Thebanam qualis Agaven
Inpulit, aut saevi contorsit tela Lycurgi
Eumenis, aut qualem iussu Iunonis iniquae
Horruit Alcides, viso iam Dite, Megaeram.
Intonuere tubae, et quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus auris
Edidit. Et medio visi consurgere Campo
Tristia Syllani cecinere oracula manes,
Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas
Agricolae fracto Marium fugere sepulcro.
  Haec propter placuit Tuscos de more vetusto
Acciri vates. Quorum qui maximus aevo
Arruns incoluit desertae maenia Lucae,
Fulminis edoctus motus, venasque calentis
Fibrarum, et monitus errantis in aere pennae,
Monstra iubet primum, nullo quae semine discors
Protulerat natura, rapi, sterilique nefandos

**574** stridentis VU, stridintes (voluit stridentis) G, **575** ligirgi VU, lygurgi MA, licurgi G, **576** eumaenis M, at (corr. m. 2) M, **577** megeram VUMG, meveram T, **578** intonuere U, insonuere rell., vulgo, **579** silentibus umbris UgLT, auris (*deletum m.* 2 *quae* umbris *substituit*) MVAG, arvis g, (*simul*: umbris), **580** e medio A, **583** marium fracto VMAT, agriculae A, sepulchro VUM, **584** haec — vates (585) l. Serv. D. A II. 781; e more M (in litura) A, **587** motus O, **588** monitus O, errantis VUmGc, volitantis uMAg, volutantis L, aera T, **589** quae nullo AVUMG; crimine c, **590** stereli (corr. sterili) MA.

573 Quominus *excutiens* sollicitemus prohibet Cortius afferendo Senec. Her. Fur. 982, Med. 961. Ovid. Metam. IV. 491 „(Erinys) caesariem excussit, motae sonuere colubrae". Sed haec non sufficiunt ad ambiguam illam cum ablativo *prono vertice* iuncturam tuendam; suspicor: *incutiens*. Intentat urbi taedam paratam, dum caput fulget splendore facium.

578 *Insonuere* memores notissimi versus Vergiliani A. II. 53 substituisse librarios verisimile.

579 Inepte Cortius: „tantum [clamoris] nox atra silentibus *umbris* (interpretatur: caligini) edidit" quod secum pugnat. Quamvis aurae i. e. venti silerent, tamen clamor fuit. Heinsius: *horis*, non necessaria mutatio.

587 sq. *Motus* et *monitus*, transponit Burmannus, Heitland; Bentleius: „fulminis edoctus *mentem* venasque *loquentes* fibrarum et monitus errantis in aere pinnae" ut saepius, ornare potius quam emendare studens; nihil est in his, quod dici a poeta non potuerit. Inter *errantis* et *volitantis*, quae eandem fere habent auctoritatem, cum sit eligendum, licet animadvertere (quod ceteroqui non offenderet) post *volitantis* verba *in aere* abundare.

589 Si *monstra* significaret mulos ut Haskinsius cum Scholiaste statuit, sine dubio probanda esset speciosa Grotii coniectura: *mixto quae semine*. Sed respicitur ad 562: „monstrosique hominum partus numeroque modoque membrorum, matremque suus conterruit infans". Natura sibi non constans (*discors*) haec finxit sine exemplo, non generis semen atque naturam secuta. Egregie Bentleius confert Manilium IV. 101: „promisca et saepe ferarum corpora cum membris hominum; non seminis ille partus erit; quid enim nobis commune ferisque?" cf. etiam supra 524. Accedit quod Arruns non potuit mandare, ut omnes muli interficerentur. V. 590 „sterilis uterus" est, qui semen non concepit.

Ex utero fetus infaustis urere flammis.
Mox iubet et totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, et festo purgantis maenia lustro,
Longa per extremos pomoeria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Minervam;
Tunc qui fata deum secretaque carmina servant,
Et lotam parvo renovant Almone Cybeben;
Et doctus volucres augur servare sinistras
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales,
Et Salius, laeto portans ancilia collo,
Adtollensque apicem generoso vertice Flamen.
Dumque illi effusam longis anfractibus urbem
Circueunt, Arruns dispersos fulminis ignis

**591** foetus AG, **592** culvibus T, **593** purgantis corr. in — tes G, **594** pomeria VUAG, **596** ritu sequitur (hoc ord.) O. succinta G, **597** vitt. sac. l. Diomedes 323.10 K, **598** l. Serv. A. II. 166, troiaIIAM, corr. -NAM M, cui soli G, **600** revocant O vulgo, alcmone V; cybelen UG, cibelen V, cybeben M A Reg. 1 Oud., lotam, *l* e corr. M, referunt g. **602** festus UM (in ras) AG, festis V, l. Augustinus V. 524, 28 Keil; ticiique U, solaedes M, **603** loeto U, e*t* salius, *t* e corr. M, **604** et tollens ap. VA (m. 2 in marg. attollens) G. Laudat versum [Prob. IV, 224. 26 K, *qui* attollens *habet*, **605** amfractibus V, **606** circu.eunt M, circumeunt AG, arrunx T, fluminis M.

591 „*Ingestis* flammis" Heinsius, Bentleius vel *infestis* vel *lignis* (pro *flammis*). Verum si recte dicitur „infaustis lignis", etiam recte, „infaustis flammis", flamma ex infausto (infelici) ligno ipsa infausta dici potest. Lectione *infestis* quid lucremur, non video.

594 „Per extremos finis" = exteriore gyro.

598 In margine ad *Minervam* M habet glossam ·/. *pallatium* l. *palladium* et cf. Marquardt-Wissowa p. 251. „Turba *minor* pontificum" (596) est inferior; *minores* pontifices, numero tres, non significantur vocabulo *minor*; „turba *minorum*" non dicitur „turba *minor*". Partem pontificum (nempe 12) verbis „sacri quibus est permissa potestas" indicari, et „turba minore" significari apparitores in sacris, non sacrificantes ipsos, ex oppositione et „cinctu Gabino", qui opera praestantibus proprius fuerit, licet efficere. Cinctus Gabinus alibi non adscribitur pontificibus.

600 *Revocant*, Comm. „fluvius Almon secundo miliario (codex: secundum m) ab urbe est; cum ibi lavisset mater deum, dicitur reverti nisi rogata noluisse; modo testato (f. obtestata) convenitur ut redeat, a XV viris, qui libris Sibyllinis inserviunt" (Postrema perturbata). Ficta haec ad traditam lectionem explicandam. Revocationis deae nusquam mentio, quamvis frequenter sollemne memoretur (cf. Marquardt-Wissowa p. 373); festum LAVATIO dicitur; quare veram puto Burmanni et Schradori coniecturam: **renouant** pro **reuocant**. Cf. var. lect. ad X, 311. *Renovare* aptissimum vocabulum: reficere, instaurare. Lavacrum est deae Almon, ut omnes referunt. *Revocant* exemplis partim alienis, partim dubiis (velut Sil. It. IV. 15, Claud. de Raptu I. 318 ubi Jeep affert Burmanni *removent*) defendit J. F. Gronovius Obss. II. 19.

603 *Lento* ex cod. Berol. pro div. lect. affert Cortius.

605 *Effusam* cf. 270: „spargit et effuso — campo" et al. Via per pomoerium magnis necessariis anfractibus i. e. ambagibus erat longa.

Colligit, et terra maesto cum murmure condit,
Datque locis numen. Sacris tunc admovet aris
Electa cervice marem. Iam fundere Bacchum
Coeperat, obliquoque molas inducere cultro;
Inpatiensque diu non grati victima sacri,
Cornua succincti premerent cum torva ministri,
Deposito victum praebebat poplite collum.
Nec cruor emicuit solitus, sed vulnere laxo
Diffusum est rutilo dirum pro sanguine virus.
Palluit adtonitus sacris feralibus Arruns,
Atque iram superum raptis quaesivit in extis.
Terruit ipse color vatem: nam pallida taetris
Viscera tincta notis, gelidoque infecta cruore.
[Plurimus adsperso variabat sanguine livor.]
Cernit tabe iecur madidum venasque minaces
Hostili de parte videt. Pulmonis anheli

**607** et [terrae] tacito — nomen (608) l. Schol. Iuven. VI. 587, collegit (m. rec. li) MA, tacito Sch. Iuv., mesto, ut semper MAG, terrae O, terra Cortius, **608** nomen VUG Schol. Iuv., numen MA, sacris tunc admovens aris l. Lact. Stat. Theb. III. 451, **609** bachum VU, **611** impaciensque U, **612** su.ccincti M, **614** laxo VUmGC, largo rell. vulgo, cuor, *r* s. s. M. **615** diffusum est U, diffusum vulgo, dirum V M (in ras) ATLG, nigrum mU, **617** estis T, **618** tethris M, **620** asperso VUMAG, adsperso m.

608 Quale *nomen* dedisset Arruns loco non facile dictu est, nam *bidental*, quod glossa in U praebet, non est nomen peculiare. „Numina quaerit Tuscus ad septum bidental", ut ait Sid. Apoll. IX. 188, itaque *numen* inest in loco, ubi conditum est fulmen; haec igitur vera lectio. Cf. J. F. Gronovii Obss. I. 13. „Sacris" propter numeros aeque ac sententiam cum sequentibus iungendum.

609 Speciose *erecta* in P 1 (Pulmanni) apud Oudend. quoniam cervix non eligitur sed victima propter cervicem, et alacres et recto collo hostiae ad aram accedere debebant, et descriptionis vigore *erecta* praestat. Sed Statius Theb. I. 507: „electa cervice greges". Si utraque lectio exstitisset, non *electa* esset imitatus. Itaque quae mea quoque coniectura erat, mittere debui. Heinsius: *velata* (*elata*?).

610 *inducere* i. q. infundere; „obliquo cultro" malo interpretari „per cultrum", ut mos fuerit (*morem* Sch. dicit) obliquo cultro tanquam trulla imponere molam, quam „in cultrum", qui sic sacratus fuerit.

612 *Torta* aut *vara ministri* Heinsius, *vara* probat Bentleius, sed „torva cornua" (= ad feriendum parata, torvitas tauri apparet ex protentis cornibus, cf. „fugax tergum" Hor.) dici non posse, non persuasit.

614 *Laxo* non est quod mutetur; *laxus* et *laxare* apud poetas frequentia de rebus apertis, sic laxare inferos, simm. cf. praeterea IX. 769 c. Schol. Bern. Proximo versu *dirum* propter auctoritatem, „diffusum *est*" propter oppositionem, cuius membra (*emicuit, diffusum est*) sic melius adaequantur, praeferendum.

620 Bentleius merito haeret in his: „livor, inquit, variabat SANGUINE viscera infecta CRUORE", praeterea *gelidum* cruorem non probat et emendat: „*foedoque* infecta *nigrore*". Potius crediderim v. 620 „variationem" esse superioris. Post: gelidoque infecta cruore", nihil amplius desideramus. Viscera erant tincta *notis*, idem est quod proximo *variabat*; erant *infecta cruore* i. q. *adsperso sanguine.* — *Hostili* v. 622 technico sensu dixit, cui opponitur pars familiaris. Sic Schol. Bern.; qui minaces exponit micantes, fortasse recte.

Fibra latet, parvusque secat vitalia limes.
Cor iacet et saniem per hiantis viscera rimas
Emittunt, produntque suas omenta latebras.
Quodque (nefas) nullis inpune apparuit extis,
Ecce, videt capiti fibrarum increscere molem
Alterius capitis: pars aegra et marcida pendet,
Pars micat et celeri venas movet improba pulsu.
Haec ubi concepit magnorum feta malorum,
Exclamat: „Vix fas, superi, quaecumque movetis
Prodere me populis, nec enim tibi summe litavi
Iuppiter hoc sacrum, caesique in viscera tauri
Inferni venere dei. Non fanda timemus:
Sed venient maiora metu. Di visa secundent,
Et fibris sit nulla fides; sed conditor artis
Finxerit ista Tages". Flexis sic omina Tuscus
Involvens multaque tegens ambage canebat.
At Figulus, cui cura deos secretaque caeli
Nosse fuit, quem non stellarum Aegyptia Memphis
Aequaret visu, numerisque moventibus astra,
„Aut hic errat, ait, ulla sine lege per aevom

**624** hiantis M (corr.: -tes), rimes M corr.: -mas, rimes A (a superscr.), **625** promunt L, **626** inpune U, imp. M, **627** capti T, **629** et celeri — pulsu l. Prisc. 335. 14, inproba M, *m* e corr., **630** his — fata O vulgo, **631** movetis UMGAT, monetis V et Grotius, **632** nec VU, summo m (m rec.), **633** pectora Va, pectore UAFg, viscera MG, **635** sed — metu l. Lact. Theb. III. 523, **635** di visa — Tages (637) l. Prisc. II. 240. 18, H, dii VU, metu, *u* e corr. M, **636** sed — Tages l. Serv. A. II. 781, **637** omnia V, flexa O, vulgo, **639** aut, deleta *u* M, **640** memfis MA, **642** aut — mundus (643) l. Prisc. II. 337. 14 H, nulla sine VUmEA Prisc., nulla cum ML (cum in ras.), ulla A ex corr., cum A (in marg. manu 2), nullaque (vox sequens erasa) T.

623 *Secat* dictum videtur pro (dissicat), separat: tenuis membrana separat letalia, veluti cor et pulmonem.

630 „Fata malorum" non multum arridet Bentleio, itaque reponit: „haec — foeta", quem secutus sum, sententia: ubi notavit haec omina, plena malorum. In vulg. *his concepit* pro „ex his effecit" et *fata malorum* aeque insolentia sunt. Heinsius Thuaneorum indicio („est fas vix superi") „vix est superi".

632 Multis locis VUM inter se consentiunt, aliis *nec enim*, aliis *neque enim*; sic *nec* III. 50, 464, IV. 359, IX. 413, *neque* contra III. 128, IV. 255, VII. 119.

633 *Pectora* Cortius, minus aptum quam *viscera*, propter superiora.

637 *Flexu* Grotius. „*Flexa* sic omina Tuscus involvens, *multumque* tegens ambage canebat" commendat Bentleius. In vulg. QUE iungit *involvens* et *tegens* (involvens tegensque omina fluxā multa ambage) quo fit, ut duo attributa ἀσυνδέτως sint collocata. Id procuravit Bentl., cuius lectio tamen non multo expeditior est. Ausus sum *flexis* i. e. contortis, tortuosis. Corruptio est nata ex accommodatione (ἀμέτρῳ) cum *omina*.

642 Utra lectio sit testatior, *sine* an *cum*, dubitari non potest; *sine* iam habuit Priscianus; cum *sine* autem iungendum est *ullus*, non *nullus*, ut pueri (certe Latini) sciebant. *Ulla sine* igitur propter usum et auctoritatem praeferendum (et sic DFL ap. Hos.), nec quisquam dubitaret, nisi *ait*

Mundus, et incerto discurrunt sidera motu,
Aut, si fata movent, urbi generique paratur
Humano matura lues. Terraene dehiscent,
Subsidentque urbes? an tollet fervidus aer
Temperiem? segetes tellus infida negabit
Omnis, an infusis miscebitur unda venenis?
Quod cladis genus, o superi, qua peste paratis
Saevitiam? Extremi multorum tempus in unum
Convenere dies. Summo si frigida caelo
Stella nocens nigros Saturni accenderet ignis,
Deucalioneos fudisset Aquarius imbres,
Totaque diffuso latuisset in aequore tellus;
Si saevom radiis Nemeaeum, Phoebe, Leonem
Nunc premeres, toto furerent incendia mundo,
Succensusque tuis flagrasset curribus aether;
Hi cessant ignes. Tu, qui flagrante minacem

**644** orbi U, **645** terraque dehiscente Isid. R. N. XLVI. 2, **646** at (pro: an) in ras. M., attollet A, tolles (a 1 m.) T, **648** effusis (*ef* in ras.) MA, efusis T, **649** cladis (hoc s. s. m. 2) genus M, **652** ignis UA, accenderat (corr. 2 m. in -ret) MA, **653** ymbres U, **654** diffusso M, **655** nemaeum (*e* s. s.) VM, nemeeum U, nemeum AGC, foebe U, phebe M, **656** premeres, emeres in ras. m. 2 ant. M, fluerent O vulgo, **657** succensus, *n* add. m. ant. M, tuos T, flammasset G (g vulg.), **658** hic G.

ultima in arsi producta improbandum videretur, cf. Trampe, de Lucani arte metrica p. 8 coll. 15. Sed cf. [II. 565] III. 440, [IV. 669], V. 522, IX. 417, VII. 773, IX. 347. Confusio vocum *nullus* et *ullus* (*nulla sine*) peperit correctionem: *nulla cum.* Alia Bentleius: „*nulla sub* lege". Idem 641 „numerisque sequentibus astra", sed ne Pythagoreus quidem sis necesse est, ut agnoscas numeris et proportionibus omnia regi. Hosius defendit *nulla sine* quod error sit excusabilis et alii eum, veluti Lessing, commiserunt: nicht ohne misfallen (f. gefallen). Non mihi persuadet.

649 Paulo melius: „quod cladis genus hoc, superi, quam peste paratis saevitiam?" In *saevitiam parare* (animi quandam affectionem) non sine causa haeserunt viri docti. „*Quam* saev. paratis!" est: quod exemplum saevitiae, quod saevum factum. Peste = interitu iam portento. Cf. 644. Heinsius *exitium* vel *servitium* adscripserat, Bentl.: „qua peste *piatis* Saevitiam?" contra sententiam. Emendatio incerta, Heinsiana praestaret, si magis a palaeographia commendabilis esset.

651 „Frigida *cornu*" P. Fritzsche diss. Jenensi, 1892 p. 25, propter Nigidium fr. 105 Swoboda „Nig. de ventis IV ait si summum (lunae) corniculum maculas nigras habuerit in primis mensis partibus, imbres fore". Mutatio non necessaria.

654 *Tectaque* coni. Bentleius.

656 „Fluerent incendia". Hoc de Phlegethonte *πυρὶ φλέγοντι* aptum esset, non de *incendio.* De corruptela si constat, ut mihi quidem, emendatio non dubia est. Ex *furerent* semel ER omisso, aut forte R priore, falsa correctio in promptu erat. — Ceterum v. 650 „extremi multorum dies convenere tempus in unum" illustrantur sequentibus, in quibus unum a Marte, non a reliquis stellis periculum instare significatur: a Saturno non instat diluvium, non incendium a Phoebo et Leone; horum ignes quiescunt (653), tu Mars, qui solus scorpii caudam flagrantem urges eiusque chelas incendis, quid moliris?" Ergo „multorum dies" instant, fata multorum hominum quod Mars dominatur. Hic fere nexus sententiarum; multa manent obscura in singulis, quoniam auctor sic voluit.

Scorpion incendis cauda, chelasque peruris,
Quid tantum, Gradive, paras ? Nam mitis in alto
Iuppiter occasu premitur, Venerisque salubre
Sidus hebet, motuque celer Cyllenius haeret,
Et caelum Mars solus habet. Cur signa meatus
Deseruere suos, mundoque obscura feruntur,
Ensiferi nimium fulget latus Orionis?
Inminet armorum rabies ferrique potestas,
Confundet ius omne manus, scelerique nefando
Nomen erit virtus. Multosque exibit in annos
Hic furor. Et superos quid prodest poscere finem?
Cum domino pax ista venit. Duc, Roma, malorum
Continuam seriem, clademque in tempora multa
Extrahe, civili tantum iam libera bello".
Terruerant satis haec pavidam praesagia plebem,
Sed maiora premunt. Nam qualis vertice Pindi
Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo,
Talis et attonitam rapitur matrona per urbem,
Vocibus his prodens urgentem pectora Phoebum:
„Quo feror, o Paean? Qua me super aequora raptam
Constituis terra? Video Pangaea nivosis
Cana iugis, latosque Haemi sub rupe Philippos.

**659** scorpio i. caudam C, **660** gradive, adive ex corr. m. 2, sed antiquae M, nam — Iūpp. (661) l. Acro Hor. C. I. 2, 30, **661** salubrae M, ven. s. s. l. Schol. Iuv. VI. 569, **662** sydus U, motu — haeret l. Prisc. 334. 14 H, schol. Germanici Arat. p. 186. 14 Br., **665** l. Serv. A. III. 517, **667** manus m (2ª m.) C, manu rell, vulg., confundit G, con^n^fundet A (corr. m. 2 in vulg.), oñe A suprascr., scelerine C?, **670** du, c e corr. add. M, **675** l. Serv. A. XII. 365, lieo VB, lyeo U, haetionis M, haedonis A, **676** rapuitur T, **677** phoebom (corr. um) T, **678** pean UM, aethera O, vulgo, **679** video pangaea nivosis cana iugis l. Lact. ad Stat. Theb. VI. 666, pangea VUMG, niuosis, is a m. 2 T, **680** sup M, hiemi A (in marg. 2 m. hemi), phylippos A.

659 Bentl. *priores* coni. pro *peruris*, quod non sit satis lepidum.

660 *In alto* sub fluctibus. *In imo* ex Colbertino Bentleius. Idem v. 662: *metaque haeret* i. e. „incipit reciprocare seu retrogradus fieri", non sine causa offensus. — „Quid tandem" Heinsius.

663 Requiro *sed.* Inde a v. 660 ita pergit oratio: magni quid parat Mars, nam reliqui planetae mites sunt. — Mars caelum solus habet (*habes* Bentl.) Repetitur postremum membrum e superioribus ut ratio concludatur; itaque particula revocationis *sed* opus est. — Post *habet* ad novam rem ἀσυνδέτως transitur.

667 *S* in *manus* excidit ante „Scelerique".

669 „At superos" Heinsius.

670 *Duc* exspectes *fer.* Haskins: „draw out an unbroken chain of miseries". Quod sane nove dictum. Fortasse *tu*, cf. M. V. 672 „civili bello" dum civile bellum geris, non: per civ. bellum libera futura.

675 *Edŏnis* admodum insolenter, sed res certa; Sil. It. IV. 775: „Edonis ut Pangaea super".

678 „Super aequora" Damsté coll. v. 686.

Quis furor hic, o Phoebe, doce; quae tela manusque
Romanae miscent acies, bellumque sine hoste est?
Quo diversa feror? Primos me ducis in ortus,
Qua mare Lagei mutatur gurgite Nili.
Hunc ego, fluminea deformis truncus arena
Qui iacet, agnosco. Dubiam super aequora Syrtim
Arentemque feror Libyen, quo tristis Enyo
Transtulit Emathias acies. Nunc et super Alpis
Nubiferae collis atque aeriam Pyrenen
Abripimur. Patriae sedes remeamus in urbis,
Inpiaque in medio peraguntur bella senatu;
Consurgunt partes iterum, totumque per orbem
Rursus eo. Nova da mihi cernere littora ponti,
Telluremque novam: vidi iam, Phoebe, Philippos".
Haec ait, et lasso iacuit defecta furore.

**681** Phaebe U, phoaebe M, quae AVUg quod a G, quo TL, **682** hostae M, **684** laegei A, **685** hunc — agnosco (686) l. Acro Hor. C. I. 15. 24, flumineo (*a* s. s. manu 2) M, harena G, **686** agnosco VUM, dubiam, rell. l. Prisc. p. 329, sirtim V, syrtim AUMG Prisc, **687** lybien VMG, libien UA, enio Vc, erinis vUG, erynis MA, erenis a erinys vulgo, **688** aemathias MA, et super g, desuper, rell. et vulgo, **689** aeream MC, aeria (*m* deleta) A (in marg. vulg.), pyrhenen G pirenen c, **690** remeamur A, **693** littora M, **694** vidi — phil. l. Acro Hor. C. II. 7, 9, III. 4. 25, phylippos MA, **695** deserta VUMCG, defecta Ag.

681 *Quod* placuit Grotio, sed abruptae insanientis orationi non convenit, ut haec uno tenore continuentur. *Quae* optimos testes et meliorem sententiam habet quam *quo*, quod non optime convenit cum „bellumque sine hoste est". „Sine hoste" omisso *est* Heinsius.

686 „Dubiam super *ardua* Syrtim" Bentleius, sic construens: „(ego) ardua feror super dubiam Syrtim". Nimis fidenter vulgatam soloecam pronuntiat, „devenere locos", „speluncam deveniunt eandem" (plura Kühner II. p. 355) sufficiat memorare; „super aequora" II. 726.

687 *Enyo* recepi cum Bentleio, Colbertinum suum et Puteaneum secuto. Hoc loco, ubi iam pulsae copiae Pompeii magis etiam atteruntur, vindictae nullus sermo. Enio C in lemmate. In V *erinis* correctum est ex *enio* m. aequaeva.

688 *Et super* coniecerat Guyetus quoque et est var. lectio in G. *Desuper* i. e. e superiore loco, in Pyrenen ferri potest is tantum, qui de caelo venit. Cortium redarguit, discrimen inter *desuper* et *super* tollentem Handius ad Tursellinum II. 284 *Et* autem paene necessarium est. Bentleius: „desuper aspicimus" pro *abripimur*; „*en* super" Usener.

693 Qui *ponti* de Ponto Euxino intellegunt faciunt ut optet fatidica rursus in Ponto sed alia parte pugnatum iri. Vaticinium non dedecet *pontus* pro mari. Fortasse *ponto* i. e. procul e mari quo feror. Oblique ad Actium respicitur. Thessaliam et Macedoniam, Pharsaliam et Macedoniam, Pharsalum et Philippos non confudit tantum Lucanus (VII. 847, sqq.) sed etiam Vergilius (Georg. I. 491), Ovidius (Metam. XV. 824) et (peius) historicus Florus (IV 2. 43).

695 Oudendorpius *deserta* defendens provocat ad IV. 279 „deserat hic furor mentis" quo nec ostendit *desertus*, praecipue iunctum cum *iacuit*, sic dici posse, nec locum illustravit. „Desertus viribus" (Phaedr. I. 21. 3), gurgite (Nili) desertae valles" ap. Stat. IV. 706 et similia significant rei gratae defectum. Apparet igitur iam ex his, codd. optimos h. l. errare et paene unum A verum habere. Nam *defectus* ut *solitus, adultus, occasus* (sol) habere subinde participii praet. act. significationem ostendunt III. 625, IV. 600. Sententia est: iacuit cum efferbuisset (lasso) furore confecta (defecerat).

# M. ANNAEI LUCANI

# PHARSALIA.

## LIBER SECUNDUS.

---

Iamque irae patuere deum, manifestaque belli
Signa dedit mundus, legesque et foedera rerum
Praescia monstrifero vertit natura tumultu,
Indixitque nefas. Cur hanc tibi, rector Olympi,
Sollicitis visum mortalibus addere curam,
Noscant venturas ut dira per omina clades?
Sive parens rerum cum primum informia regna
Materiamque rudem flamma cedente recepit,
Fixit in aeternum causas, qua cuncta cohercet,
Se quoque lege tenens, et saecula iussa ferentem
Fatorum inmoto devinxit limite mundum,
Sive nihil positum est, sed fors incerta vagatur,

**4** cur — curam (5) l. Lact. ad Stat. Theb. III. 551, ind. nefas l. Eutychius V. 469. 8 K, olimpi VUG, **5** visu A, **6** omnia U, diraque T, **8** materi$^{a}$em U, materiam VMAG, **9** cohercet UTRG, **11** divisit O, vulgo, **12** sors M, seu fors C.

4 *Indixit,* nuntiavit, nempe portentis (afkondigen) bellum nefastum. Seneca Oed. 17 (oracula) maius indicunt scelus (aanzeggen). De ira III. 3 „cum aliquis sit de illustribus philosophis, qui irae indicat operas (se opificem promittat). Gronovius ad Oed. l. l.

10 Seneca de Provid. Dial. I. 5, 8 „(deus) semper paret, semel iussit". De Stoicis his cf. praeter eos, qui de Stoicorum doctrina in universum egerunt, J. E. Millard in diss. de Deis et Fato apud Lucanum. Trai. ad Rhen. 1891, de primitivo igne Heitland in edit. Haskinsii p. XIV. „Parens rerum" v. 7 ex vulgari consuetudine, non ex Stoica, dicitur.

11 Traditum est *divisit,* quod frustra Cortius defendit adhibito Claud. Idyll. VI. 83: „ille pater rerum qui saecula dividit astris" quod simile esset, si legeretur: fata divisit mundo. Mutatio non videbitur nimis magna, si reputemus perpetuo fere *de* et *di* permutari et olim scriptum esse *vinxsit* et *vincsit,* quod confusioni ansam dederit.

Fertque refertque vicis, et habet mortalia casus,
Sit subitum, quodcumque paras, sit caeca futuri
Mens hominum; saltim liceat sperare timenti.
  Ergo ubi concipiunt, quantis sit cladibus orbi
Constatura fides superum, ferale per urbem
Iustitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos, nullos comitata est purpura fasces.
Tunc questus tenuere suos, magnusque per omnis
Erravit sine voce dolor. Sic funere primo
Adtonitae tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata iacent, nec mater crine soluto
Exigit ad saevos famularum bracchia planctus,
Sed cum membra premit fugiente rigentia vita,

**13** habent VUmAGC, casum VUmGC, habet M, casus MA, **14** que suprascr. m. 2 M. quodcunque G, **15** fati O, vulgo, saltem Bentleius, liceat sp. t. l. August. enchir. ad Laur. 8. (XL. 234 Mign.); gl. cod. s. Galli 905; Isid. Or I. 33, 4, **16** constatura f. s. l. Prisc. 474 10 H, Anecd. Helv. praef. LXV, orbi VMUAG, urbi v, **17** orbem A (urbem var. l. in marg.), **18** iusticium U, plebeo G (-eio b), **19** honos VU, nullos o ex corr. M, comita T, **20** omnis, (corr. rec. m. in omnes) MAGR, tum VUMA, quaestus Ac, **21** sic – iacent (23) l. Diomedes I 464. 10, **22** corpora – iacent l. Donat. Ter. Eun. 348, patuere domus Diom., **24** bracia *c* s. s. M, brachia AVUG, **25** ri.antia corr. in vulg. U, premunt G,

13 Veram lectionem, quae exstat in solo Montepessulano, assecuti iam ante erant Bentleius et Cortius, qui primus recepit.

15 Bentleii egregiam emendationem recepi; **faiti** et **fati** quantum differant, apparet. Absurda est vulgata: etiamsi non sint fata (v. 12), fati sit ignarus homo. Forma *saltim* satis nota et antiqua cf. var. lect. ad I. 335. – Si mea optio esset, praeferrem in generali sententia: „liceat sperare timen*tem*".

16 Acerbe: quia fidem habent diis, damna belli sunt passuri. Verius tamen esset, si dii incitarent ad bellum. An quod fidem diis habent, despondent, eoque vincuntur? Neutrum sine artificio, prius tamen sui similem habet ratiocinationem Lucretii: quia inferis creditur, homines mortem sibi consciscunt, III. 79.

17, sqq. Quae hic et 28 sqq. narrantur describunt supplicationem cum iustitio et vestis mutatione; quae quomodo cohaereant cum fuga, quae I. 488 exposita est, parum clarum est: nam hoc loco adsunt in urbe quamvis veste mutata magistratus v. 18, et supplicationem et iustitium edicit senatus, qui proinde adesse in urbe cogitatur, et infra demum viri bella et castra petunt v. 43. Parum curavit, ut poeta, temporum consecutionem Lucanus; tamen non derogasset libertati poeticae, si fugam ex urbe factam et seriem illam prodigiorum (l. l.) cum procuratione h. l. memorata meliore ordine posuisset. SC. ultimum sec. Lucanum medio demum mense factum, cf. ad I 488. – *Ferale iustitium* omisso *fuit* contra usum Lucani, qui *est* rarius quam reliqui, perfectum verbi substantivi non solet omittere. *Per urbem*, quasi de pompa, veluti supplicatione ad omnes aras, non convenit cum iustitio; ius dicitur in foro, non ubique per urbem. Locus corruptus; „ferale (= feralia) per urbem *instituunt*" pro – *iustitium* legendum, aut aliquid deest.

19 Lictores comitantur magistratus, nunc non praetextatos (purpuratos) sed atratos.

21 „Funere primo" Bentl.: „vulnere primo". Quid tunc *primo*? De unius hominis morte agitur. Esset ergo contorte: primo sensu vulneris. Decessus uno momento fit, exsequiae durant aliquamdiu, et in his melius certe initium a progressu actionis separatur, quam in iactura, quae infligitur uno temporis momento.

Voltusque exanimis, oculosque in morte iacentis,
Necdum est ille dolor, sed iam metus; incubat amens,
Miraturque malum. Cultus matrona priores
Deposuit, maestaeque tenent delubra catervae.
Hae lacrimis sparsere deos, hae pectora duro
Adflixere solo, lacerasque in limine sacro
Adtonitae fudere comas, votisque vocari
Adsuetas crebris feriunt ululatibus auris.
Nec cunctae summi templo iacuere Tonantis,
Divisere deos, et nullis defuit aris
Invidiam factura parens; quarum una madentis
Scissa genas, planctu liventis atra lacertos,
Nunc, ait, o miserae contundite pectora matres,
Nunc laniate comas, neve hunc differte dolorem,
Et summis servate malis; nunc flere potestas,

**26** voltus (u suprascr.) MA, in morte minaces ORT, **27** ocubat c, **30** pectore (corr. m. 2 in vulg.) MA (in hoc corr. a 1a m.), haec s, lacrimas T, **31** affixere VG, afflixere UE, adfixere MATR (1 m. adfexere), limite g, lumine T, **33** assuetas UG, **35** div. deos l. Marius Plotius VI. 460. 12 K, et — parens (36) l. Lact. ad Stat. Theb. III. 197, **36** madentis VUMB, madentes m, invidie c, **37** livente satra (e ex corr.) M, **39** differte, if ex corr. M, **40** summi (s. add. m 2) M.

26 *Iacentes* Grotius (quod cum in MSS. esse dicit, errat), *natantes* Bentl., *micantes* Oudend. et *micaces*, cui non opponi potest quod *micax* nusquam invenitur; et palaeographice nihil rectius; *minaces* et *micaces* facillime permutantur, analogia proba est; sed *micare* = „cum splendore moveri" vix aptum de moriente et ex meo sensu *micax* melius diceretur de oculis voluptariis quam mortui. *Cadentes* quoque propositum, posset et *gravatos*, sed nihil cum probabilitate. *Iacentes* solum palaeographice explicat illud *-aces*, praesertim si *m* e corrupta lectione *mortem* exstitisse putes; INACES, quod restat, et IACENS (ex *iacentes* natum in fine versus) differunt tantum ordine litterarum. Redii igitur ad lectionem Grotii. „Vultus moriens iacet" Ov. Metam. X. 194. „Tardaque deus gravitate iacentes vix oculos tollens", id. ib. XI. 618, cf. etiam ib. IV. 135. *Micantes* Hos. coll. Ennii fr. 329 Baehr., quod rem non conficit.

27 „Necdum dolor sed iam metus". Iam mortuus est vir, sed non vult credere matrona quod scit; non sperat et sentit quid sibi immineat. Proprietatem dicti non assecutus est Valerius Flaccus qui haec imitatur I. 327. Metum et dolorem opponit vulgari sensu Seneca Thyest. 967 et Troad. 618 et auctor epistolae Sapphus ad Phaonem 102 ad quem versum recte S. G. de Vries. Non minus bene: *miratur* i. e. stupet inexspectatum. Cf. *stupere* et *mirari* iuxta posita apud Hor. Carm. III. 25, V. 9 et 14, ubi de insolito et novo, et intpp. ad Hor. Epist. I. 6. 1. Animi fluctuatio egregie descripta. Schraderus tamen: *rimatur.* Heinsius in proximis: „cultu matrona priore deposito", sed *matrona* collective ad matronas Romanas luctum agentes pertinet ut *que* post *maestae* ostendit.

31 *Adflixere* ex U recepi, hoc cum summo affectu et motu, qui describitur, melius convenit quam *adfixere* defensum a Gron. Obss. IV. 8 p. 598 et Heitlando Class. J. 1895 p. 192, sed cf. Florus IV. 12.

32 *Ante Iovem* (pro: *adtonitae*) Bentleius, potissimum quod v. 34 (*nec cunctae* —) apparet de templo Iovis sermonem fuisse. Mutatio non exigua nec prorsus necessaria; ad Iovis Capitolini templum confugitur ante omnia. — *Votisque vocari*; nota sunt quae Lobeckius multis annis ante de hac figura etymologica in Paralipomenis disputavit.

40 Erraverunt Bentleius „*neu* summis" et Heinsius „*aut* summis" requirentes; ne-

Dum pendet fortuna ducum, cum vicerit alter,
Gaudendum est. His se stimulis dolor ipse lacessit.
Nec non bella viri diversaque castra petentes
Effundunt iustas in numina saeva querellas:
„O miserae sortis, quod non, in Punica nati
Tempora, Cannarum fuimus Trebiaeque iuventus.
Non pacem petimus, superi, date gentibus iras,
Nunc urbes excite feras; coniuret in arma
Mundus; Achaemeniis decurrant Medica Susis
Agmina; Massageten Scythicus non adliget Ister;
Fundat ab extremo flavos Aquilone Suevos
Albis et indomitum Rheni caput, omnibus hostis
Reddite nos populis, — civile avertite bellum.
Hinc Dacus, premat inde Getes; occurrat Hiberis
Alter, ad Eoas hic vertat signa pharetras;
Nulla vacet tibi, Roma, manus; vel perdere nomen
Si placet Hesperium, superi, conlapsus in ignem

**43** ec non, n ex corr. add. M, **44** guerrellas A, **45** sortes corr. in vulg. M, **46** cannarum – iuv. l. Serv. A. VII. 711, trevieque MgR, **47** superi s. s. m. 2 M, **48** nunc – feras date – arma (47) l. Prisc. 476. 23 H, armis AT, **49** decurrat M (*n* s. s), media m, achaemeneis (sic) – susis l. Acro ad Hor. Carm. II. 12. 21, I. 27. 5, **50** hyster VA, adliget VU, massagetes T, **51** l. Isidorus IX. 2, 98, fundit Is., **54** hiberis (is ex corr.) M, hiberus duo libri ap. Serv. vid. infr., occ. hib. l. Consentius V. 341. 17 K (dub.), occ. hib. alter l. Servius ad Aen. VII. 605, versum l. Isidorus IX. 2. 89, gl. s. Galli, p. 403, **55** faretras U, signa s. s. m 2 M, **56** romanus vel T, **57** conlapsus in ignes VUM (*in quo* conlasus, *p* s. s. 2 m.) conlatus c, haesperium MA, experium T, ignes AG.

gatio apud Lucanum continuatur per *et* (*-que*) ubi vulgo *nec.* Priscianus XVIII. p. 241. 15 H hanc in partem laudat IV. 750, sqq. et 785. Cf. I. 508, infra 235, 358, 373, VIII. 628, V. 542, VII. 494, 433, IX. 129. 450. Quaedam affert Heitland ap. Haskins p. CVIII (negative carried on from one clause to another).

45 „O miseri sortis" Bentl. mutatio elegans sed non necessaria.

49 *Decurrere* verbum militare, Tac. Ann. II. 55, al. V. 50 *adligare* Lucanus saepius pro: „colligare", „vincire", „cohibere" sine dativo ut IV. 290: „artus torpor adligat", I. 246, IX. 488. *Decurrit* Acro ad Hor. I. 27. 5.

51 De Suevis cf. Riese RM 1889 (XLIV Band, p. 338). Quomodo fieri potuerit ut Suevi tam ab ostio Rheni quam Albis proficiscerentur, apparet e Tacito, Germ. 38: „maiorem (Suebi) Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus nominibusque discreti (i. e. praeterea in nationes et nomina peculiaria discreti), quanquam in commune Suebi vocentur". Similia Strabo VII p. 290. *Caput* (52) est ostium; notum est Furii Bibaculi „Rheni luteum caput" ex Horatio Sat. I. 10. 37. Caes. B. G. IV. 10: „(Rhenus) multis capitibus in Oceanum influit". Infra III. 202, Verg. Georg. IV. 319.

53 Particula adversativa omissa cf. IV. 776, X. 41, 105, III. 474, 639.

54 Speciose Bentleius: „hic Dacos premat, ille Getas" non tenuit tamen, in proximis: „occurrat Hiberis alter" sqq. *alter* (id quod iam glossae dicunt) esse Caesarem, *hic* Pompeium, quo causa mutandi concidit. V. 54–60 ampliatur sententia superiorum, in quibus post concessiones („hinc Dacus – aether") reliqua („saeve parens – feri") apodosis loco sunt. Recte Haskins ad „saeve parens" pro quo Bentleius „*summe* parens" proponit, quod *parens* sine definitione quadam de Iove non dicatur, provocat ad Hor. Carm. I. 12. 13 „parentis laudibus".

57 *Collisus* pro *conlapsus* Bentl., quam

Plurimus ad terram per fulmina decidat aether, —
Saeve parens, utrasque simul partesque ducesque,
Dum nondum meruere, feri. Tantone novorum
Proventu scelerum quaerunt, uter imperet orbi?
Vix tanti fuerat, civilia bella movere,
Ut neuter. Talis pietas peritura querellas
Egerit. At miseros angit sua cura parentes,
Oderuntque gravis vivacia fata senectae,
Servatosque iterum bellis civilibus annos.
Atque aliquis, magno quaerens exempla timori,
„Non alios, inquit, motus tunc fata parabant,
Cum post Teutonicos victor Libycosque triumphos
Exul limosa Marius caput abdidit ulva
[Stagna avidi texere soli laxaeque paludes]
Depositum, Fortuna, tuum: mox vincula ferri

**58** decedat (corr. 2 m) M, decidit (s. s. a) A, **59** sive V, saeve`v, **60** tanton — provectum l. fragm. Bob. VII. 543. 19 K, **61** orbi VUM (in ras.) AGRTL, supra proventu glossa: ·/. expleto m, **62** fuerit U, moveri Vum, movere UmR, vix tanti fragm. Bob. **63** talis ART, quaerellas MA, **64** egerat U, a miseros, at ex corr. M, **65** gravis, i ex corr. M, **68** tum U, cū supra tunc scr. G, **69** lybicos VUMG, victos M, libicos A, **70** exsul mB, **71** stagna vidi (*a* supra vidi 2 m) U, avidi MBA, humidi V, laxere A (marg.; laxae), **72** dep. fort. l. fragm. Bob. VII. 543. 25 K.

coniecturam necessario sequitur altera v. 58 *aer*, sed aer non *decidit*, sed aether, „sublime illud candens", quem tanquam corpus solidum sibi fingebant. Cf. Horatianum „si fractus illabatur orbis".

59 „Utrosque" Bentl.

62 Ut neuter, nec Caesar, nec Pompeius, imperaret, fortasse operae pretium erat bellum civile geri; si alteruter tamen imperet, nequiquam bellum gerimus. Ceterum pronuntiaverunt, ut notum est, *nĕ ŭter* (*nĕ ŭtiquam*), quod ad euphoniam huius versus non neglegendum.

67 Atque aliquis Homericum ὧδε δέ τις εἴπεσκε. *Exempla*, excusationem. Manifesto captavit poeta occasionem omnium civilium bellorum enarrandi, adeo historicus est (Quinctilianus). Ad hunc locum respicit Schol. Iuvenalis X. 277.

71 STAGNAAUIDI et STAGNAUDI vix differunt, sed probabilius est incuria litteram (A) omissam, quam additam esse; avidus = limosus, tenax; *udi* Grotius, sed vel sic versus mihi suspectus, nam „soli humidi" plane superflua ad *stagna*, et tautologa sunt h. l. palus et stagnum; quid *laxae* paludes sint, nemo dixit; versus obscurat claram imaginem superioris, et turbat egregiam cohaerentiam versuum 70 et 72. Videtur esse interpretamentum superioris. Optime 72 cohaeret cum 70; caput est depositum fortunae, ut habeat, in quo vim suam ostendat. Pro *laxae* Oudend. *crassae*, Withof *spissae*; Schraderus cogitavit: *cannaeque palustres.*

72 „Mox vincula — scelerum" (75) spuria putat Guyet, Bentleius *nempe*, Cornelissen *saeva* pro *saepe*. Intellego: omnino saepe mors eum refugit, ac tum quoque frustra hosti, Cimbro, concessa est potestas. Tota haec narratio paulo est confusior; „*felix* moriturus" dicitur qui paulo ante optimum quemque trucidaverat insontem et qui *scelera* erat commissurus, quorum nunc (*ante*) poenas dabat: contorta sententia. Vocabulum illud generale *hosti* v. 76 male pro Cimbro. Nimis confidit Lucanus in re vulgo nota peritia lectorum. Denique dura est ibi omissio verbi substantivi; in alio poeta divinarem „frustra est" sed Lucanus saepius ita peccat; sufficiat nunc Heitland CVIII. a.

Exedere senem, longusque in carcere paedor.
Consul et eversa felix moriturus in urbe,
Poenas ante dabat scelerum. Mors ipsa refugit
Saepe virum; frustraque hosti concessa potestas
Sanguinis invisi; primo qui caedis in ictu
Deriguit, ferrumque manu torpente remisit.
Viderat inmensam tenebroso in carcere lucem,
[Terribilisque deas scelerum, Mariumque futurum,]
Audieratque pavens: „Fas haec contingere non est
Colla tibi: debet multas hic legibus aevi,
Ante suam, mortes: vanum depone furorem.
Si libet ulcisci deletae funera gentis,
Hunc Cimbris servato senem.” Non ille favore
Numinis, ingenti superum protectus ab ira,
Vir ferus, et Romam cupienti perdere fato

**73** longus — paedor l. Luctatius Placidus, gloss. p. 76. 3 Deuerling; et Lact. ad Stat. Theb. II. 677: excedunt M, fetor Lact.. **76** concessa est u, **78** der. s. s. i U, deriguit e in ras. M, **79** vid. inm. ten. l. [Prob.] IV. 261. 20 K, inmensam lucem VU Prob. A, inmensum lumen u, **80** deos (os in ras.) MVUAG vulgo. **82** leg. aevi l. fragm. Bob. VII, 543. 26 K, multas ex -os corr. M, dabet a (marg.), **83** mortem Ur, mortes u *cum rell.*, depone.... fur., *lac.* 4 *litt.* M, cimbri — servate O, vulg., **85** non ille — ab ira (86) l. Servius ad Aen. II. 257 **87** vir ferus — sufficiens (88) l. D. apud Serv. l. l., ferro corr. in fato G.

77 *Prono* Schrad. et satis infeliciter „primo — in *actu*” Bentl. Exspectari poterant plures ictus ante quam vir tam fortis concideret.

78 *deriguit*, a Cortio receptum pro *diriguit*, vides a codd. confirmatum; verbum *dirigesco* nusquam probandum, librarii ut *directus* pro *derectus* (confirmatur var. lectionis frequenti *decretus*), sic *diriguit* pro *deriguit* dedere.

79 „Lucem” quae tenebroso in carcere ex oculis Marii elucebat. Appianus, Civ. I. 61, Plutarchus, Mar. 39. *In* non sine causa omittit Cortius; elisio longae ante monosyllabum Lucano non frequens.

80 Insiticius videtur Guyeto; Bentleius: „terribilesque *deum facies* Mariumque futurum”. *Deas* Oudend. Nego latinum esse „Marium futurum” pro: qualis futurus erat, ut Marius futurus praesenti opponatur; „futurus Marius” est is qui nondum existit (ut futura saecula etc.) aut qui aliquando Marius evadet, *ὁ Μάριος ἐσόμενος*; sed fac ita dici posse, cur futurus ille Marius praesenti opponitur? an terribilis nondum tum Marius erat? is qui Iugurtham subegerat, et Cimbros et Teutones, huius Cimbri populares, ad Aquas Sextias conciderat? Quodsi *futurum* est praedicatum, habemus hanc sententiam: „deas scelerum et Marium futurum (-ros) terribiles”. At id non *viderat*. — „Viderat lucem ex oculis et deas, terribiles futuras”, posset sic intellegi ut *futurum* (*futuras*) attributive esset capiendum, sed quid tum verbis „Mariumque” fiet, num ex improviso Marium viderat? Aut hic versus abiciendus est (in quo solo, quantum scio, dei deaeve in carcere Marii apparuisse dicuntur), aut maius aliquid audendum. Conieci Mnem. XIX. 33: „*ultrices*que deas scelerum *Mariique futuras*”, viderat deas futuras ultrices scelerum Mariique. Sed certa tam magna mutatio numquam potest dici. Cortius: „Mariumque furorem”.

85 Cimbri: incredibilis apostrophe postquam unum Cimbrum in carcere compellavit. Vir doctus apud Burmannum: „Cimber, servato”, puto „Cimbris (sc. ultorem) servato”. Una *s* omissa corruptionis causa.

86 *Sed* omissum ante *ingenti* minus durum videbitur, si voce subsistas post *numinis* et „ingenti” cum emphasi efferas. Tamen Bentl.: „ingenti, *verum* prot. ab ira” (praestaret ingenti superum *sed* t. a. i.), Grotius (non in ult. ed.): *at.*

Sufficiens. Idem pelago delatus iniquo
Hostilem in terram vacuisque mapalibus actus
Nuda triumphati iacuit per regna Iugurthae,
Et Poenos pressit cineres. Solatia fati
Carthago Mariusque tulit, pariterque iacentes
Ignovere deis. Libycas ibi conligit iras.
Ut primum fortuna redit, servilia solvit
Agmina: conflato saevas ergastula ferro
Exeruere manus. Nulli gestanda dabantur
Signa ducis, nisi qui scelerum iam fecerat usum,
Adtuleratque in castra nefas. Pro tristia fata!
Quis fuit ille dies, Marius quo moenia victor
Corripuit! quantoque gradu mors saeva cucurrit!
Nobilitas cum plebe perit; lateque vagatus
Ensis et a nullo revocatum est pectore ferrum.
Stat cruor in templis, multaque rubentia caede

**88** et idem T, **89** vacuus T, **90** iugurte A, **91** praessit M ut semper (*sed sic etiam urbae 74 et alia ut in Gallicis codd.*), solacia MAG, **92** iacentis corr. in — tes MA, parteque T, **93** de his M, **95** saeva U, **97** duci M, ducis m, usus A (usum a), **98** attulerat VUT, adtulerat M, pro — dies (99) l. Prisc. 365. 96 H. et II. 34.4, pro fata, quis ille. Quis fuit, O, vulgo, pro tristia fata [quis ille] Prisc. altero loco, **101** vagatus UC (suprascr. est) MARG, vagatur V, vulgo, **102** [est] UM, **103** stat — templis l. Acro Hor. C. I. 35, 36,

89 Cortius et Martini Laguna: „Iunge: actus per r. Iugurthae iac. vac. map." Haec oratio non incedit sed saltat; vocabula quasi per quincuncem disposita. Non minus artificiosa constructio, quam proponit Haskins, qui *mapalibus* dativum putat iungendum cum *actus*, ut „compellere gregi" et simm. Sed *actūs* significat agros, iugera et intellegendum de Iunoniae relictae agro colonico; scriptores gromatici usurpant vocabulum de certa agri colonici mensura, Lucanus, ut poeta, potuit de spatiis agri colonici vacuis usurpare. Ablativus qualitatis attributive positus cf. ad IX. 655. Ceterum cf. Vell. Pat. II. 19. 4: „inopemque vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit, cum Marius aspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio", quem Lucanus h. l. imitatur. V. 90 sine dubio minus durum est *latuit* quam *iacuit* (conf. VII. 816 in A) sed cf. „pariterque iacentes", v. 92; *nuda regna Iugurthae* = nudum solum regni (olim) Iugurthini; praegnanti constructione *iacuit per* significat: errans ab uno in alterum locum in nuda terra decubuit. Elegantius Bentleius: „*nota* triumphati *calcavit* regna Iugurthae", num magis Annaeanum, hoc quaeritur. Schrader: „*ante* triumphati". De vocabulo *nudus* cf. ad VI. 550. Paene ridiculus potest esse Lucanus et tamen Lucanus. — „*Iacentem* supra crepidinem" Seneca rhetor Contr. I. 1. 3; Manilius IV. 47: „Marius adiacuit Libycis compar iactura ruinis eque crepidinibus cepit Carthaginis orbem."

93 *Sibi* Burm. nulli bono, *colligit alas* = copias Bentl.; colligere, ut contrahere (e. g. morbum) dicitur, sic „malum sanguinem" Cicero; Hannibalis et Iugurthae animum induit. *Rabidas iras* Schrader.

95 Conflato ferro tantum solvi poterant catenae, quibus collum pedesque constricti, ut rem fingit Lucanus. Ergastula pro gladiatoribus.

98 Deleto „quis ille". cum Prisciano dedi *tristia fata*. Vulgata ab usu Lucani abhorret et probabile est lacunam, quae omisso vocabulo *tristia* exstiterat repetitione expletam esse, cf. V. 57.

101 *Vagatus* a Bentleio quoque probatur. Gravis imago mortis properantis v. 100.

Lubrica saxa madent. Nulli sua profuit aetas:
Non senis extremum piguit vergentibus annis
Praecipitasse diem, nec primo in limine vitae
Infantis miseri nascentia rumpere fata.
Crimine quo parvi caedem potuere mereri?
Sed satis est iam posse mori. Trahit ipse furoris
Inpetus, et visum lenti quaesisse nocentem.
In numerum pars magna perit, rapuitque cruentus
Victor ab ignota voltus cervice recisos,
Dum vacua pudet ire manu. Spes una salutis
Oscula pollutae fixisse trementia dextrae.
Mille licet gladii mortis nova signa sequantur,
Degener o populus, vix saecula longa decorum
Sic meruisse viris, nedum breve dedecus aevi,
Et vitam, dum Sylla redit. Cui funera volgi
Flere vacet? Cui te sparsum per viscera, Baebi,
Innumeras inter carpentis membra coronae

**105** non (iam) — diem (106) l. Acro Hor. epod. 3. 2, n̄ senis *aliquot codd. Acr.*, **106** praecepisse VATg, praecipitare M, praecipitasse M corr. gRU, non primo A (nec a), **108** crimine — posse (109) l. Lact. ad Stat. Theb. II. 305, V. 151, caedes Lact., **109** furoris, is in ras. U, **110** impetus, *s* in ras. M, lente URT, lentum v, lenti uVMAG, est quaesisse V, **112** voltus, s. s. u M, recesos, in vulg. mut. M, **113** ira M, **114** pullutae A, **115** licet, c e corr. M, **116** degener o pop. l. [Prob.]IV. 16. 1 K, Phocas V. 429. 23 K, totum versum l. Prisc. Part. II. 487 et II. 512. 1 K, degener — viris (117) Prisc. 305. 20 H et II. 208 H; o populus, o ex corr. M, **118** volgi, *u* suprascr. M, **119** vacet mutatum in: vacat G, vix pro: *cui* O vulgo, **120** intercarpentis (ὑφ' ἕν) c.

106 *Praecepisse* Bentl. et Heinsius Val. Fl. IV. 751, nec dubium est quin recte dicatur, sed conferendus versus VII. 353. Senectus iam in declivi est, impellit quis iam humi vergentem.

109 *Furorem* Bentleius i. e. furentem, iniuria offensus defectu obiecti, indicium Vossiani 2 (U) nimis exile secutus. Non necessaria coniectura Heinsii (teste M. Laguna) *lictor* v. 112. Ib. *resectos* Cortius, quod commemoro propter *recesos* in M, quod ex *resectos* potuit existere; fortuitum tamen puto.

111 „In numerum" explicat Peerlkamp ad Verg. Aen. p. 195, b ex opposito „in nomen perire"; sed advocandus locus Horatii Epist. I. 2. 27 „nos numerus sumus", Graeci ἀριθμός dicitur sic „unus de multis", „vir nihili", οὐδέν. „*In* numerum" est sic ut numerentur eorum cadavera (non singuli laudentur).

115 „*Mortis nova signa*, si vultum avertisset Marius, si non resalutasset, si manum ad osculandum prensatam retraxisset. Haec σύμβολα, ut ait Plutarchus (Mar. 43), *signa* erant satellitibus statim quemvis occidendi". Bentleius.

119 Cum Heinsio dedi id, quod ipse divinaveram: *cui* pro *uix*. Inepta est vulgaris interpretatio: „vix flere vacat te, te Baebi discerptum esse". Ergo *vacat* tamen hunc flere? Putidum hoc est; accedit quod prima specie dubius haeres, quo *vix* sit referendum. *Per viscera* lubenter Bentleius in „Sparsumque perit per *frusta*" mutaret, sed iure in Lucano *viscera* (cor et intestina) tulit. Heinsius ad Claud. in Rufinum II. 416 *disperiisse* proponit collato Lucretio V. 1421: „et tamen inter eos distractam sanguine multo (non: *distractum*, ut Heinsius laudat, sermo est de pelle) discerpsisse". Utique *discerpsisse* neque aliud verbum activum transitivum fert constructio, nam quod Weisius *intercarpere* verbum dedit, nullum est. Cum *disperiisse*

Disperiisse manus, aut te, praesage malorum
Antoni, cuius laceris pendentia canis
Ora ferens miles festae rorantia mensae
Inposuit. Truncos laceravit Fimbria Crassos.
Saeva tribunicio maduerunt robora tabo.
Te quoque neglectu violatae, Scaevola, Vestae
Ante ipsum penetrale deae semperque calentis
Mactavere focos; paulum sed fessa senectus
Sanguinis effudit iugulo, flammisque pepercit.
Septimus haec sequitur, repetitis fascibus, annus:

**121** discerpisse, rpi in ras. m 2 M, deserpisse T, discessisse A, discerpsisse VUGa, vulgo, **122** laceras in vulg. corr. M, pendentia, *end* in ras. M, **123** faeste (prima et ultima littera in ras. M, **125** tribunitio VUAG, tribunicio M, robura A, **126** veste ME (corr. in dextrae) A, dextre c a (marg.), dextrae, rell. et vulgo, **127** calentis (in — tes corr.) MG, **128** parvum (sic) — pepercit (129) l. Prisc. 509. 16 H, parvom $M_1$, parvum O vulgo, set $M_1$, **130** exsequitur (corr. m. 2 in haec sequitur) MR exequitur g, annis u suprascr. A.

cum Lucani genere scribendi multo magis conveniat quam languidius verbum *discessisse* et palaeographiae non repugnet, prius recepi. Manifesto est „distractum periisse". *Perire* de cadavere, quod evanescit, Iuven. 2. 60. Ex *disperisse* transpositione factum *discerpisse*, sic MT, et *discerpsisse*, item ex coniectura litteris quibusdam omissis *dis*-CES*sisse*, in A et fort. primitus in M. Ceterum M. Baebius hic, quem diversum putant ab eo, de quo Florus II, 9 (III. 21 Duk.) et Appianus Civ. I. 72, si credimus Floro II. 9 (III. 21, 26 Duk.), sub Sulla esset discerptus. Utrum Lucanus erraverit, Mario imputans, quae Sullani deliquerint, ut Grotio videtur, an Florus, duos simili fato memorans, dubium est, propterea quod Appianus unius tantum fatum idque sub Mario refert.

121 „Praesage malorum" illustrant sola scholia (Bern. et Voss.) non historici.

124, 125. Quae mira habent scholia Bernensia („lacerando truncos fecit" et „robur tigillum adfixum saxo Tarpeio") censenda sunt excogitata ut Lucani relatio cum historica conveniret. De (P. Licinio) Crasso Divite et filio Flor. II. 9 (III. 21. 26 Duk.) Liv. Per. LXXX. de Sexto Lucilio (Licinio, Lucino) qui *fuerat* tribunus locos collegit Usenerus ad scholia, quae omnino sunt conferenda.

126 Vulgata, „neglectum violatae dextrae" hanc admittet interpretationem: neglectum a dextra Marii", ut *dextrae* dativus sit, modo scribatur *violentae* cum Grotio. Scaevola igitur a Mario non resalutatus diceretur, porrexit manum Scaevola, non contra Marius, itaque huius satellites Scaevolam mactaverunt, cf. Plut. Mar. 43, Flor. II. 9. 10 (III. 21, 16 Duk.) Dio Cass. XXXVI. 102. 10. Sed pontificem maximum priorem manum porrexisse Lucanus non potuit credere, ne iam dicam de molesta constructione. „*Neglectu* (= per neglectum) dextrae" manifesto ad caedis auctores neglegentes (non curantes) referendum esset, contra sententiam. Gronovius Diatr. Stat. II. 6 p. 99 Hand. *neglectum* per *heu neglectum* et de Scaevolae prisci dextra interpretatur, in quo *violatae* tamen incommodum est. Restant igitur libri MAE, sane optimi auctores, offerentes *veste* i. e. *Vestae* = nihil curantes Vestae templum, in quo erat Mucius; ita Bentleius quoque, iniuria tamen *neglectum* retinens. Ablativus contra ferri potest: per neglectum Vestae, quam violabant: cf. e. g. „urbis tumultu" Tib. II. 3. Errat autem Lucanus haec ad Marium patrem referens; sub filio acciderunt. Liv. Epit. 81 et 86. Hosius iungit: „neglectum, violatae Scaevola dextrae", languide et obscure. Nec Heitland Class. J. 1895. 155 satisfacit.

128 „Paullum — sanguinis" pro inusitato „parvum — sanguinis" Heinsius et sic malo credere Lucanum dixisse, quam quod eius aetate inauditum fuit; nemo exemplum sufficiens attulit, cf. Heitland CIII.

130 „*Hinc* sequitur" Bentleius, sed *haec* (*hec*) et *ec* tam facile permutantur, ut *ecferre* et *haec ferre*, simm., ut probabilius sit vulgatum *haec sequitur* (*hec sequitur*. *ecsequitur*). *Exsequi* non est aptum. —

Ille fuit vitae Mario modus, omnia passo,
Quae peior fortuna potest, atque omnibus uso,
Quae melior, mensoque, hominis quid fata patrarent.
Iam, quot apud Sacri cecidere cadavera portum,
Aut Collina tulit stratas quot porta catervas,
Tunc cum paene caput mundi rerumque potestas
Mutavit translata locum, Romanaque Samnis
Ultra Caudinas speravit volnera Furcas!
Sylla quoque inmensis accessit cladibus ultor:
Ille quod exiguum restabat sanguinis Urbi
Hausit; dumque nimis iam putria membra recidit,
Excessit medicina modum, nimiumque secuta est,
Qua morbi duxere, manum. Periere nocentes, —
Sed cum iam soli possent superesse nocentes.

**133** paterent vM (sed *t* in ras.) AGRF, vulgo hominis O, quot fata g (1ª m.), **134** qd in marg. utroque loco A, **136** poene V, **137** maioraque g (3. m.), Rom. — furcas (138) l. Prisc. 249. 5 H, **138** l. Acro Hor. Sat. I. 5. 51, volnera, corr. *o* in *u* M, **139** inmensis UR, **141** putria in putrida m. 2 corr. U, putria VMRGA, **142—144** l. August. Civ. D. III. 27, **142** medica (corr. m. 2), **143** manum Aug., manus O et vulgo, **144** iam a m. 2 add. U.

Florus II. 9 (III. 21. 17 Duk.) has caedes a Mario septimum cons. inter Kalendas et Idus Ian., quibus mortuus est, perpetratas dicit, melius Lucanus, si excipis Scaevolam v. 126—129.

133 Grotius: „hominis quid fata paterent" i. e. in quantum f. p., fatorum „distantiam a maxima felicitate ad maximam miseriam." Non melius Bentleius: „hominis *quod* fata paterent". Id esset, opinor, hominis id, per quod fata patent, extantia et proposita ei sunt, omnia fata quibus expositus homo est. Satis obscure. Praestaret *qua*. Alii *homini — pararent*. *Patere* non aptum verbum est, quod fere in bonam partem dicitur. Coniunxi duas lectiones *paterent* et *pararent*, exstiterunt ex *patrarent*. Verbum est Sallustianum, Livio quoque Claudiano et Tacito usurpatum (*caedem*, *bellum*), et librariis facile ignotum. Expertus erat Marius quid fata hominis molirentur, designarent. Paulo ante *peior fortuna* et *melior* pro hominibus inferioris et melioris fortunae; *potest* sc. pati, ad *quae melior* int. accipere (ex *pati*). Praetulissem *parat* pro *potest*.

134 „Iacuere cadavera" Bentleius. Quidni *cecidere*? Germani et nos: er zijn — dooden gevallen.

138 *Spiravit*, Heinsius. Nihil opus: spirant homines vindictam, odium, amorem, alias affectiones aut bellum, discordiam. simm. *Vulnera* spirare ferremus traditum, sed non est usitatum. Samnites (nam *Samnis* collectivum) sperabant se vulnera maiora quam ad Furculas Caudinas inflixuros.

139 Sylla per y omnes perpetuo libri. Cf. Zangemeister Praef. ad Orosium p. XIV.

141 „Dumque ensis" Bentleius. Proximo „*secutae* — manus" pro „*secuta est*", quo non opus, cf. in fine versuum VI. 124 „paranda est", X. 267 „cupido est", VII. 129 „in ore est" V. 257 „timori est", 260 „inultum est", et omnino pluralis hoc loco non aptus; artificis peritia per singularem *manus* solet indicari, quare Augustini lectionem *manum* recepi. Medicina (persona) nimis (*nimium* adverbium est) secuta est vestigium morbi; dum ulcerosa loca sequitur, vitam exsecuit.

144 Contra Augustinum hunc versum proscribit Burmannus; est i. q. „cum non amplius probi essent, cum omnes probi essent occisi". Sed facile est videre sententiam non recte expressam esse: voluit: cum iam soli possent occumbere; periere nocentes, sed nihil eo meruerunt carnifices, deficiebant probi. Explica: perierunt! sed eo tempore quo soli supererant; alii non potuerant superstites esse. Tersa

Tum data libertas odiis, resolutaque legum
Frenis ira ruit. Non uni cuncta dabantur,
Sed fecit sibi quisque nefas: semel omnia victor
Iusserat. Infandum domini per viscera ferrum
Exegit famulus; nati maduere paterno
Sanguine; certatum est, cui cervix caesa parentis
Cederet; in fratrum ceciderunt praemia fratres.
Busta repleta fuga, permixtaque viva sepultis
Corpora, nec populum latebrae cepere ferarum.
Hic laqueo fauces elisaque guttura fregit,
Hic se praecipiti iaculatus pondere, dura
Dissiluit percussus humo, mortesque cruento
Victori rapuere suas; hic robora busti
Extruit ipse sui, necdum omni sanguine fuso
Desilit in flammas, et dum licet, occupat ignis.
Colla ducum pilo trepidam gestata per Urbem,
Et medio congesta foro. Cognoscitur illic,
Quicquid ubique latet. Scelerum non Thracia tantum
Vidit Bistonii stabulis pendere tyranni,
Postibus Antaei Libye; nec Graecia maerens
Tam laceros artus Pisaea flevit in aula.

**146** bantur, da s. scr. m. 2 M, cuncta dab. uni (hoc ord.) T, **147** semel – (148) iusserit. l. Probus IV. 247. K, **148** iusserit Probus, **149** maduere, ultima *e* in ras. 4 litterarum M, **150** cui — cederet (151) l. Isidorus XIV. 1. 4, **151** in — fratres l. Isidorus XIV. 4, fratrem Is., praemia fratris Is., caederet UVAG ut semper, **152** sepulcris F, **153** coepere UM, caepere A, lateb . rae M 1 litt. deleta, **155** duro, corr. dure, inde: dura M, **156** desiluit, (desi in ras) MAT mortisq. A mortem a, **158** extruit UM, sibi u, omne, in: omni corr. m. 2 M, **159** flammis, corr. flammas A, **162** quicquid VUMG latet VUM et ex corr. G, iacet AG, tracia (h s. s.) MR, trachia A, **163** bisthonii VG, bistoniis m (3 m.) R tiranni RG, **164** anthei VU, libie R, libyae MGA, merens, *m* in ras 3 litt M, **165** tot MGV, tam VURAT iam c. pysea A.

oratio requirebat *cum potuissent* aut *cum supererant*.

146 „non unus imperabat, sed sine duce et imperio, per se quisque, occidebat. *Dabantur*: non ad unum singula deferebantur.

155 Cf. Claud. XVII. 319: „vel qui more avium sese iaculantur in auras". Ovid. Metam. VI. 259 „seque eiaculatus in altum", Duker ad Florum I. 13.

159 „Occupat ignis" praeripit aliis.

162 *Latet* praeferendum prae *iacet*, non tantum propter auctoritatem sed etiam propter repugnantiam: „cognoscitur *illic* quidquid *ubique* iacet", debebat certe *latuit*. Sed quidquid in loco quamvis abdito latet in illustri foro omnium oculis *patet*. Primus Heinsius recte distinxit post *latet, scelerum* iungens cum *tantum*, quod absolute non recte dicitur. Praeterea Bentleius sine causa *capitum* pro *scelerum*. *Vidit* scelera nemini offensioni esse potest. Provocat Bentleius ad capita in foro exposita a Sulla.

165 Praeconcepta opinio quantum subinde vel summis viris noceat, documento est Bentleius, qui „certissimum mendi indicium" esse dicit quod vocabulum aliquod brevi post intervallo (h. l. 11 versuum cf. 177) recurrit; nihil frequentius esse apud Lucanum multi hodie docuerunt, veluti Heitland et Trampe; Schraderi acumen

Quae iam tabe fluunt, confusaque tempore multo
Amisere notas, miserorum dextra parentum
Colligit, et pavido subducit cognita furto.
Meque ipsum memini, caesi deformia fratris
Ora rogo cupidum vetitisque inponere flammis,
Omnia Syllanae lustrasse cadavera pacis,
Perque omnis truncos, cum quo cervice recisum
Conveniat quaesisse caput. Quid sanguine manes
Placatos Catuli referam? cum victima tristis
Inferias Marius forsan nolentibus umbris
Pendit, inexpleto non fanda piacula busto;
Cum laceros artus, aequataque volnera membris
Vidimus, et toto quamvis in corpore caeso

**166** cum — fluunt l. Cledonius V. 45. 27 K, cum iam O vulgo, tempora R, *cum* pro *quo* O, vulgo, **170** inponere U, **171** lutrasse, supr. scr. *s* M, **172** omnis UM (in hoc corr. in: omnes) AG, qua O et vulgo, **173** manes *a* ex corr. M, **174** tristis O, **175** umbras (2 m. corr. umbris) M.

semper in hoc equo equitat et labitur. Hoc loco Bentleius „tot procerum vultus". Infelicius etiam Heinsius, si fides Burmanno, coniciens: „tantum artus laceri"; vix credo. *Tot* olim defendi coll. Soph. El. 724, et similibus locis, qui aeque pro „tam" faciunt; non tam numerus deiectorum aurigarum in stadio, quam horrenda subinde mors erat memorabilis.

166 Librorum lectio *cum* offendit eo quod obiectum desideratur verbi *colligit*; nam *laceri artus* (stadii Pisaei) ratio poetica huc vocare vetat, nec temporis hoc indicium valde aptum est. In *quae* Burmannus quoque incidit. — Verba „confusaque tempore multo *amisere notas*" pugnant cum *cognita*, pro quo Heinsius *condita*, nimirum in sinu aut aliter oculis victoris subtracta. Sed *cognita* in nexu narrationis necessarium: ossa liberorum amiserant notas, vulgo, ab alienis non cognoscebantur, sed agnoscebantur a parentibus et subducebantur. „*Cura* parentum" Bentleius, est hoc genus critices quod magis acutum ingenium interpretis quam peccatum auctoris aut librarii aperit. In reliquis quoque delectus verborum non laudabilis, nempe iuxta positis *confusa colligit*; *colligere* non aptum nisi figurate accipias quasi de messe, quod in hac iunctura non statim lector faciet. Non claram imaginem haec animo repraesentant. Suspicor illa *confusaque — notas* festinanter conscripto iam libro addita esse.

170 „Cupidum inponere" iungendum, infinitivus ab adiectivo pendet; moneo propter Burm.

172 Grotius ex Harleiano *revulsum*, sed cf. 112, supra. Vulgo *qua*, pro quo ex coni. dedi *quo*; verba cohaerent: quaesisse per omnes truncos (unum), cum quo caput cervice recisum conveniat. Versus pausa post *quo* facta numerosior est, nec dubii haeremus primum legentes quo sit *qua* referendum, denique *recisum* recte suppletur.

175 Marius est M. Marius Gratidianus, M. Marii, qui frater erat C. Marii septies cons., ex adoptione filius; patruum igitur habebat Sullae adversarium. De eo Cicero in or. de toga cand., Florus. Seneca de Ira III, 18, Orosius V. 21. 7. Cf. Kritz ad Sall. Hist. I. 35. Florus cum *fratrem* eum *ducis* dicit, vult: fratrem patruelem Marii iunioris II. 9 (III. 21. 26 Duk.): „Marium, ducis ipsius fratrem, apud Catuli sepulcrum oculis effossis, manibus cruribusque effractis (fractis?) servatum aliquamdiu, ut per singula membra moreretur". De Q. Catuli, Cimbrorum olim cum Mario victoris, caede a Marianis perpetrata, ad quam expiandam Marii Gratidiani cruciatum Sulla perfecit, cf. Velleius II. 22. — *Tristis* propter metrum cum *victima* iungendum.

176 *Inexpleto busto* Q. Catuli inexplebili sepulcro. *Pendit* perfectum, sine exemplo.

178 *Caeso* contra usum pro vulnerato, sed *laeso* nimis tenue Lucano.

Nil animae letale datum, moremque nefandae
Dirum saevitiae, pereuntis parcere morti.
Avolsae cecidere manus, exsectaque lingua
Palpitat, et muto vacuum ferit aera motu.
Hic aures, alius spiramina naris aduncae
Amputat, ille cavis evolvit sedibus orbis,
Ultimaque effodit spectatis lumina membris:
Vix erit ulla fides tam saevi criminis, unum
Tot poenas cepisse caput. Sic mole ruinae
Fracta sub ingenti miscentur pondere membra,
Nec magis informes veniunt ad littora trunci,
Qui medio periere freto. Quid perdere fructum
Iuvit, et, ut vilem, Marii confundere voltum?
Ut scelus hoc Syllae caedesque ostensa placeret,
Agnoscendus erat. Vidit Fortuna colonos

**179** laetale mutatum m. 1 in loetale A, quod perpetuum in libris omnibus, **181** exsectaque UMA, exectaque VG, multo vg, **183** ures alius in ras. M, alius aures, corr. in vulg. A, 183 — amputat (184) l. Prisc. 222. 20 H, **185** effodit VUMLG, effundit Ag, efundit T, effudit R, **186** erat VU, **187** coepisse V, caepisse UG, cepisse (suprascr. *o* m. 2) M, **189** littora UM (sed altera *t* punctata), informis A, trunci, m. 2 in marg: pon.... A, **191** uteidem R, **192**, ut sc. — erat (193) l. Prisc. 520. 17 H, **193** acnoscendus M (agnoscendus m).

179 „Animae nihil letale", nullum letale vulnus, qua avolaret, animae datum.

181 „*Micuere* manus" Bentleius.

185 „Effundit" humo, inquit Bentleius, noster VII. 305 „et caput hoc positum „rostris effusaque membra" Verg. XI, 485 „et ipsum pronum sterne solo, portisque „effunde sub altis." — Altero loco est prosternere brachiis cruribusque distentis ut magnam terrae partem tegat; priore: spargere in varias partes. Neutrum convenit cum duobus oculis coniectis in terram. — Apud Orosium l. l. *effossis* Zangemeister et sic Florus. — Plerique *effodit*, quod perfectum est, propter superiora praesentia *ferit*, *amputat*, *evolvit* spreverunt, sed saepe Lucanus variat tempora, multa attuli ad VII. 237.

Ib. „Spectatis lumina membris". Iulius Firmicus apud Bentl. ad 274, I. 3: ad postremum „omni corporis parte mutilata oculi *qui fuerant spectatores* et superstites, egeruntur." „Spectatis membris" = quae spectaverant membra sc. vulnerata. Ablativus consequentiae h. l. pro attributo est, ut saepius ablativus qualitatis. Non regula optimae latinitatis huc admovenda.

186 Rectam interpunctionem iam habet Oudendorpius, multi rursus post *fides* minus recte distinguunt; „saevum crimen" est dirus cruciatus, acc. c. inf. epexegesis est et pendet a *fides erit*, non maiore cum libertate, quam post *fama*, *rumor est* et simm. Cf. J. Schmidt, de Inf. p. 121. *Unum* recte se habet, *ullum* non requiritur.

187 „Sic", rell. Ob oculos habuit fortasse calamitatem, quae sub Tiberio Fidenis accidit, ubi amplum theatrum corruit, cf. Tac. Ann. IV. 62.

189 *Trunci* substantivum est; *qui periere* additum quasi *corpora* praecessisset. *Littora ponti* voluit m. 2 in A et g.

192 Ergo Sullae secundum L. non placuit caput ostensum, secundum reliquos Sulla iussit Marium interfici. Cum Cicerone tamen in Toga Candida, qui Catilinam narrat a Ianiculo caput Sullae apportasse, Lucani testimonium potest conciliari.

193 sq. Praenesto antiqua civitas Latina foederata a Sulla diruta et colonia Sullana facta est, cf. Beloch, Italien unter Roms Hegemonie p. 235. Itaque *colonos* per pro

Praenestina suo cunctos simul ense recepto
Unius populum pereuntem tempore mortis.
Tunc flos Hesperiae, Latii iam sola iuventus,
Concidit, et miserae maculavit ovilia Romae.
Tot simul infesto iuvenes occumbere leto
Saepe fames, pelagique furor, subitaeque ruinae,
Aut caeli terraeque lues, aut bellica clades,
Numquam poena fuit. Densi vix agmina volgi
Inter et exsanguis, inmissa morte, catervas
Victores movere manum. Vix caede peracta
Procumbunt, dubiaque labant cervice; sed illos

**194** suos O, vulgo, receptos UvmTL, recepto VMARG, peremptos s. scr. U sine ⊢, ensae *a* del M, **195** noctis V, mortis vMUAG, unius et m, pereunte R, **197** laceravit corr. in vulg. G, et — romae l. Serv. Ecl. I. 33, **198** occumbere, *o* in ras 3 litterarum M, sucumbere T, **199** sc. causa *glossa in* M, furor m. 2 M, **200** terrae caelique (hoc ord.) ORT, furor s. scr, in M, opp̄ssit m. rec. in marg M, **201** agmina, *g* a m. 2 M, volgi (mutatum in: vulgi) M, **202** exanguis V, inmissa U, [et] T, **203** manus VUm (*s* a m. 2), **204** procumbit U, procumbunt u, labent corr. in labant A.

lepsin dicit qui nondum erant. Milites Praeneste a Sulla capti partim erant cives R. quibus pepercit, reliquos, Praenestinos et Samnites telis confodit, *κατηκόντισεν*, App. I. 94, Val Max. IX. 2. 1. Cuncti simul ensem receperant scil. corpore; verbum gladiatorium, ut Grotius iam animadvertit, dum coniecturam suam *recisos* defendit; ea ad comparationem cum aristis recte quadraret, (veluti si scriptum esset: ceu culmos falce recisos), sed non cum reliquo versu. *Recisos* tamen Burm. et Haskins cum Weisio, *recepto* recte Oudend., Cortius, Hosius. Speciosum in quod incidit Barthius *suo*, quod recepi: evocati ex urbe (cf. Val. l. l.) et circumdati a Sullanis desperata salute in gladios suos procubuisse finguntur a Lucano, neque obest quod Valerius genere mortis paulum recedit; altera haec traditio si exstitit, ut opinor. Lucano magis placuit. Heinsius „iuncto simul ense recisos", idem ad Sil. It. IX. 641: „iunctos s. e. recepto". *Suos* ad *colonos* non magis necessarium est, quam ad *cives* requireretur.

195 *Mortis* dedi tam propter probabilitatem palaeographicam (cf. var. lect.), quam propter internam quam dicunt causam. Quid enim attinuit dicere „tempore unius noctis" pro „una nocte"? Contra „tempore unius mortis" cum *simul* recte convenit: quo tempore unus homo interficitur conciderunt omnes, non alius post alium. Heinsius probat *noctis*, *mortis* reliqui. Iniuria versus suspectus Gyeto.

196 „Latii iam sola iuventus" quatuor legiones (sec. Val. l. l.), quae de exercitu Romano solae supererant. Sullae exercitus non erat e lege conscriptus.

**198** „Tot simul occumbere — numquam poena fuit" solita libertate dicitur, qua res quaepiam ipsa dicitur esse illud, quod efficit (*scelus, ὄλεθρος, ὄνειδος, καταστροφή* Herod. I. 6), inseruntur quaedam quae aliud verbum postulant, nempe *effecit*. Non offendunt haec magis quam *-que* pro *-ve* „terrae caelique", quod mutatum voluit Bentleius.

203 *Lictores*, qui ab hoc loco alieni, Bentleius et Schraderus. Volgus cogita affluxisse ad caedem cognatorum, qui in illis legionibus merebant, et constipatum turbas civisse, porro semanimes iam in fluvium coniectos. Val. Max. l. l. „lacerata ferro corpora Tiberis inpatiens tanti oneris cruentatis aquis vehere est coactus". — „Vix caede peracta" non letali vulnere caesi procumbunt et inter stipatam turbam se erigere non validi proculcantur et in Tiberim raptantur. Hinc iudicari poterit de Bentleii coniectura: „*hi* caede *peremti*;" *hi* etiam Grotius; *vix* iung. cum *peracta*. Idem 206 minus recte *cladis*. *Caedunt* ipsa cadavera. Hoc Lucano dignum. Etiam ea quae sequuntur atrocia, in quibus tamen quantum ex ingenio auxerit difficile est dicere. Ipsa rei veritas superat subinde phantasiam. Quid stipata turba horroris efficere possit in conflagratione theatri Vindobonensis (Ringtheater) audire potuimus.

204 *Sed illos* fortuitum quod convenit Iuvenalis II. 4. 5.

Magna premit strages, peraguntque cadavera partem
Caedis: viva graves elidunt corpora trunci.
Intrepidus tanti sedit securus ab alto
Spectator sceleris; miseri tot milia volgi
Non piguit iussisse mori. Congesta recepit
Omnia Tyrrhenus Syllana cadavera gurges.
In fluvium primi, cecidere in corpora summi,
Praecipites haesere rates, et strage cruenta
Interruptus aquae fluxit prior amnis in aequor,
Ad molem stetit unda sequens; nam sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
Praecipitique ruens Tiberina in flumina rivo
Haerentis adiuvit aquas; nec iam alveus amnem,
Nec retinent ripae, redeuntque cadavera campo.
Tandem Tyrrhenas vix eluctatus in undas
Sanguine caeruleum torrenti dividit aequor.

**205** peraguntq., *a* in ras. 2 litt. M, **206** gravis M, **208** milia VURG, volgi, o in *u* mut. M, **209** timuit VuaRGc, piguit Ug, rell., iuss. timuit G, **210** gurges, 1ª lit. a 2 m. M, **211** in fl. summi cec. i. c. primi MA (*sed corr. m. 2 litteris b a suprascr.*), **213** aquae MVU (In hoc e e corr.) GL, aquis AG, **2J4** nam UM (n in ras) AG iam V, **216** in flumina ORTc, praecipiteque supra scr. *ique* R, **218** redditque VUmgRT, vulgo, redduntque M (-dunt in ras.) AGL, **219** tyrrenas MR.

207 Rursus sine causa Bentl. et Heinsius: *intrepidus tantique sedet* et Withofius *sedet et*. Ridicule Burmannus in *crepidis*. Bentleius reiecto v. 212 („praecipites" —) scribit „interruptus *aquas*." *Aquis* ante Oud. et Burmannus. *Prior amnis* me iudice illatum est ab iis, qui ad *sequens* iniuria oppositum desiderabant, nam ad *molem* (aggerem cadaverum quae flumen obstruebant) hoc pertinet: „sequens molem"; supra molem stetit fluvius. *Prior* exstitit, ut opinor, ex *piger*: „interruptus aquae fluxit piger amnis in aequor". PIGER et PRIOR eo quod G et O admodum inter se similes sunt, facile confunduntur. Vulgata male composita; primum legentes iungimus necessario *fluxit prior*, quasi de ordine ageretur. *Interruptus* tanquam adi. defectus optime iungitur cum genetivo (ut *pauper aquae* et sexcenta alia). Retentus cruor egreditur ripas, et infra molem rursus fluvio se iungens tantopere alit amnem, ut cadavera emittat! v. Jever. ap. Weberum 209 sqq.: „recepit Omnia Tyrrhenus *simul atque* cadavera gurges, Praecipites haesere *viae*, (?), *nam* strage cruenta *Interceptus* aquis fluxit prior amnis in aequor, Ad molem stetit unda sequens, *tum* sanguinis alti Vis sibi fecit iter" eiecto cum Bentl. v. 212.

214 Pro *nam* Grotius: *dum*, Bentleius: *cum*, Burmannus: *iam*, quod per *tandem* explicat, idem (*iam*) Oudendorpius, qui transitum a cadaveribus ad cruorem notari dicit; *nam* hoc vult: sanguis enim postea demum affluxit (occupatio). Ex his nullum plane satisfacit; particulam adversativam potius desidero: aliquantisper stetit aqua ad molem, sed sanguinis alti vis haerentes adiuvit aquas. At ita sunt haec obscura, ut lectionem librorum satius habuerim repraesentare: sanguis per campum *omnem* effunditur et tamen efficit sibi (i. e. separatim) *rivum*, eumque praecipitem. Quomodo sanguis a Villa Publica aut Saeptis ex Campo Martio per campum omnem viam sibi invenit a Tiberi diversam? et quomodo in caede a corporibus potuit separari? V. 216 „*ad* flumina", iam a Bentleio reiectum, absurdam ob causam, quod v. 213 et 219 *in* positum est, a Cortio revocatur.

218 *Redeuntque* Burm.; inde *reddunt* factum.

Hisne Salus rerum, Felix his Sylla vocari,
His meruit tumulum medio sibi tollere Campo?
Haec rursus patienda manent, huc ordine belli
Ibitur, hic stabit civilibus exitus armis.
Quamquam agitant graviora metus, multumque coitur
Humani generis maiore in proelia damno.
Exulibus Mariis bellorum maxima merces
Roma recepta fuit; nec plus victoria Syllae
Praestitit, invisas penitus quam tollere partes.
Hos alio, Fortuna, vocas, orbemque petentes
Concurrunt. Neuter civilia bella moveret,
Contentus, quo Sylla fuit". Sic maesta senectus
Praeteritique memor flebat, metuensque futuri.
At non magnanimi percussit pectora Bruti
Terror, et in tanta pavidi formidine motus

**221**, **222** l. (Sergius) IV. 536. 13 K: meruit f. S. vocari, **222** medio tumulum (corr. 1 m.) G, ponere b. **224** igitur (m. 2 in ibitur corr.) M, **225** multum — damno 226 l. Prisc. 395. 26, quanquam VG. metus O, **226** dampno U, **227** mariis, prior *i* a m 2 M, **230** O salio (m. 1) MA (marg.: hos), olimque potentes O vulgo, **232** quod U.

223 *Huc* Burmannus, *hoc* libri. Si metrum permisisset, dixisset *lege belli*. Plures ordines belli distinguere, et civile bellum ordinem belli dicere putidum est. Huc pervenitur necessaria rerum in bello serie.

225 „Quamquam oderunt graviora metu" Bentleius, merito vulgato offensus. Lenius esset quod propono AUGENT. *Metu*, quod Burm. quoque, et *multoque* sunt correctiones ludi magistro dignae; nihil erat cur per *multum* σολοικοφανὲς sententiam obscuraret poeta, et tamen *multum* omnes MSS. Qui ad *agitant* „Pompeius et Caesar" intellegunt *metu* scribere coguntur, subiectum quoque illud, me iudice, non satis in superioribus indicatum est. Omnino *-tum* (in *multum*) est retinendum, librarius id non invexit. Prima littera eius vocabuli *m* est prava correctio superioris vocabuli, et quod restat ULTUMQUE natum fortasse ex UTRINQUE: „quamquam augent graviora metus: utrinque coitur."

230 „Olimque potentes" Hand. ad. Turs. I. 233 explicat: qui iam olim potentes erant nunc concurrunt, non sua potentia contenti", *olim* pro *dudum* dictum putans IV. 371; idem Haskins. Sed quo tum vocat Fortuna? Alio, inquit poeta, nam sunt olim potentes. Hoc est aenigmata loqui, ne iam dicam *olim* pro *dudum* numquam Lucanum dixisse (ad 242 infra cf. schol.), quod si potuerit (non nego), tamen non in hac iunctura: „olim potentes" (urbes &c) sunt qui (quae) fuerunt, nunc non sunt. Requiritur quod oppositum sit illis: „*Roma* recepta fuit.' Ergo scribendum cum Oudendorpio (quod feci): „orbemque petentes". Nam quod proposuit C. van Jever apud Weberum „soliumque petentes" nimis artificiosum et barbarorum tirannorum vulgo. Loci corruptela magna et, opinor, non alia ratione leniore sanari potest, quare emendationem recepi.

232 „Contentus *quod* Sylla fuit" Oudend. explicat: contentus, id quod S. fuit. Melius Burm.: „concurrunt, neuter civilia bella *movere* contentus" (sed perpetuo regnare), sed nihil opus. Hoc vult: si adversarios tantum exuere armis vellent, quod Sullae propositum fuit, non bellum susciperent, nam id sine bello civili consequerentur. Num hoc verum sit nihil nunc attinet. Supple: contentus eo, quo Sulla fuit contentus.

235 „Pavidus motus" Bentleio suspectum, quare: *mundi* pro *motus*, sed cf. V. 255: „pavidum murmur" et supra 168 „furtum," et *mundus* rursus 248 et 253. Lucanus quidem non veretur vocabulum repetere, sed esset ambitiosum ornamentum, in quo sibi nimis

Pars populi lugentis erat; sed nocte sopora,
Parrhasis obliquos Helice cum verteret axis,
Atria cognati pulsat non ampla Catonis.
Invenit insomni volventem publica cura
Fata virum casusque urbis, cunctisque timentem,
Securumque sui; farique his vocibus orsus:
„Omnibus expulsae terris olimque fugatae
Virtutis iam sola fides, quam turbine nullo
Excutiet fortuna tibi; tu mente labantem
Derige me, dubium certo tu robore firma;
Namque alii Magnum vel Caesaris arma sequantur,
Dux Bruto Cato solus erit. Pacemne tueris,
Inconcussa tenens dubio vestigia mundo,
An placuit, ducibus scelerum populique furentis
Cladibus inmixto, civile absolvere bellum?
Quemque suae rapiunt scelerata in proelia causae:
Hos polluta domus legesque, in pace timendae,
Hos ferro fugienda fames, mundique ruinae
Permiscenda fides: nullum furor egit in arma;

**236** l. schol. Iuvenalis V. 23: e (sic) nocte — axes (237), **237** l. Lact. Theb. VII. 8 parrasis RG, elice T, **241** votibus T, **242** e terris G, **245** derige MR, dirige m, rell., **246** nanque VG, **247** solus *o* in ras. U, **250** inmixtum (vel immixtum) O, vulgo, **252** domos corr. in vulg M, **253** fames, *e* in *i* corr. MA, **254** promiscenda c.

placeret. Burmannus: „in tanti pavida." De *et* pro *nec* cf. ad 40 supra.

237 Contra rei naturam pluralis *axes*. Cf. ad I. 91.

242 Bentl.: „o pulsae", quod dubium sit num forte Brutus narrationem incipiat. Idem: „tu mente labantem *erige* me *dubia*, certo tu robore firma." Recte si *labantem* proprie esset accipiendum, sed figurate dictum est pro *incertum*; quaerit Brutus, utram in partem dirigat gressus. Quod Puteanus habere dicitur *erige*, sine dubio natum ex *derige*, cuius antiquae orthographiae vestigia in MR; omissa erat, ut saepius, prima versus littera. „Derige me dubium, certo tu r. f." interpunxit Heinsius; ad meum sensum multo praestat vulgata distinctio.

248 *Ferens* Cortius, *trepido — mundo* Bentleius.

250 *Inmixto* cum Heinsio dedi pro *inmixtum.* Magnificum hoc Catoni, quod suo exemplo bellum culpa et errore liberare (*absolvere*) potest. Si consulto obscurus esse voluit Lucanus, *inmixtum* ei scribendum erat; nomina (participia) in caesura et exitu versus similiter cadentia iungenda sunt; num ab hac lege recedens caliginem lectori offundere voluit poeta, an librarii securi de sententia vitium fictum tollere? Mihi dubium non est.

253 Id est tabulae novae, donandae in imperii Romani exitu. Nam hoc per *mundum* significatur. Fides contractorum interibit, concidet una cum imperio, ei admiscebitur. Cf VII 654: „trahere omnia secum mersa iuvat gentisque suae miscere ruinae". III. 290: „comites missura ruinae" fort. „mistura ruinae". *Admiscere* aptius esset de rebus admodum dissimilibus. Per „nullum — arma" resumuntur superiora: variis de causis bello se adiunxerunt, solo pugnandi ardore (*furor*) nemo. Pervertit sententiam *illos* aut *illum* a Burm. et Jevereno propositum. Sine causa Heinsius „*ducti* mercede" (255), lucro proposito post dubitationem transierunt ad arma.

Castra petunt magna victi mercede; tibi uni
Per se bella placent? Quid tot durasse per annos
Profuit inmunem corruptis moribus aevi?
Hoc solum longae pretium virtutis habebis:
Accipient alios, facient te bella nocentem.
Ne tantum, o superi, liceat feralibus armis,
Has etiam movisse manus, nec pila lacertis
Missa tuis caeca telorum in nube ferantur,
Nec tanta incassum virtus eat. Ingeret omnis
Se belli fortuna tibi. Quis nolet in isto
Ense mori, quamvis alieno volnere labens,
Et scelus esse tuum? Melius tranquilla sine armis
Otia solus ages, sicut caelestia semper
Inconcussa suo volvuntur sidera lapsu.
Fulminibus propior terrae succenditur aer,
Imaque telluris ventos tractusque coruscos
Flammarum accipiunt, nubes excedit Olympus.

**256** durare UR, **257** corruptis UAGRT, corrupti VM, **258** habebit, *t* corr. in *s* T, **259** facient te, *t te* in ras. M, faciunt c, **260** civilibus G, nec — feralibus TL, **261** tela GT, **263** ne — eat 1 [Probus] IV. 226. 34 K, ne Probus, c, incassum O, Probus, vulgo, ingerit (it. in ras.) MA, ingerat T, **264** si M se m c. rell, nolet U, nolit VGTR, nollet M (in ras.) Ac, ab isto G, in isto g c. rell, **267** ages corr. in agis M et rursus: ages m, **268** voluuntur, *u* priorem add. m. 2 M, **269** l. Mythogr. Vat. III, 10. 4, Serv. ad A. VIII. 454, **271** post: nubes supra scr.: nam U, nubes e. o. l. Isidorus XIV. 8. 9, Lact. ad Theb. III. 262, excessit Is.

255 Quae sequuntur dicta sunt quasi Cato iam inclinaret ad bellum, et non apta sunt consultanti, magis admonitori Bruto. Sed opportunitatem captat flosculos rhetoricos adspergendi poeta, vid. potissimum 260, sqq. Scite dictum v. 259; pretium virtutis hoc tantum futurum erat, quod paulo diutius innocens fuisset.

263 Cortius et Weise *in casum*. „Incassum eat" = frustra sit, locum de virtute morali intellego: noli committere tuam divinam indolem bello, prudentia tua prodes. „Olim *in casum* et *incassum* non distinguebantur, quod post longas vocales litteram *s* duplicabant saepe; id fieri nolebat Velius Longus, et Vergilius teste Quinctiliano scribebat *cassus*, cf Ribbeck in ind. gramm. ad Verg. Inde *caussa*, et alia, et iis etiam locis, ubi nullum dubium esse potest (veluti, committere in casum") tamen duplex *s* in parte librorum. *Neu tanta* Bentl. sine necessitate.

264 Nihil simile verbis *in ense mori* est allatum a Gronovio ad Caes. BG VII. 73, interpr. ad Liv. XLIV. 41; proximum Verg. Aen. X. 681 „an (Turnus) sese mucrone ob tantum dedecus amens Induat, et crudum per costas exigat ensem?" In reliquis post *induere* (hac sententia positum) sequitur pluralis. Sed tamen omnibus illis non defenditur: „in ense mori." Burmannus cum G *ab ense*, quod mutandi nulla librariis fuisset causa. Conieci „*non volet* isto Ense mori?" Ex *n̄ volet* factum *nolet* et tum versus suppletus. „In ense mori" — non dicam dolo — ridiculum paene mihi videtur, et offert animo turdum in tendicula palpitantem.

268 *Indeflexa* pro „inconcussa" non memorarem, nisi Bentleius proposuisset.

271 *Nubes*, unde fulmina sec. Senecam et Lucanum; igitur Olympus fulminibus liber, ubi *αἴθρη πέπταται ἀνέφελος*, cf. ad I. 151. Plene interpunxi post „Olympus" cum Bentleio.

Lege deum minimas rerum discordia turbat:
Pacem magna tenent. Quam laete Caesaris aures
Accipient, tantum venisse in proelia civem!
Nam praelata suis numquam diversa dolebit
Castra ducis Magni. Nimium placet ipse Catoni
Si bellum civile placet. Pars magna senatus
Et duce privato gesturus proelia consul
Sollicitant, proceresque alii, quibus adde Catonem
Sub iuga Pompei, toto iam liber in orbe
Solus Caesar erit. Quod si pro legibus arma
Ferre iuvat patriis, libertatemque tueri:
Nunc neque Pompei Brutum nec Caesaris hostem,
Post bellum victoris habes." Sic fatur. At illi
Arcano sacras reddit Cato pectore voces:
„Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur;
Sed quo fata trahunt, virtus secura sequetur.
Crimen erit superis et me fecisse nocentem.
Sidera quis mundumque valet spectare cadentem

**273** magna ORTLC, summa Servius ad Aen. VIII. 454 et I. 58 (*laud.*: p. s. t.) et Johannes Sarisberiensis p. 679, Myth. Vat. III. 104, **276** duces M (ducis m), **279** que add. m. 2. M, ali, M (i add. m. 2), **280** pompei MA, pompeii rell., **281** legibus aevi c, **282** suvat, v *in* b *mut. man.* 2 M, patris aM, **283** tunc U, pompei MA, pompeii, rell., **284** fatus U, **285** versum l. [Probus] IV. 220—25 K, arcana, supra scr. *o* T, [Cato] de pectore T, **289** valet Um, velit AMG adspectare M.

273 *Summa* iam inde ab Argentinensi a. 1509; *magna* Bentl. et Cortius. Servium ex memoria laudantem veri simile est tritam sententiam reposuisse. De *summis* iam supra, nunc de *magno* Catone agitur, qui magnum animum habet. *Summa* non potissimum pacem servant.

276 „Putat se ipsum satis superque placere Catoni, si bellum civile ei (Catoni) placet." Vulgo lenius distinguitur ante *Catoni*, Haskins post *Catoni*. Schol. interpretatur supplens ad *placet*: *sibi*, quod non potest omitti; neque agitur de philautia Caesaris. Bellum civile si placet, eius auctor quoque placebit.

279 Sollicitant = angunt sc. me, si forte Cato his se iungat. Haskins: „rouse me, i. e. to join in the war", cum quo pugnant verba sequentia „sub iuga Pompeii"; se subiugari ipse diceret. Bentleius „sollicitare" adhortari interpretatus conicit *militat ac* pro „sollicitat" et *proceres* [*que*].
Ib. *Addere* praegnanti significatione: adde his et subde Catonem sub iuga. *Dare* et composita (*indere*, *subdere*, *tradere*) significationem motus saepe habere notum est. Cf. P. Langen, in Plautinis p. 213 Val. Fl. I. 29, Stat. Theb. I. 568.

283 *Tunc* e Voss. 2 ut tueatur Jeverenus v. 284 conicit „ast fatum victoris habes", obscuram pro limpida sententiam substituens. *Nunc* nec Pompeii nec Caesaris hostis erit, neutrum sequetur, ne libertatem oppugnet, *post bellum*, ut ἔφεδρος, victorem aggredietur, ne Roma sub tyranno sit. *Habes* promtius est, inquit Bentleius, et animosius quam *habe*, quod ante Cortium legebatur ex deterioribus paucis. *Victoris* sc. hostem.

287 Cf. Cleanthes ap. Epictetum: *ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη — ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος.*

289 *Velit* Grotius et Burmannus, *valet* rectius, ut vidit iam Oudend.; nemo, inquit poeta, sine metu *potest* spectare mundi interitum, cf. I. 67. sqq.

Expers ipse metus? quis, cum ruat arduus aether,
Terra labet mixto coeuntis pondere mundi,
Conplosas tenuisse manus? Gentesne furorem
Hesperium ignotae Romanaque bella sequentur
Diductique fretis alio sub sidere reges,
Otia solus agam? Procul hunc arcete furorem,
O superi, motura Dahas ut clade Getasque,
Securo me, Roma cadat. Ceu morte parentem
Natorum orbatum longum producere funus
Ad tumulos iubet ipse dolor, iuvat ignibus atris
Inseruisse manus, constructoque aggere busti
Ipsum atras tenuisse faces, non ante revellar,
Exanimem quam te conplectar, Roma, tuumque
Nomen, libertas, et inanem prosequar umbram.
Sic eat: inmites Romana piacula divi
Plena ferant, nullo fraudemus sanguine bellum.
O utinam caelique deis erebique liceret
Hoc caput in cunctas damnatum exponere poenas!
Devotum hostiles Decium obpressere catervae:

**290** sic (quis) cum — labet (291) l. Acro C. III 3. 7, ruit U, labet U, coeuntis (corr. in: es man 2) M, **292** compl..sas M, complosas A, c̄opressas man. 3 m, compressas aVUGRT, **293** haesperium MA, signa G, bella gc rell. secuntur M (corr. m. 2 in: sequentur) T, **294** diductique, VUMART, deductique G, **295** huc supr. scr. *n* M, **296** dacas U, dacos GV dahas MA; incl. de U (pro: ut clade), **298** pr..ducere M, **299** ac (corr. in: ad man. 2) M, tumulos VUAGRT, tumulus (— los man. 2) Ma, iuvet ipse MA, iuvat ipse corr. man. 2 M, **302** contempler u, ex anime (*m* add. man. 2 in ras) M, **303** persequar UM (per in ras.) A, **304** inmitis U, **305** ferent (a man. 2) M, **306** l. Prisc. 298. 8 et 61. 4, H, herebique V, liceret VUGA Prisc., liberet Mg, **308** ut pressere U.

292 *Complosas* Grotius, quod „nullo sensu dicitur" ait Bentleius. Reliqui *compressas* conferentes Liv. VII. 13: „compressis, quod aiunt, manibus sedeas." — Grotium sequitur Hosius „Coeuntis mundi" = corruentis caeli, IX. 648: „mundoque abducere terram." *Conplosas* etiam Bern. „Plaudere alas" „plausis alis" cum bis Ovidius usurpaverit Met. XIV. 507, 577, „plaudere manus" non videtur improbandum. Videtur significari gestus stupentis. Cf. verbum *applaudere* trans. ut Tibull. II. 1. 66.

299 Bentleius *tumulos* restituit, de pluribus tumulis agi monens (cf. *natorum*).

303 Idem, quod miror, *persequar* defendit, cum de funere agatur. Pro *et* suspicor *ut*; nondum erat libertas inanis umbra quamdiu decertatum non erat. „Tuum nomen" nihil est nisi *te*. (Plin. Epist. VIII. 24. 4 (Cort.) „reliquam umbram et residuum libertatis nomen" (necessario *et*, non *ut* leg.).

304 *Sic eat* est ironica concessio: age vero („fraai zoo"), si ita placet experiri. Ita h. l. Cato quasi expostulat cum diis, non vult impedimento esse, ipsi sciant. Cf. V. 297, Heinsius ad Claud. in Eutr. II. 156. Sed Liv. I. 26 aliter explicandus.

306 Praevidet Cato futuram calamitatem, quam putat fato constitutam; diis igitur non licet Catonem tanquam piaculare sacrum accipere. Ita *liceret* explicari potest, cf. schol. Bernensia. Sed sententia tamen admodum impedita; vere puto, Cornelissen: *liberet* — *exposcere*. Durius Haskins iungit *deis* cum *damnatum*, devoted to the gods.

308 *Pressere* non habet interficiendi significationem; *oppressere* requiritur, ut iam

Me geminae figant acies, me barbara telis
Rheni turba petat, cunctis ego pervius hastis
Excipiam medius totius volnera belli.
Hic redimat sanguis populos: hac caede luatur,
Quidquid Romani meruerunt pendere mores.
Ad iuga cur faciles populi, cur saeva volentes
Regna pati pereunt? Me solum invadite ferro,
Me frustra leges et inania iura tuentem;
Hic dabit, hic pacem iugulus, finemque malorum
Gentibus Hesperiis: post me regnare volenti
Non opus est bello. Quin publica signa ducemque
Pompeium sequimur? Nec, si fortuna favebit,
Hunc quoque totius sibi ius promittere mundi
Non bene conpertum est. Ideo me milite vincat,
Ne sibi se vicisse putet". Sic fatur, et acris
Irarum movit stimulos, iuvenisque calorem

**309** aci.is (e supra), litterae *ci* et *e* a m. 2 M, **310** perdivius M, hostis (corr. 2 m. in vulg.) MA (corr. in vulg.), **312** redimat *d* et *m* in ras. M, ce, de (ce a m. 2) M, clade A, **313** perdere VuAGR, pendere UM (*pend* in ras), cernere mortes a, prodere g, **316** iureten.entem, 2a m.: iura tuentem M, **317** malorum VUMgTL, laborum uG, laborum sine nota ⊢ supra scr. V, **319** qui publica, n add. m. 2 M, **320** sequemur corr. e in i M, **323** nec U, fatus u, acris MA,

vidit Bentl. *Ut* in Voss. 2 non est necessarium; melius hic versus cum opposito 309 cohaeret omisso *ut*.

309 Male composita est Catonis oratio. Victima sim, inquit, piacularis, sed non licet — 308; tamen pergit optando ut tanquam Decius alter occumbat et totius volnera belli accipiat, ut sanguine suo redimat populos, ut luat poenas pro improbitate populi Romani, quae omnia scit sibi non permitti — 314; „*interficiant me*, ego solus regno obsto; post me regna adipisci licebit sine sanguine [itaque *regnum sit*] — 319; *non interficiant me*: Pompeius vincat me milite, ne sibi sed reipublicae vincat [in commune bonum, *pro re publica*]." Haec fluctuatio curarum aliena est tam a persona Catonis quam a tempore. In scena haec (sed in alia persona) ferri possent, non in carmine historico, utique non in eo ferenda qui rogatus Bruto consilia dat. Supellectilem disputandi in utramque partem continent et fortasse e Suasoria quadam petita.

311 *Melius* Schrader.

315 *Pereunt* (non *pereant*) oratio est vehemens (pathetica) eius qui iam se in media acie videt.

317 *Laborum*, omnes editiones, utique iam a Bersmanno. Inutile est quaerere utrum verius et aptius sit; Lucanus res in hac oratione exaggerat. Libri stant pro *malorum*.

320 Sententia: nondum plane constat Pompeium regnum moliri. Vulgo interpretantur: *nec non constat* = et constat eum regnum affectare. Cur igitur sub eo militet Cato? Contra: quia utique spes (non compertum est) Pompeium victorem *non* insidiaturum libertati, eius arma sequor, ut post victoriam par cum pari deliberem et aliquid possim. Si pro *non compertum* scriptum esset *iam compertum*, nemo haereret. Sed nihil muto; per neglegentiam quandam *non* positum est, quasi non *nec*, sed affirmatio praecederet: *non bene* resumit, non tollit negationem, quae in *nec* erat et obscurata erat notione annectendi in *nec*; *non* additur sic, quasi praecessisset: *accedit quod*. — Cur *fovebit* maluerit Heinsius non apparet.

324 *Admovit* Heinsius et Bentleius: gene-

Excitat in nimios belli civilis amores.
  Interea, Phoebo gelidas pellente tenebras,
Pulsatae sonuere fores, quas sancta relicto
Hortensi maerens inrumpit Marcia busto,
Quondam virgo toris melioris iuncta mariti,
Mox, ubi conubii pretium mercesque soluta est
Tertia iam soboles, alios fecunda penates
Inpletura datur geminas et sanguine matris
Permixtura domos. Sed postquam condidit urna
Supremos cineres, miserando concita voltu,
Effusas laniata comas contusaque pectus
Verberibus crebris cineresque ingesta sepulcri,
Non aliter placitura viro, sic maesta profatur:
„Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi
Iussa, Cato, et geminos excepi feta maritos.
Visceribus lassis partuque exhausta revertor,
Iam nulli tradenda viro. Da foedera prisci

**326** pallente Prov., **328** martia VU, ostensi M (corr. in vulg.), irrupit VURAG, inrumpit (e corr. m. 2) MT, **329** thoris U, **330** conubii VU (postrema litt. ex a correcta) MG, **331** suboles VU, soboles M, **332** et VUGRTc, est M, ex A, **334** suppremos UA, voltu supr. scr. *u* M, **335** contusaque VUGMR concusaque A, **336** sepulchri UMA cineris (in: es corr.) MA, **338** dum sanguis inerat l. Max. Victor. VI. 219. 20 K, dum — cato (339) l. Lact. Theb. II. 326, **339** foeta VU, **340** laxis T.

ralis magis notio *movere* *κινεῖν* (in beweging brengen) aeque apta est.

328 Vulgo *inrupit*, alterum propter narrationis progressum et ut animus lectoris erigatur necessarium. Perpetua fere harum formarum apud Luc. confusio.

334 „Miserando concita *fletu*" vel *luctu* Heinsius, *cultu* Burm., *sordida cultu* Bentl. Nihil horum in terso auctore ex omni parte satisfaceret praeter Bentleianum; posset simplicius: „mis. sordida voltu." Sed nihil mutandum. Miserabilis species augetur festinatione. Satis haec excusari possunt. Proximo versu *concussa* Grot., Burm., Weise, *contusa* Oudend. Cortius; cf. II. 38: „miserae contundite pectora matres."

332 Inficeta lectio *ex* libris auctoribus cessit meliori; „inpletura *et* permixtura." Sic Cortius.

336 Bentl. „crinesque inspersa favilla." Nescio quare, cum „ingerere tela, hastas, convitia" dicatur, non dicant cineres, multo minus, cur non aeque ac „contusa pectus" reciproca, quam dicit Bentl., significatione, *ingesta* (= quae sibi ingessit) usurpari possit. Verbum est durius, sed non propterea dubium.

338 Gronovius obss. I. 13 et IV. 6 adstipulante Bentleio „dum vis materna, peregi *iusta*", Bentl. „vis, materna peregi *iusta*", omnino rectius. Cur dubitem, hoc est quod sequitur „revertor iam nulli tradenda viro". His oppositum debet esse: „abii", „te reliqui" (peregi iussa et alterum maritum passa sum); non: peperi, officiis matronae functa sum (iusta materna peregi). Redeo, inquit, quod iam nulli tradar viro, id, quod iam, me exhausta, fieri non potest. „Iuberi, inquit Gronovius, non poterat Marcia ut Hortensium sequeretur", sed leniore petendi significatione *iubere* potest accipi.

339 Geminos viros exceperat postquam peperit (*feta*)? Nemo dicet, et tamen sic legitur. Quid porro *ex-* in *excepi*? „Deinde"? an „alterum post alterum"? Utroque modo inutile est. Suspicor legendum: „geminos *cepi fecunda* maritos." Interim reliqui vulgatam; sed *feta* certo corruptum iudico.

Inlibata tori, da tantum nomen inane
Conubii; liceat tumulo scripsisse: Catonis
Marcia, nec dubium longo quaeratur in aevo
Mutarim primas expulsa an tradita taedas.
Non me laetorum comitem rebusque secundis
Accipis: in curas venio partemque laborum.
Da mihi castra sequi. Cur tuta in pace relinquar,
Et sit civili propior Cornelia bello?"
  Hae flexere virum voces et tempora quanquam
Sint aliena toris iam fato in bella vocante
Foedera, sola tamen, vanaque carentia pompa
Iura placent, sacrisque deos admittere testis.
Festa coronato non pendent limine serta,
Infulaque in geminos discurrit candida postis,
Legitimaeque faces, gradibusque adclinis eburnis
Stat torus, et picto vestis discriminat auro,
Turritaque premens frontem matrona corona
Translata vitat contingere limina planta.
Non timidum nuptae leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea voltus,
Balteus aut fluxos gemmis astrinxit amictus,
Colla monile decens, humerisque haerentia primis
Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

**342** inlibata M (l supr. scr.) AR, **344** non dub. T, **345** mutari, (m *add post i m.* 2) Ma, mutarin A, **346** laetorum sociam MAgrL, **347** curam g, partesque c, **348** relinquor (corr. in: relinquar) VAGRT, reliquor (*n* addit 2 m.) M, relinquar mG (corr. in relinquor), **349** proprior (corr. in vulg.) Ma, **351** thoris UG, **353** sacrique e corr. M, **354** li in ras, m. 2 M, **355** potes M (s s. s. m. 2), **356** acclivis G, aclinis M, **357** thorus U, **358** turritamque U, gerens R, ferens g, **359** Myth. Vat. III 4. 4 p. 166 B Servius ad Aen. II 468 lata s. s. G, vetat VUG, Myth. vetuit g s. s. man. 2, (n̄ in GR s. s. est scholion), vitat Serv. c. rell., **361** lintea U, flamina MA (*m* altera s. s.), **362** haud R, adstringit Rc, **364** suppera A, cogunt G.

357 I. q. non habet vestes stragulas discriminatas, distinctas auro.

359 Cf. Catullus 61. 159 „transfer omine cum bono limen aureolos pedes" sc. tuos, nupta! Plaut. Cas. IV. 4. 1, Servius ad Ecl. 8. 89, quibus locis ipsa nupta tollere pedem supra limen Vestae sacrum (ne deam *offendat*) monetur. Contra Plut. Q. R. 29 et Optatus ap. Marquardt Ant. Priv. p. 53 sublatam dicunt a pronuba sponsam in memoriam raptarum Sabinarum, ut schol. Bern. ad h. l. Potius ut nec sponsa nec pronuba offenderent, magna religione cautum est: translata planta nuptae *vitat* ipsa pronuba contingere suo pede limina. *Vitat* Grotius, Gron., Bentl., de interpretatione in diversa abeuntes, *vetuit*, manifestam metricam correctionem, pro corrupto *vetat* defendit Cortius (coniiciens: „translatam — plantam") et alii.

361 *Praevelant* coni. Bentl.

362 *Aut* recte Gronov. et Bentl. cf ad 364. Reliqui editores *haud*. — *Adstringit* Bentl. sine causa eadem verborum tempora desiderans, cf. VI. 128, 225, 825, V. 162. al.

364 *Augusta* Bentl., quod supparum sit „delicatius vestimentum" (?) Cogunt sup-

Sic, ut erat, maesti servat lugubria cultus,
Quoque modo natos, hoc est amplexa maritum.
Obsita funerea celatur purpura lana.
Non soliti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis convitia festa maritus.
Pignora nulla domus, nulli coiere propinqui.
Iunguntur taciti, contentique auspice Bruto.
Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore
Caesariem, duroque admisit gaudia voltu.
Ut primum tolli feralia viderat arma,
Intonsos rigidam in frontem descendere canos
Passus erat, maestamque genis increscere barbam.
Uni quippe vacat, studiisque odiisque carenti,
Humanum lugere genus. Nec foedera prisci
Sunt temptata tori: iusto quoque robur amori
Restitit. Hi mores, haec duri inmota Catonis
Secta fuit: servare modum, finemque tueri,
Naturamque sequi, patriaeque inpendere vitam;

**365** servat MAG (ex corr.) servans GVUc, vultus R, **367** velatur RG, **368** non — sales l. Serv. Aen. I. 38, non more T, **369** convivia (altera v. in lit.) M, convicia VUG, convitia A, **370** l. Prisc. p. 274. 3 H, **371** cont. a. Br. l. Serv. Aen. I. 346, IV. 45, **372** scancto A, **373** admissit U, admovit G, diroque g, **375** intonsos — erat (376) l. Acro ad Hor. C. II. 15. 11, ridum s. s. gi M, disc. M, **377** studiis odiisque MAVUT, studiisque odiisque G, **379** tempta, ss. ta M, thori MVU, ut semper, **381** serv. — tenere l. schol. Pers. I. 48, finesque AM (Steinh.) G. Prov., finem rell. cum. C (p. 75. 18), sch. Pers., tenere vulgo, **382** patrisque U, curam U.

para arta „humeros primos" sc. paulum supra mamillas. Ad omnia usque ad h. v. negatio pertinet, semel posita e more Lucani, cf. 372 sq., I. 77, IX. 589 sq., supra ad 40. Perturbata est enumeratio, eo quod ad *legitimaeque faces* v. 356 verbum omittitur, dum praegressa et sequentia suum quaeque verbum habent, cf. tamen ad I. 465 maioris etiam discordiae exemplum. Legitima dicendi ratio postulat fere *nusquam* aut *haud* ad „legitimae faces".

367 Versum spurium iudicat Bentl. „Recte tamen purpura, i. e. stola purpurea, quam Marcia ex more matronarum gestabat, obtectam propter luctum lana funerea i. e. pulla veste". Weber II p. 635. *Obsitus* V. 627 et apud alios. Versum ante 365 collocat Burm. male propter negationem usque ad 264 continuatam, quae deest in v. 367.

372 *Horrentem* Bentl. — Post primos tonsores ex Sicilia advectos usque ad Traianum non alebant barbam; Cato propter luctum. — Ceterum vera est observatio Bentleii sed caret correctio probabilitaté palaeographica.

377 „Uni" Catoni, non „uni rei" ut Weisio placet. Dum in neutram partem, odiis studiisve, proclivis est unus ex omnibus, huic licet cunctos, s. „totum genus humanum" deflere. *Vacat* saepe non multum differt a: licet, datum est, liberum est. Fortasse: „uni huic", cf. VIII. 601 „bello haec", ib. 57 „canitie atque", infra 380 „duri inmota", V. 129 „noscendi ardore", ib. 584 „caeli iste".

381 *Tenere* vulgo; scripsi *tueri*, i. e. respicere finem, secundum vulgare praeceptum: „respice finem", *ὅρα τὸ μέλλον* vel *τὸ τέλος*. *Tueri* = intueri, quod dactylico metro exclusum. Steinhart: M, *teneri*, quod mihi non animadversum.

Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulae vicisse famem, magnique penates
Submovisse hiemem tecto, pretiosaque vestis
Hirtam membra super Romani more Quiritis
Induxisse togam, Venerisque hic maximus usus
Progenies; Urbi pater est, Urbique maritus;
Iustitiae cultor, rigidi servator honesti,
In commune bonus, nullosque Catonis in actus
Subrepsit partemque tulit sibi nata voluptas.
  Interea trepido discedens agmine Magnus
Moenia Dardanii tenuit Campana coloni.
Haec placuit belli sedes, hinc summa moventi
Hostis in occursum sparsas extendere partes,
Umbrosis medium qua collibus Appenninus
Erigit Italiam, nulloque a vertice tellus
Altius intumuit, propiorve accessit Olympo.
Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni superique maris, collisque cohercent
Hinc Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae,

**383** toto M, Prov. A (toti a) G,' **384** penatis $M_1$, **385** veste m, **387** hic M (in lit.) VUARG, que a 2. man. M, **388** urbi p. — mar. l. Prisc II. 218. 25 K, Serv. Aen. XI. 472, ubique mar. A (urbique *margo*), **389** iust. — honesti Corp. Inscr. X. 1194. 5 (Hos.) rigidus V, rigidae u, **390** nullus subrepsit in actus ambitio l. Corp. Inscr. V. 5737. 12 (Hos.) **391** surrepsit V, **392** descendens L, **393** dardanidum C, capana T, versum l. Servius D. ad A. X. 145, **394** hic summa VRG (n *erasa*) moventis M, corr, in vulg. rec manu, **395** vires vu, partis A, partes, rell., **397** qua vertice VUGLC, que vertice M, quo vertice M corr., que avertice E, que a Serv. ad Aen. XII. 703, (laudans: nullo — Olympo) Rc, **398** propius codd., propior Serv., **399** sustulit g (2 m), **400** cohercet G, **401** terrena M corr. in vulg. frangentis MA (in M *e* ss.), aequore A.

383 *Toto* (etiam Bern.) ineptum propter ambiguitatem.

384 „Magni — tecto" damnat Guyetus. Cf. „angusti penates". Semper plurali numero, etiam de uno tugurio V. 537 i. q. tectum, quod hiemem arcet.

387 „*Unicus* usus" Bentl. — Venus latiore sensu i. q. matrimonium, consuetudo omnis cum muliere.

391 *Nota* Heins. teste Burm. Negatio continuatur per *que*, ut Lucano familiare. „Voluptas sibi nata" i. q. soli ei qui fruitur, h. l. Catoni, quasi praecessisset nominativus Cato: nihil fecit propter suam ipsius voluptatem. Compara usum pronominis *suus* in „sui heredes".

394 *Moventis* ante Cortium edebatur e deterioribus. Summa movere, quod se intellegere negat Bentleius, est extrema experiri, omnem lapidem movere. Sine causa igitur Bentl.: *signa moventem*. „Movere summa" dici poterat tam Caesar (*moventis*) quam Pompeius (*moventi*).

397 „*Qua* vertice" nullam, „*quo* vertice" (Cortius) duram habet sententiam; „que a vertice" etiam Bentleius. *Tellus* est $\gamma\tilde{\eta}$ (non: Italia). Per *que* laxius iunguntur haec cum superioribus = dum (terwijl). Cf. VIII. 400, V. 549, IV. 115, 519.

399 Bentl. „*longum* se p." (sine auctore). Cur „costasque coercent" v. 400, non assequor. Apenninus antequam mare attingit iam demisit iugum in colles (438), desinentes in Pisas et Ancona.

Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vastis inmensos concipit amnis,
Fluminaque in gemini spargit divortia ponti.
In laevom cecidere latus veloxque Metaurus,
Crustumiumque rapax, et iuncto Sapis Isauro,
Senaque, et Adriacas qui verberat Aufidus undas,
Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem,
Eridanus, raptas qui volvit in aequora silvas,
Hesperiamque exhaurit aquis. Hunc fabula primum
Populea fluvium ripas umbrasse corona:
Cumque, diem pronum transverso limite ducens,
Succendit Phaethon flagrantibus aethera loris,
Gurgitibus raptis penitus tellure perusta,
Hunc habuisse pares Phoebeis ignibus undas.
Non minor hic Nilo, si non per plana iacentis

**402** illic MA (n addit m 2), **403** hinc c, **404** sparsit M, **406** cratumiumque c capax, M, iunctus V, -to (in ras) MURT. iunctos A, isapis V, apis A, hisauro T, **407** laudat Prisc. 202. 4 H, adriacas Prisc. VUA, **408** maius M sup. scr.: ·/. magis nullo M corr. in vulg., **409** fractasque V, raptas U, rell.: fractas, [qui] devolvit O vulgo, **413** phoeton MAV, **416** – undas (420) l. Serv. Georg. I. 482, nilo nisi quod Serv., nec minor g.

402 Pro *fluctibus* coniicit *flatibus* Bentl.; quemadmodum mare, quod alluit regionem, eius nomine dicitur, sic etiam fluctus a Dalmatico littore reiectos Dalmaticos dixit.

403 Pulcre a fontibus fecundari dicuntur montes, qui fructum conceptum alunt.

406 *Iuncto* primus Grotius, *Isapis* male olim ex Strabone, qui ipse corrigendus est, defendebant; *Sapis* et „fluvius Crustumium" sunt ap. Plin. III. 115.

409. Copula ad *fractas* (*raptas*) *devolvit* opus esse negant Bentleius et Weber vol. II p. 474 (suae edit.). Non assentior; enumerantur fluvii: in laevum latus cecidere Metaurus Crustumiumque et Sapis Senaque et Aufidus, „quoque magis nullum tellus se solvit in amnem Eridanus"; hic enumeratio finita est, *Eridanus* in superioribus verbum suum (*cecidere*) habet; asyndeto autem locus non est. Mihi probatur: *qui volvit* cet. Eridanus, qui non ex Apennino descendit, adscitus est ad ornatum. Recte Haskins interpretatur v. 408: nullus fluvius plus terrae devehit in mare; notum est Padi os limo devecto admodum esse diffusum. Praeeuntem habet Verg. Georg. I. 481. Usus verbi *solvere* IX. 421 diversus est.

414 „Gurgitibus *raptis*" aptius esset *haustis*, cf. I. 415 „Titan ut alentes hauriat undas", sed metrum oberat. Fontibus omnibus exsiccatis (in quo bacchatur Ovidius) solus Eridanus *par* erat (415) caloribus, qui „fumantia abluit ora" Phaethontis Ovid. II. 324.

416 „Non minor hic Nilo". Omissum *esset* imposuit Scaligero, succensenti poetae, quasi utrumque fluvium aequalem diceret; refutavit eum, quantum poterat, Bentleius. Non tam frequenter quam Claudianus (cf. Birt. p. CCXXIV), saepe tamen omittit *est* Lucanus, item *sunt* (non *es* IX. 604), coniunctivi omissi aliud exemplum non succurrit. Nilus stagnat arenis, inquit; leni cursu per arenam huc illuc volvitur eoque longum cursum habet. „Iacentis i. e. depressae Aegypti" pendet a *plana*. De Istro cf. Plinius IV. 79, qui sexaginta amnibus receptis eum in Pontum volvi refert. Ceterum admodum displicet anaphora „non minor hic", et dubito an poeta 416, 417 omiserit, reduxerit autem mala sedulitas editoris. Accusativus non est cur recipiatur: *Stagnare* (intr.) de Nilo dicit Verg. Georg. IV. 288 aliique. *Casuros* v. 419 est condicionale

Aegypti Libycis Nilus stagnaret arenis.
Non minor hic Histro, nisi quod, dum permeat orbem
Hister, casuros in quaelibet aequora fontes
Accipit, et Scythicas exit non solus in undas.
Dexteriora petens montis declivia Tibrim
Unda facit, Rutubamque cavom. Delabitur inde
Volturnusque celer, nocturnaeque editor aurae
Sarnus, et umbrosae Liris per regna Maricae
Vescinis inpulsus aquis, radensque Salerni
Tesca Siler, nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinae procurrit in aequora Lunae.
Celsior educto qua surgit in aëra dorso,
Gallica rura videt devexasque aspicit Alpis;
Tunc Umbris Marsisque ferax domitusque Sabello
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnis
Indigenas late populos non deserit ante
Hesperiam, quam cum Scyllaeis clauditur undis

**417** libycas n. s. arenas Serv. aEGb. libycis arenis rell. c. **419** fontis $M_1$A. **420** non solus exit $G_1$, **421** per devia g, thybrim VU, *ut saepe*, **422** und*a* M ras. 4 litt., rutubamque cavum l. Serv. Georg. I. 326, **424** laudat Acron ad Hor. Carm. III. 17. 8, I. 31. 7, **425** sestinis U, reliqui vestinis, et sic vulgo, salernis R, **426** vulgo culta; *culta* M in ras., item UABE, tecta VGLRc, terra m a, nullasque — alnos laudat Prisc. 202, 1, moratur T, morat G, moratus g Prisc. rell., **427** percurrit gb, procurrit rell., **428** longior O vulgo, *in a*era M, **429** excipit alpes VG, **430** domitus sabello M, que m. 2, marisque U, **431** penniferis A, omnis $M_1$ (s. s. ac̄) omnem $A_1$, **432** indegenas $M_1$, latii vulgo, late G.

422 Rutuba magis fortasse e Varrone notus Satir. p. 217 Riese, figurate pro „perturbatione" usurpatum, quasi κυκλοβόρος quidam.

423 *Aurae* vaporis. De Volturno idem Frontinus Strat. II. 257 (laudatus Oudendorpio) Volturnum amnem ultra reliquorum naturam fluminum ingentes auras mane perflare. Propertius IV. 1. 123 „qua nebulosa cavo rorat Mevania campo."

424 Bentl.: „per *stagna* Maricae *Vescinis* impulsus aquis", alterum cum Cluverio, recte. Non ita errare potuit poeta, ut Vestinos, populum in Piceno longe remotum ad Lirin collocaret. Sed Vescini populi Liv. X. 20 erant in Campania, cf. ib. X. 21. Sestini sunt ad Adriam, Plin. III. 114.

426 *Tesqua* Heinsius teste Burm., sed Adverss. p. 207. *culta*. Aqua tam dici potest *radere culta* aut aliud planum et extentum, quam muros, aedificia simm. cf. Sen. Phaedr. 14 (Ilissus vel Maeander) „steriles amne maligno radit arenas", Ov. Fast. I. 242 (soli) „Radit arenosi Thybridis unda latus." *Tesca* pro vulgato *culta* dedi; inde menda *terra* et *tecta* explicantur. — Liberioris verborum ordinis exempla sint III. 679, VIII. 343. Hosius e situ locorum *culta* defendit, nam Silarus nimium abest a Salerno ipso, sed *culta* non rectius se habet, nam ager Salerninus non extenditur ad Silarum, intersunt enim Picentia et Eburum. Mendum poetae videtur. Ib. *nullas*, sqq. i. q. non passus naves.

428 *Celsior* coni. Bentl. Vulgata *longior* est inepta, praeterea h. l. requiritur vocabulum, quod de monte tantum dici potest, ne haereat lector, nam mutatio subiecti satis dura est.

432 *Late* unus G, reliqui codd. et editiones *Latii*, unde fere sequeretur Lucanum absurde Latii et Hesperiae fines aequasse, sive Latium ad Regium extendisse. V. 433 *Antris* pro *undis* Bersm., Grotius.

Extenditque suas in templa Lacinia rupes,
Longior Italia, donec confinia pontus
Solveret incumbens terrasque revelleret aequor.
At postquam gemino tellus elisa profundo est,
Extremi colles Siculo cessere Peloro.
Caesar in arma furens nullas, nisi sanguine fuso,
Gaudet habere vias, quod non terat hoste vacantes
Hesperiae finis, vacuosque inrumpat in agros,
Atque ipsum non perdat iter, consertaque bellis
Bella gerat. Non tam portas intrare patentis,
Quam fregisse iuvat, nec tam patiente colono
Arva premi, quam si ferro populetur et igni:
Concessa pudet ire via, civemque videri.
Tunc urbes Latii dubiae, varioque favore
Ancipites, quamquam primo terrore ruentis
Cessurae belli, denso tamen aggere firmant
Moenia, et abrupto circumdant undique vallo,
Saxorumque orbes, et quae super eminus hostem
Tela petant, altis murorum turribus aptant.

**436** repelleret O vulgo, Caesar i. a. f. l. Cledonius V. 34. 8 K; Caesar — vias (440) l. Serv. D. A. VI. 835, **443** patentis RA, patent*es* M, **445** populentur A **447** urbis M, lacii A, va..rioque M, **450** *vallo* M, **452** petat M (n s. s. m. 2) turbidus $M_1$ A, abtant M.

435 Bentleius: „confinia *montis* — *revelleret* aequor" propter tautologiam: „pontus confinia solvit' et „terras repellit aequor". Sed primum figurate (nam *pontus* persona est), tum proprie res enuntiatur, ut saepe. *Revelleret* Heinsius quoque, quem non satis refutat Burmannus. *Inpelleret* Guyetus, Cortius. Coniunctivus h. l. conferatur cum IV. 154 *decresceret* et cum *despumet* VI. 506 et *declinet* X. 236. Imperfectum ponitur quod *longior* est praeteriti temporis = longior fuit". Ad rem cf. Claud. Rapt. I. 140, sqq. Verg. Aen. III. 414. '*Ῥήγιον ἀπὸ τοῦ ῥήγνυμι* propterea ducunt Aeschylus et alii. „Hellespontus mare *incumbit*" e Plinio V. 40 laudat Bentl. cf. Stat. Theb. X. 864. *Repellimus* minantem, instantem aut invadentem, quod h. l. alienum.

437 Ad *elidere* cf. VI. 56.

438 *Cessere* i. q. dati sunt Peloro et ei adhaeserunt.

439 sqq. Farnabius et alii male negationem, quae est in *nullas*, iungunt cum *gaudet*, sententiam statuentes: „Caesar non gaudet, quod exercitu hostili vacantes invenit agros", ut scilicet narratio cum historia conveniat. Sed eo non opus Lucano, modo maledicat Caesari, cf. I. 144, al. Ubique affirmativum *gaudet* intellegitur; gaudet quod non terat — vacuosque (more Lucani = et non vacuos) inrumpat —, gaudet quod ipsum non perdat — consertaque (more vulgari = et quod) gerat. Inter eundum, in ipso itinere, pugnare potest, quid bellicoso viro optatius? *Que* post *vacuos* continuat negationem, post *conserta* affirmativum est.

445 *Populentur* A, reliqui paene omnes *populetur*, passive cum subiecto *colonus* aptius accipitur me iudice, quam cum subi. *Caesar* et verbo deponenti.

450 sqq. *Moenia* spatium intra muros, id aggere firmant. Moenia exclusis aedificiis spatium vacuum proprie dicta fuerunt, et subinde, ut *fines* pro agris, sic pro tota urbe ut Verg. VI. 549. „Saxorum orbes" sunt globi lapidei, qui „aptantur turribus" i. e. suspenduntur, ut devolvantur desuper (= super) in hostes. „Murorum turres", nempe turres in ipsis muris exstruebantur.

Pronior in Magnum populus, pugnatque minaci
Cum terrore fides; ut, cum mare possidet Auster
Flatibus horrisonis, hunc aequora tota secuntur,
Si rursus tellus, pulsu laxata tridentis
Aeolii, tumidis inmittat fluctibus Eurum,
Quamvis icta novo, ventum tenuere priorem
Aequora, nubiferoque polus cum cesserit Euro,
Vindicat unda Notum. Facilis sed vertere mentes
Terror erat, dubiamque fidem fortuna ferebat.
Gens Etrusca fuga trepidi nudata Libonis,
Iusque sui pulso iam perdidit Umbria Thermo.
Nec gerit auspiciis civilia bella paternis
Caesaris audito conversus nomine Sylla.
Varus, ut admotae pulsarunt Auximon alae,
Per diversa ruens nec tecto moenia tergo,
Qua silvae, qua saxa, fugit. Depellitur arce
Lentulus Asculea. Victor cedentibus instat,

**455** secuntur MR, **456** tonantis, s. s. tridentis V, **457** immittet ex immittit corr. V **458** timuere G, **459** concesserit $M_1$ UVAT, nubifero*que* M, cum cesserit u, **460** faciles M, vendicat R, **461** tenebat g, **463** et **464** in M. omissos add. m. 2 infima pag. (17r), v. 39 et 40, **463** ante 462 T, suum U, **465** sylla, ut semper Mss, **466** admetae $V_1$, amotae T, **467** menia A, neclecto R, neglecto O vulgo, **469** aesculea MU, exculea G, victor — acies (470) l. C ad I. 65.

454 sqq. Jeverenus h. l. multa molitur: v. 455 *mota*, 456 „*sed* rursum", 459 „*nubifugoque*" — „cum *saeviat* Euro", 460 „*validus subvertere* mentes". Burmannus cum comparationem admodum improbet, duos tamen locos aptos ad explicationem affert, infra V. 571 et Prop. III. 13. 31 „eurus in adversos desinit ire notos." Qui hic memorantur venti *diversi* inter se (non *contrarii*, nam Eurus est orientalis, Auster idem qui Notus, meridionalis, cf. infra ad l. l.) comparantur cum Pompeio et Caesare, quorum ille iam tenet omnia; Caesar, tanquam eurus, nunc primum surgit; illum sequuntur etiamnunc omnes, „mox eurus dominabitur; ab initio omnes Pompeio adhaerent („vindicat unda notum"). *Tellus* v. 456 vulgo explicatur: antrum Aeoli, perverse; significatur terra, opposita mari, concutitur haec, *laxatur, tridente* i. e. vi fluctuum, in quo nihil mirum nisi tridens Aeolo datus; terra pulsa austro immittit eurum. Ceterum notum est navigantibus aestum et ventum contrariam vim inter se saepe exercere; aestum videtur ventum putasse poeta. Ceterum cf. III. 519. Et nubes, *polus* 459, subinde ex alia regione moventur, quam ventus terram radens.

462 L. Scribonium Libonem in Etruria praesedisse non inveni alibi memoratum. Sex. Pompeii socer erat. Paucis diebus post, XII Kal Febr., Cicero eum vidit Formiis, ad Att. VII. 12. 2; XV Kal. Febr. Cicero Romam reliquerat, Thermus eodem aut proximo die Iguvium reliquit, cf. O. E. Schmidt JJahrb. 1892. p. 321.

465 Faustus Sulla est, cf. Caes. Civ. I. 6. Num cum legione, quam conscriptam habebat? Cic. ad. Att. VIII. 3. 7. Scripta epistola XI Kal. Mart.

466 L. Attius Varus, cf. Caes. Civ. I. 12 fin., Auximum (Auximon propter metrum ut Maeandron III. 207; *Ariminon* I. 231 coniectura est) reliquit per oppositam (*diversa*) portam. Libri habent *neglecto*, R. *neclecto*; *nec tecto* Heinsius. Optime: „per moenia diversa nec tecto tergo" sed non intellexerunt librarii hanc per *nec* iuncturam.

469 Lentulus Spinther, non consul. Caes. I. 15.

Devertitque acies, solusque ex agmine tanto
Dux fugit, et nullas ducentia signa cohortis.
Tu quoque commissae nudatam deseris arcem,
Scipio, Nuceriae, quamquam firmissima pubes
His sedeat castris, iampridem Caesaris armis
Parthorum seducta metu, qua Gallica damna
Supplevit Magnus, dumque ipse ad bella vocaret,
Donavit socero Romani sanguinis usum.
At te Corfini validis circumdata muris
Tecta tenent, pugnax Domiti; tua classica servat
Oppositus quondam polluto tiro Miloni.
Ut procul inmensam campis consurgere nubem
Ardentisque acies percussis sole corusco
Conspexit telis „Socii, decurrite, dixit,
Fluminis ad ripas, undaeque inmergite pontem,

**470** devertitque GTC (I. 65) AM, devexitque C, avertitque a, examine A, **471** nulla A **472** nudatam commissae AG, **473** firmisma A, luceriae vulgo C, nuceriae GABE **474** necpridem Ag, **475** subducta V. dampna U, **476** vacaret mVULbEC vocaret MGBA, **479** domitius M, domiti m c. rell., clasica A, **480** poluto $M_1$, miconi M, miloni m c. rell., **481** campo AG, campis MVUT, **482** ardentis[que] R.

470 *Devertit* Grotius et secuti cum O, *devexit* C, *avertit* Bentl., quo non opus, *devertit* puto a cursu instituto, cf. VI. 317: „tentavere suo comites devertere Magnum hortatu" i. e. a proposito Caesaris persequendi, ib. 590 „suo devertere cursu" cf. Oudend. *Acies* plur. de uno exercitu e. g. III. 479 „ultro acies inferre parant (Graii)". Diiunxit milites a duce. Scilicet clam cum signis militaribus Lentulus urbem reliquisse videtur, postea secutis militibus, cf. Caes. Civ. I. 15. Burmannus sine causa: „ducens ad." Schol. Voss.: „post fugam Lentulus Domitio retulit signa, ad Corfinium civitatem". Sine dubio ex bono fonte.

473 *Luceriae* vulg., emendavit Micyllus; vulgatam defendit Bersmannus ex confuso, quem putat, ordine narrationis. Sed in reliquis h. l. iustam rerum seriem sequitur poeta et vestigia sunt boni fontis, cf. ad 468, 470, Livii, ut probabile, qui non ita errare potuit, ut Luceriam Apulam civitatem ante Corfinium Picens captam diceret. Luceriae praesidebat Pompeius etiam tunc, et post Corfinium quoque relictum, Caes. I. 24. Aperte Caesar I. 14. 3 dicit legiones a Caesare acceptas iam cum ex urbe proficisceretur Pompeius (17 Jan.), in Apulia fuisse dispositas. Facilius tamen in hac re errare potuit L. quam in loco designando. Scipio est P. Cornelius Scipio, a Q. Caecilio Metello adoptatus, socer Cn. Pompeii.

474 Legionem unam ad damna Gallica resarcienda Caesari, socero, suppleverat Pompeius Caes. BG VI. 1, donec ipse Pompeius eam vocaret, si quando ea ad bellum indigeret. Accessit ad hanc, cum propter Parthici belli ignominiam revocaretur, altera, ipse Pompeius unam additurus erat, sed manserant hae copiae in Italia. Relativa sententia „qua supplevit" per *que* continuatur, quo connectitur non relativa; cf. X. 142. IV. 518: „quos tangit vicinia fati victurosque dei celant". — *Vacarent* Bentl. probat, interpretans: „dum Pomp. a bello liber esset (Parthico sc.)", quasi *ad* pro *a* dici posset.

479 L. Domitius Ahenobarbus cf. Suet. Nero 1, infra VII. 599, sqq.. Caes. Civ. I. 16—23. Domitium a Pompeio proditum esse consulto reticet Lucanus, cf. Caes. l. l. 19. 3.

480 *Pullato* Lips. ad Vellei. II. 50, refutatus ab Heinsio l. l. V. 478 *Corfini, ni* contra usum Lucani, propter metrum.

481 *Campo* vulgo; *campis* VUM, Bentl.

Et tu montanis totus nunc fontibus exi,
Atque omnis trahe, gurges, aquas, ut spumeus alnos
Discussa conpage feras. Hoc limite bellum
Haereat, hac hostis lentus terat otia ripa.
Praecipitem cohibete ducem, victoria nobis
Hic primum stans Caesar erit". Nec plura locutus
Devolvit rapidum nequiquam moenibus agmen.
Nam prior e campis ut conspicit amne soluto
Rumpi Caesar iter, calida prolatus ab ira:
„Non satis est, muris latebras quaesisse pavori?
Obstruitis campos, fluviisque arcere paratis,
Ignavi? Non, si tumido me gurgite Ganges
Submoveat, stabit iam flumine Caesar in ullo
Post Rubiconis aquas. Equitum properate catervae,
Ite simul pedites; ruiturum adscendite pontem".
Haec ubi dicta, levis totas accepit habenas
In campum sonipes, crebroque simillima nimbo
Trans ripam validi torserunt tela lacerti.
Ingreditur pulsa fluvium statione vacantem
Caesar, et ad tutas hostis conpellitur arces.
  Et iam moturas ingentia pondera turris
Erigit, et mediis subrepit vinea muris,

**485** fluctibus L, **486** omnis V, **488** ocia A, haec c. **489** cohibere U, cohibete u c. rell., **491** nequiquam VUARBG, **492** namque prior campis G, **493** rumpi.... (4 lit. spat.) M, **494** non tantis c, pavoris V, **495** fluviisque MVU, **497** submoveat V, illo g, **498** rubriconis M, aqu*as* M, **500** *u*bi M, abenas M, **503** vocantem $M_1$ vacante A, **505** etiam M, turris $M_1$, **506** surrepsit gA, subrepsit EB (m addit *Stht*).

486 *Alnos*: sublicae pontis.

491 *Evolvit* Heins., sed cf. *decurrite* 483.

492 „*Prior* e campis prospicit" prius quam Domitius eum prospexisset? Pugnat cum 481. *Procul* aptum esset.

493 „*Proclamat* ab ira" Bentl. Non magis opus quam eiusdem *stabo*, 497, cf. VI. 729, VII. 249.

496 Consulto perturbata oratio, sequi debebat „cohibebor" vel sim., sed Rubiconis mentio iam accedere debebat. De breviloquentia *post R. a.* cf. ad VI. 145. Imitatus est Silius de Hannibale IV. 746.

500 „Totas habenas" cf. IX. 454 (lectio dubia), Verg. XII. 499: „irarumque omnes effudit habenas". Silius XV. 724 „totas largitus habenas", Ov. Met. I. 180.

501 „In collum" Bentl.

503 „Ingreditur fluvium". Hoc fieri poterat equitibus cursui aquae in flumine oppositis, ut infra transeuntes milites quietum amnem haberent. Sed pugnat hoc cum superioribus, ex quibus apparet pontem non ruptum fuisse, nempe ex v. 499 „*ruiturum* adscendite pontem," et ex praesenti *rumpi* 493 („amne soluto" i. q. solutione amnis, modum rumpendi indicat). Equites primum accedentes „trans ripam" iaciunt hastilia, pontem iam equis non habilem invenientes v. 502; id non prohibet, quominus paulo post pons restituatur. Pro *fluvium* requiro *pontem*. Nimis tenue hoc fortasse visum est, sed immerito, et convenit cum iusso „adscendite pontem", nam *Caesar* i. q. Caesariani. Confirmantur haec a Caes. Civ. I. 16.

506 Pro *et mediis* Damstó coni. *atque imis*

Ecce, nefas belli! reseratis agmina portis
Captivom traxere ducem; civisque superbi
Ut stetit ante pedes, voltu tamen alta minaci
Nobilitas recta ferrum cervice poposcit.
Scit Caesar poenamque peti, veniamque timeri.
„Vive, licet nolis, et nostro munere, dixit,
Cerne diem. Victis iam spes bona partibus esto,
Exemplumque mei, vel si lubet, arma retempta,
Et nihil hac venia, si viceris, ipse paciscor".
Fatur, et adstrictis laxari vincula palmis
Imperat. Heu quanto melius vel caede peracta
Parcere Romano potuit fortuna pudori!
Poenarum extremum civi, quod signa secutus
Sit patriae Magnumque ducem totumque senatum,
Ignosci. Premit ille gravis interritus iras,
Et secum: „Romamne petes pacisque recessus
Degener? In medios belli non ire furores,
Iamdudum moriture, paras? Rue certus, et omnis

**509** ut stetit *conieci*, constitit O *vulgo*, alte p. g, **510** ferum G, **511** timere MAG, timeri m (m. 2), **515** ac M, hac m (m. 2), **516** laxare M, **517** quantum U, **518** romanum $M_1$ in marg. versum ponit T, **519** poenaro $M_1$, *signa* M (man. 2)VULb, castra A, rell. **520** patria $M_1$, **521** gravis $M_1$, **522** petis A, **524** *rue* M, omnis MVAR.

*Mediis* hostem inter et ipsum, qui separant eum ab hoste, cf. III. 538.

507 „Nefas belli" iungendum, non „belli — ducem", cf. VII. 868.

508 Invidiose Caesar *civis*, cui militiae imperium non fuerat commissum, cf. I. 279, VII. 267.

509 In *constitit* otiosum est *con*, et omissio subiecti dura. Glossa *constitit* videtur et *ut* pepulisse.

513 *Victis*, hinc male efficitur Caesarem vicisse iam Pompeium sibi videri; *iam* est paulo post, mox, ut saepe. *Esto* est 2a pers.

514 *Retempta* codd., πειρᾶσθαι, ambigua vetus orthographia: *retenta*.

515 Heinsium voluisse: „hac nihil e venia" testatur Burmannus. „Si viceris, ipse pac.", vulgo distinguunt; „si viceris ipse"; probandum, si *ipse* oppositum haberet: „alius pro te". Mecum facit Bentl.

519 Ante Grotium legebatur: „extremum ...*quod*... *fit*" et sic Haskins cum Weisio, in qua lectione non aptum *fit*. — Civi Romano summa poena est veniam accipere pro fide Pompeio et legibus praestita. Eum sic pudet virtutis. *Civi* (sic O) h. l. in bonam partem. Cohaerent verba: civi poenarum extremum est ignosci (ei) quod, rell. (pro *ignominiae* esse quod —).

524 sq. „Pro verss. 524, 525 hic versus in textu (Lipsiensis) legitur: „Thessalicisque „suum finivit robur in armis", sed sub. textu leguntur illi versus et additur ibidem: „hec ait et tumidos pepulit de corde furores" manu eadem". Baehrens Ms. In Cortii MS et Lips. C Weberi hi versus: „haec ait et tumidos (sic, non *timidos* ut refert Burm.) pepulit" — et „Thessalicisque suum" — cum v. 524 et 525, et quidem post hos, in margine positi sunt. Versus sunt manifesto interpolati (cf. Web. II. p. 501 et 571) et ab O absunt. Versus autem 524, 525 exciderunt *postea* quam interpolati illi additi sunt, ut apparet ex *furores* in fine v. 523 et versus interpolati prioris („haec ait" —). Non ad necessarium, ut videbatur interpolatori, supplementum sed ad ostentationem doctrinae (cf. VII. 600) a viro quodam docto additi sunt.

524 *Iamdudum paras* iungi collato IV.

Lucis rumpe moras, et Caesaris effuge munus."
Nescius interea capti ducis arma parabat
Magnus, ut inmixto firmaret robore partis.
Iamque secuturo iussurus classica Phoebo
Temptandasque ratus, moturus, militis iras
Adloquitur tacitas veneranda voce cohortis:
„O scelerum ultores melioraque signa secuti,
O vere Romana manus, quibus arma senatus,
Non privata, dedit, votis deposcite pugnam.
Ardent Hesperii saevis populatibus agri;
Gallica per gelidas rabies effunditur Alpes;
Iam tetigit sanguis pollutos Caesaris ensis.
Di melius, belli tulimus quod damna priores.
Coeperit inde nefas. Iamiam me praeside Roma
Supplicium poenamque petat. Neque enim ista vocari
Proelia iusta decet, patriae sed vindicis iram.
Nec magis hoc bellum est, quam quom Catilina paravit
Arsuras in tecta faces, sociusque furoris

**525** minas MA, muuus ma, **527** *ut* (m. 2) M, partis M, **528** secutoru M, **529** l. [Probus] IV. 261. 8 K, moturi O vulgo, **533** dep. bellum g, **535** perfunditur MA, effunditur m (m. 2) difunditur a, **536** pollutas M, ensis A, **540** ira C, **541** quod cat. MVAB, (cum UG mab).

545 defendit Weise, interpretatus „brevi post", sed l. l. „iamdudum transigit", i. q. quantocius, et sic Verg. „iamdudum sumite poenas" (A. II), quod ab h. l. alienum; „iamdudum moriture" i. q. cui iam diu destinatum fuit mori (pro patria). Ceterum cf. Catullus 64. 375, Ovid. Amat. II. 457, Metam. XIII. 457.

525 „*I*, Caesaris" Heinsius.

526 „Arma parabat". Sic Pompeio favens Lucanus, contra Caes. b. Civ. I. 19. 3 recusasse Domitio auxilium Pompeium narrat.

527 *Admixto* ante Oudendorpium erat, et sic Burm., alii; *hinc misso* Heinsio adscribitur; *inmisso* pravum, ut ipsa Oudendorpii defensio docet. *Admixto* caret auctoritate, in 3 deterioribus Burm. exstat. Melius tamen aliud non invenitur. Satisfacit *invicto*, novos erat additurus milites.

529 *Moturi. Commoti* Heins., *mature* Bentl. Qui defendunt, interpretantur: „moturi castra". Sed non movet castra miles, sed dux; praeterea nondum constabat Pompeio de profectione, sed animos militum antea experiri volebat, temptandisque animis moturus militis iras erat Pompeius. Scribendum censui *moturus* cum, sive antea quam moveret castra. Librarii ante genetivum *militis* substituerunt eundem casum.

535 *Perfunditur* cum BM (sic) habet A, *di-* a, *effunditur* m rell. sine dubio recte.

537 *Di melius* de praeterito sc. *fecerunt*, plene Horatius Sat. II. 6. 4, cf. III. 93. — Melior est, qui iniuriam patitur, quam qui infert.

538 Pro *iamiam* Bentleius: *dum iam*, ante *iamiam* necessarium dicens *coepit*; sed concessivo etiam utitur qui acquiescit in re facta; honorem istum concedit adversario.

539 *Petat* insolens pro *paret*.

541 „*Quo* Cat. *rotavit*" Heins.; posterius non necessarium, *quo* ferendum esset si codd. offerrent, sed excusandum; ante *quo* supplendum esset *bellum*; ergo: non est bellum bellum quo Cat. paravit; vocaret igitur *bellum* id quod negat bellum esse.

Lentulus, exertique manus vesana Cethegi.
O rabies miseranda ducis: cum fata Camillis
Te, Caesar, magnisque velint miscere Metellis,
Ad Cinnas Mariosque venis. Sternere profecto,
Ut Catulo iacuit Lepidus, nostrasque securis
Passus, Sicanio tegitur qui Carbo sepulcro,
Quique feros movit Sertorius exul Hiberos.
Quamquam, si qua fides, his te quoque iungere, Caesar,
Invideo, nostrasque manus quod Roma furenti
Opposuit. Parthorum utinam post proelia sospes,
Et Scythicis Crassus victor remeasset ab oris,
Ut simili causa caderes, quo Spartacus ense.
Te quoque si superi titulis accedere nostris
Iusserunt, valet en! torquendo dextera pilo,

**543** exertique — Cethegi l. C ad VI. 794, Lact. Theb. I. 413 om. nomine auctoris, exporrecti glossa in M, exertive u, **545** velit $M_1$ velim c, **546** at A, ad a c. rell., **547** securis M, **548** passos $M_1$, **553** arvis VUABg, oris uMG, victor Crassus GF, **554** l. Acro C. III 14. 18, et simili (A ap. Hauthal: ut) Acro, qua vulgo, quo a, quas partacus ensis R, hostis vulgo, hoste m, **556** in MVUAg, en G, torquenti G, torquendo MVUAg,

543 Sil. It. VIII. 585: „ipse (Cethegus) humero exertus gentili more parentum", Verg. Aen. II. 492: „subnectens exertae cingula mammae" a verbo *sero*, (cf. *prosero insero* Sil. III. 448) i. q. *tendo* (uitsteken, transit.). Qui manum aut brachium e toga plus quam vulgo exerit, paene nudus, dissolutus „discinctus" est. Cethegis signum familiae proprium ferociam significat. Manus ex. Cet. = Cethegus manu exerta. Cf. supra 96 et de verbo *insero* Fleckeis. Jahnii Ann. a. 1890 p. 294.

544 Rabies *nefanda*" Bentl.

545 Q. Caecelius Metellus Pius urbem contra Marium et Cinnam defendit et cum ipso Pompeio Sullae partes secutus est. App. Civ. I. 69, 80. *Miscere* tanquam similem, aequiparare. Hor. C. I. 1. 30 (me) „dis miscent superis".

547 „Pulsus a Q. Lutatio Catulo et Cn. Pompeio in Sardinia morbo absumtus" Florus II. 11, App. I. 107, Sall. Hist. Orat. Philippi I. 51. *Iacuit* i. q. succubuit.

548 Cf. 426, supra: „nullasque vado qui Macra moratus alnos | vicinae percurrit in aequora Lunae". — Carbonem securi percussit in Sicilia App. I. 96, Plut. Pomp. 10. Quod huic Caesarem postponit praecipue acerbum, quia Carbonem maxima cum ignominia et contemtu interfecit.

550 „Si qua fides" sc. in me, ut vere de me profitear.

553 *Syriis* Burmannus, cf. contra Oudend. — *Arvis* Burm., quod satis ineptum ubi de Scythia sermo est nec conferendum VI. 814: „Siculis — arvis". Val. Flaccus hunc versum imitatus iudice Hosio IV. 589 „remeat qui victor ab oris".

554 Regius pro *hostis* habet *ensis*, quod fortasse ex *ense* correctum (m *hoste*; a: *quo*). *Hosti* Burm.; quo recepto inutili copia laborat locus. *Causa* libri et Acro ad Hor. C. III. 14. 18. Non immerito *hostis* offensioni fuit; primo obscurum est, dein loco alieno inutile trahitur; debebat esse ante *caderes* aut ante *Spartacus*. Desideratur praeterea quod caput rei est, *a Crasso* esse victum Spartacum. Verum censui: *quo Spartacus, ense*. „Simili causa" ablativus abs.: cum similis sit tua et Spartaci causa (uterque arma sumsit contra Romam). *Hostis* (*hoste*) ad *ensis* (*ense*) interpretandum adscriptum, cum *qua* pro *quo* in textum aperta de causa surrepsisset et constructionem corrupisset, pepulit *ense*.

555 cf. Ov. Her. IX. 1 „gratulor Oechaliam titulis accedere nostris".

556 „*In* torq." O praeter G, in quo *en torquenti* erasum et *in torquendo* manu prima supra scriptum. *Ex* Witt. ap. Burm. Confunduntur etiam alibi, cf. VIII. 51. — Parum apta haec de Pompeio sene. Cf. Verg. Aen. IX. 51. Nec recte conveniunt cum 561.

Fervidus haec iterum circum praecordia sanguis
Incaluit; discet non esse ad bella fugaces,
Qui pacem potuere pati. Licet ille solutum
Defectumque vocet, vos ne mea terreat aetas.
Dux sit in his castris senior, dum miles in illis.
Quo potuit civem populus perducere liber,
Adscendi, supraque nihil nisi regna reliqui.
Non privata cupis, Romana quisquis in urbe
Pompeium transire paras. Hinc consul uterque,
Hinc acies statura ducum est. Caesarne senatus
Victor erit? Non tam caeco trahis omnia cursu,
Teque nihil, Fortuna, pudet. Multisne rebellis
Gallia iam lustris, aetasque inpensa labori
Dant animos? Rheni gelidis quod fugit ab undis
Oceanique, vocans incerti stagna profundi,
Territaque excitis ostendit terga Britannis?

**557** circa AG, **558** dis ce.t M discet Uc, disces ABVC, discam a, discent R disces vulgo, **560** ne vos O vulgo, nec GT, ne gc, rell., **561** duxit A (s adscr. m. 2), **562** populos $M_1$ A, **564** cupit MVAg, **565** hic M (n s. s. m. 2), parat MVg, **566** du ... cum M, **567** trahes R, **570** quos VUaG, fuciet (ut vid.) $V_1$ (fudit?) fudit G, **571** l. Anecd. Helv. p. CCXXXIV. 24 (Hag.), oceanumque O vulgo, in fine pag. versum habet M. 39um m. 2 (post 603), **572** que sitis M, quaesitis O vulgo.

557 *Frigidus* Bentl.

558 *Discet* iure praefert Bentl., quoniam sequitur „Licet *ille*", ubi transitus ad 3m pers. admodum durus. — Post *pati* convertit se ad milites, quare *vos* (560) emphasin requirit, unde pro *ne vos* substitui *vos ne.*

561 Post *senior* distinguendum, „dum miles" sc. „sit senior". *Senior* praedicatum est.

564 *Cupis — paras, cupit — parat* vulgo. Illud Bentl., qui *orbe* sine causa. (De metro vid. supra ad I. 602.) Secundam personam librarii non substituissent, sed oscitantia sua potius contra.

566 „*Ducum* i. e. procerum" Weise. Non recte, in acie Pompeiana multi erant, qui exercitus duxerant et imperatores erant salutati.

567 „*Num* tam" Guyet.; *casu* Bentl. conferens VII. 446 „cum caeco rapiantur saecula casu". Praeferendum *cursu*; non recte quis diceret: „equus, iumentum trahit casu". — *Tam* pertinet etiam ad *nihil* = tam parum, quod non latinum est; „tam nihili", „tam non multum" et similia vid. apud Krebs-Allgayer in *parum* p. 752. Sententia: „non ita destituta es pudore".

568 „Multisne rebellis — *castris*" Hosius, magis probo „*geminisne* — lustris" Bentleii.

571 *Oceani* ex coni. dedi pro *Oceanum.* In vulgata, in qua oratio continuatur usque ad *Britannis*, verba cohaerent: „(datne animos) quod fugit a Rheno et terga ostendit Britannis, vocans Oceanum stagna profundi". Deest sic id quod necessario adesse debebat, causa memorati Oceani. Scelus non erat, quod *nomen* Oceani male usurpabat, sed quod *dum traiciebat* brevia et aestuaria, vocabat haec *Oceanum.* Fugisse Caesarem a Rheno dicit, quoniam post expeditionem traiecto Rheno, fluvium reliquerat; eodem modo ab eo, quem Oceanum vocabat, fugisse poterat dici. *Vocans* i. q. quomodo vocabat, ut Graeci λέγων omisso οὕτως. De asyndeto vid. ad II. 53, V. 569. Bentl.: *trepidus — ab arvis*, peius vulgata. Sed coniunctio necessaria est; quare scripsi *que excitis* pro vulg. *quaesitis*; populi exciti sedibus Caesarem fuderant: cf. M et Var. Lect. IV. 611, ubi *excivit* et *quaesivit* confusa.

An vanae tumuere minae, quod fama furoris
Expulit armatam patriis e sedibus urbem?
Heu demens, non te fugiunt, me cuncta secuntur,
Qui cum signa tuli toto fulgentia ponto,
Ante bis exactum quam Cynthia conderet orbem,
Omne fretum metuens pelagi pirata reliquit,
Angustaque domum terrarum in sede poposcit.
Idem per Scythici profugum divortia Ponti
Indomitum regem, Romanaque fata morantem,
Ad mortem, Sylla felicior ire coegi.
Pars mundi mihi nulla vacat, sed tota tenetur
Terra meis, quocumque iacet sub sole, tropaeis.
Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas
Arctos habet; calida medius mihi cognitus axis
Aegypto, atque umbras nusquam flectente Syene.

**573** minuere R, **575** l. Prisc. II. 283 H et 304. 20, ubi: secuntur pars codd., fugient $M_1$, **576** quicum M, **577** clauderet m (man. 3), **578** exactos — orbes c, **579** angustamque VG, [in] R, **580** idem s. s. ego VUB, versum in marg. habet G, **582** l. [Probus] IV. 262 K, coegit Prob., **584** *m*eis M, trophaeis O, **585** hic M (n s. s.), idem A vectorem M (e corr.), *ad* M (m 2), phasidis A, **586** calida — Syene (587) l. Prisc. 511. 9 [medius] Prisc., melius g, orbis U, axis u, **587** atque — Syene l. Macrob. Somn. Scip. II. 7. 18, numquam Prisc. cUA, nusquam M, pellente C, flectenti A, flectente a, var. l. in C, rell. Syenen A.

577 Nempe ante quam duo menses essent expleti; Florus I. 40 (III. 6 D.) „quadragesimo die (victoria) parta est". Condere i. q. finire: „condit quisque diem collibus in suis" Hor. C. IV. 5. 29, „condere lustrum" alia. Nec aptum est *exhaustum*, nec opus *cogeret* (Guyetus, coll I. 537: „cornuque coacto iam Phoebe, rell.).

578 „Metuens pelagi" iungendum, non „fretum pelagi".

579 *Angustam* VG, „Angusta sedes" continentis opposita latis spatiis maris. Bentl.: „*angustamque* domum *terrestri* (vel: *terrena*) in sede poposcit". Pompeius partim in montanis (*angustis*) locis piratas collocavit: Cilicia, Tauro, Calabria, Dymae in Graecia, Laude Pompeia in Gallia Transpadana (Lodi hodie, Plin. III. 124. *Laudum* Schol. Voss. ad h. l.). Cf. Servius ad Georg. IV. 127, Velleius II. 32, Plut. Pomp. 28, supra I. 346.

580 *Ponti* puto Euxinum, non regionem significari, ut grandius.

581 *Morari* differre, IV. 351 „nil fata moramur", Afranius tradens se Caesari eius cursum fatalem non impedit. VII. 460. „Fati suprema morantem consumpsere locum".

583 „Mihi nulla vacat" quid sit apparet ex oppositis; *vacat* absolute positum; supplendum: „me, gloria mea", *mihi* est dativus ethicus. Hinc Pompeius regiones coeli recenset: septentriones 585, meridiem 587, occidentem 588, orientem 590. *Hinc* (585) non ex Italia (Weise) sed per anacoluthiam *illinc* omissum ante *calida*.

586 *Medius axis* est aequator, cf. X. 250 „frigore ab arctoo medium revocata sub axem". Verg. Georg. III. 351: „medium Rhodope porrecta sub axem", eadem *ἀκρισίᾳ* qua *polum* pro *coelo* dicunt.

587 *Nusquam* praeter Vm (2a manu) G Puteaneus et Harleianus vetusti Bentleii; cum Bentleio censeo Macrobium corruptam iam lectionem habuisse, verum esse *nusquam*. Nisi *nusquam* posuisset Lucanus, inquit, non dixisset „*flectente* umbras", sed *faciente*. *Flectere umbras* nisi addatur quorsum ineptissimum est". Nimi-

Occasus mea iura timent, Tethynque fugacem
Qui ferit Hesperius post omnia flumina Baetis.
Me domitus cognovit Arabs, me Marte feroces
Heniochi, notique erepto vellere Colchi.
Cappadoces mea signa timent et dedita sacris
Incerti Iudaea dei, mollesque Sophenae.
Armenios Cilicasque feros Taurumque subegi.
Quod socero bellum praeter civile reliqui?"
  Verba ducis nullo partes clamore secuntur,
Nec matura petunt promissae classica pugnae;
Sensit et ipse metum Magnus, placuitque referri
Signa, nec in tantae discrimina mittere pugnae.
Iam victum fama non visi Caesaris agmen.
Pulsus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum secreta petit, vacuosque per agros
Exul in adversis explorat cornua truncis,
Nec redit in pastus, nisi cum cervice recepta

**588** time.t M, timet VU, timent AR, tethymque V, **589** sperius, he add. m. 2 M, hesperium $G_1$, **591** henioschi $M_1$ eniochi VU, **593** di VU, molesque (s. s. l m. 2) M, mollesque AT, ..phene (so s. s. m. 2) M, sophenae G, sefonte C, mollisque sophene vulgo, **594** ferox G (s s. s.), taurosque O vulgo, **595** quid G, **600** victi $V_1$, **604** repleta u.

rum *flectere* absolute est „incurvum facere". Quid cum rerum natura conveniret, vidit Macrobius, Lucanum reprehendens qui *numquam* scripsisset, ut in suo MS. invenerat, vidit etiam Strabo XVII. 48, qui *κατὰ τὰς θερινὰς τροπὰς κατὰ μεσημβρίαν ἄσκιον εἶναι τὸν γνώμονα* dicit. Idem cum omnes dicant qui Syenen memorant (cf. omnino Palmerius apud Oudend. p. 918), non improbabile est, iam ante Macrobium *nusquam* errore librariorum, quibus *numquam* magis familiare esset, ex parte librorum evanuisse.

588 *Tremit* pro *timet* Bentl.

589 Non omnino recte extremus totius occidentis Baetis dicitur, cf. Haskins, sed parum refert in hac magnifica oratione.

590 Nec *cognoscit* (Bentl.), nec *dominum* necessarium.

593 Claudianus in Eutr. I. 220: „in mercem veniunt Cilices, Iudaea, Sophene, Romanusque labor Pompeianique triumphi". *Sophenae* ex G dedi, i. e. Sophene maior et minor aut quomodocunque divisa, *molles* MAV, Schol. B ap. Weberum. Ib. „Incerti Iudaea dei". Commentum Bernense: „Livius de Iudaeis: Hierosolymis fanum cuius deorum sit non nominant, neque ullum ibi simulacrum est, neque enim esse dei figuram putant".

594 *Taurumque* scripsi cum Guyeto; imperiti librarii nomen populi desiderantes temere finxerunt.

597 sqq. *Petunt* i. q. accedunt ad. Proximo die proposita signa, recusante militiam milite, in praetorium reportantur: „placuitque *referri*". Militum segnities ad excusandum ducem ficta. Pompeio laudi datur, quod detrectat certamen, cui impar est, post viribus auctis rediturus vestigia eius premente Caesare et exercitu: „comitantibus agmina tauris", 606. A superiore die, quo oratio habetur (528) ad proximum (597 *matura*) transitus nullus est. V. 605 „reddita (armenta) — comitantibus *agmine vaccis*" Jeverenus, satis supra refutatus. Res in comparationem adhibita subinde variatur ad maiorem similitudinem, quare *parvis* Bentleii non probo, cf. ad I. 151. — „Et ipse" 598 non monitus. „Metum" militum.

604 „Cervice recepta". Ut „corpus facere" (Celsus) et „corpus amittere" (= robur, pinguedinem) sic h. l. „cervicem recipere",

Excussi placuere tori, mox reddita victor
Quoslibet in saltus comitantibus agmina tauris
Invito pastore trahit, sic viribus inpar
Tradidit Hesperiam, profugusque per Apula rura
Brundisii tutas concessit Magnus in arces.
Urbs est Dictaeis olim possessa colonis,
Quos Creta profugos vexere per aequora puppes
Cecropiae, victum mentitis Thesea velis.
Hinc latus angustum iam se cogentis in artum
Hesperiae tenuem producit in aequora linguam,
Hadriacas flexis claudit quae cornibus undas.
Nec tamen hoc artis inmissum faucibus aequor
Portus erat, si non violentos insula Coros
Exciperet saxis, lassasque refunderet undas.

**608** hisperiam $M_1$, **609** *concessit* M, conscendit V, brondisii U, magnus conscendit T, **610** rem refert Io. Lydus, de mag. III. 46 addens *ὡς ὁ Ῥωμαῖος Λουκανὸς ἐν τῇ δευτέρᾳ τῶν ἐμφυλίων φησίν*, **613** hac vulgo, hanc MaGC, hinc VUcg, arcum A, arcu a, **614** producet $AM_1$ italiae g, *linguam* M, fuisse videtur *undas* (cf. 615), ante mutationem $2^a$ m. al. linguam s. scripsit, sulcum A, sulcum $B_1$, **615** *claudit* M, qua (e erasa) M, **617** choros A, **618** laxasque VAGC, effunderet T.

toros exstantes, pinguedinem, palear reparare. De formula „amittere corpus" cf. Munro ad Lucr. I. 1039: „corpus facere", gaining flesh, amittere c., losing flesh". *Repleta* (u) interpretamentum est, defensum a Burmanno. Jeverenus: *refecto* coll. Verg. Georg. III. 235: „post ubi collectum robur viresque *refectae*". Contra Statius Theb. II. 326 „cum profugo (tauro) placuere tori cervixque *recepto* | sanguine magna *redit*", id quod rem conficit, cum Lucanum manifesto sequatur. — Ad 603 cf. Verg. et Statius ll. ll.

605 „*Excussi* — tori" satis insolens pro concussi; praeludens pugnae leo vel taurus quatit iubas et cervices; excutit quis lacertos, dum roboris sibi conscius vehementer brachia commovet et quasi tela vibrat. Cf. tamen Verg. A. XII. 6: „movet arma leo gaudetque comantis | excutiens cervice toros." Ovid. Heroid. IV. 43 „tremulum excusso iaculum vibrare lacerto". Supra I. 424 versus dubius.

609 *Condit se* Burmannus sine causa. Confert Hosius in Jahnii Annal. l. l. Stat. Silv. III. 3. 163 „Diomedeas concedere iussus in arces". *Concessit* Bentleius quoque, eodem loco usus.

610 Strabo VI. 282 *Βρεντέσιον δ' ἐποικῆσαι λέγονται Κρῆτες οἱ μετὰ Θησέως ἐπελθόντες ἐκ Κνώσσου.* Redux secundum haec ex Creta in Atticam Theseus novam expeditionem suscepit. „Victum — velis" i. q. postquam vela nigra falsam opinionem de Thesei morte sparserant.

613 *Arcum* A, Haskins. Sed aliquid se *cogit* in artum, expandit se continens in arcum.

615 Strabo l. l. *ἑνὶ στόματι πολλοὶ κλῄονται λιμένες ἄκλυστοι, κόλπων ἀπολαμβανομένων ἐντός, ὥστ' ἐοικέναι κέρασιν ἐλάφου τὸ σχῆμα, ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα, τῇ δὲ Μεσσαπίᾳ γλώττῃ βρέντιον ἡ κεφαλὴ τοῦ ἐλάφου.* Secundum Strabonem urbs efficit caput, latera portus utrinque serrata cervi cornua. secundum Lucanum lingua terrae proiecta scinditur bifariam. Ea lingua excludit s. arcet (*claudit*) Hadriam.

616 „*Patulis* immissum" Bentl.

617 *Erat* cf. III. 345 (*deerat*) VIII. 571 (*deerant*), 155 (*poterant*), 586 (*poteras*), IX. 685 (*pensabat si scinderet*), III. 597 (*ruperat*), X. 25 (*erat*), IX. 685. Val. Flacc. II. 314 (*deerat*), VII. 441 (*occideras*), alia. De Caesare et Cicerone cf. J. Priem, Philol. Suppl. V. 2 p. 261, sqq.

618 *Laxas* insolens, *lapsas*, quod ex Argen-

Hinc illinc molis scruposae rupis aperto
Opposuit natura mari, flatusque removit,
Ut tremulo starent contentae fune carinae.
Hinc late patet omne fretum, seu vela ferantur
In portus, Corcyra, tuos, seu laeva petatur
Illyris Ionias vergens Epidamnos in undas.
Huc fuga nautarum, cum totas Hadria vires
Movit, et in nubes abiere Ceraunia, cumque
Spumoso Calaber perfunditur aequore Sason.
  Ergo ubi nulla fides rebus post terga relictis,
Nec licet ad duros Martem convertere Iberos,
Cum mediae iaceant inmensis tractibus Alpes,
Tunc sobole ex tanta natum, cui firmior aetas,
Adfatur: „Mundi iubeo temptare recessus;
Euphraten Nilumque move, quo nominis usque
Nostri fama venit, quas est volgata per urbes
Post me Roma ducem. Sparsos per rura colonos
Redde mari Cilicas. Pharios hinc concute reges,
Tigranemque meum. Nec Pharnacis arma relinquas,

**619** montes O vulgo, scopulosae O vulgo, **620** fluctusque T, **621** tremolo $A_1$, **624** epidaunos mUTg, epidaurus (ros) GV, ionios M, **625** hoc $MACB_1$, **627** saso R, **628** erga $M_1$, **631** sobole M, e O, **633** euphratem M, **636** parthos ARgB, huc G, **637** l. Prisc. II. 279. 8 H, Tigranenque c, ne M (nec m) Prisc. codd. aliquot, reliquas M, relinquis A.

tinensi ed. Weise, ineptum est, *lassas* poeticum, fatigantur undae frustra tundentes scopulum. Ovid. Her. IX. 56 „qui lassas in se saepe retorquet aquas." — „Refunderet *auras*" temere Bentl.

619 „*Montes* scopulosae rupis" omnes codd. et edd., sed genetivus materiae ille non recte se habet, scopulis congestis non fit mons. Praeterea tautologia est inepta. — *Moles* pro *montes* Bentl. — Id recepi; sunt aggeres portum tuentes, Britanno *pier*, Romanis noti, ut apparet e pictura Pompeiana. Genetivus est definitivus: „scopulosa rupes quae pro mole est." *Scruposae* (V. 675) necessarium videtur; rupes in mare prominens semper est scopulosa; inepta est copia verborum.

621 *Contentae* non est *retentae* (Weise), cf. III. 534 „ordine contentae gemino crevisse liburnae". „*Tremulae — contento* fune" memorat Burmannus, contra cf. Haskins. Laxat funes navis in pacato mari, tendit quassa, cf. Stat. Theb. V. 470.

626 Ceraunia tegunt culmina nubibus, evanescunt ex oculis et aqua marina mergitur Sason, insula parva et humilis. Cf. Silius IX. 469, VII. 480, infra V. 650. Strabo VI. 281. Ceterum malim: „*spumosus Calabro* perfunditur aequore Saso" quod contra usum insula nomine regionis designatur, et *Saso* respondet numerose τῷ Calabro.

631 *Tunc*: *ubi — tunc* cf. 669; similiter *si — tunc* IX. 931. Pro *tanta* Bentl. *gemina*, quod Pompeius habebat tantum duos filios. „Tanta, nobilissima" Weise.

636 „*Bactros* — reges" Bentl., cf. Weber II p. 533, sq. *Parthos* manifesto est librariorum error: *Parthi* erant magis noti quam reges *Pharii*. Bentleius post „Nilum move" 633 Aegypti iteratam mentionem non fert; sed post Tigranem regem Armeniae 637 similiter Armenia postea memoratur (640). Ceterum Tigranem *suum* appellat tanquam clientem pro more Romanorum, quo victores exterarum civitatium earum patroni fiebant. Ordo regionum non convenit cum situ geographico: Armenia, Pontus 637, utraque Armenia 638, Ponti Euxini littora 639, Scythae 640, 641. — Ad v. 635 cf. 579.

Admoneo, nec tu populos utraque vagantis
Armenia Pontique feras per littora gentes
Rhipaeasque manus et quos tenet aequore denso
Pigra palus Scythici patiens Maeotica plaustri.
Sed quid plura moror? totos mea, nate, per ortus
Bella feres, totoque urbes agitabis in orbe
Perdomitas: omnes redeant in castra triumphi.
Et vos, qui Latios signatis nomine fastos,
Primus in Epirum boreas agat, inde per arva
Graiorum Macetumque novas adquirite vires,
Dum paci dat tempus hiems." Sic fatur, et omnes
Iussa gerunt, solvuntque cavas a littore puppis.
At numquam patiens pacis segnisque quietis

**638** vacantes A, **639** littora MU, gentis M, **640** rhipoeasque V, rhipheasque AR, quas O vulgo, **641** Lib. gloss. cod. Sangall. 905 p. 590: Scistiae (l. scythiae) paludes ubi aqua nimio frigore adeo congelescit ut plaustris iter praebeat. Lucanus: Scitis (sic) — plaustris. Eadem verba l. C ad V. 436, Scitis gl. Sang., scitii codex B Commenti, maeotia C ad V, c, meotida R, **642** et quid MVUG, latio MVUGTcA, latios R, **645** signastis mu, fastus M, fastos m (2 m), **646** eyptum T, **647** macedumque V, **648** iemps M, **649** littore A, **650** patiens segnis MVRT, patiens pacis UvAB, longaeque quietis O vulgo.

640 *Quos* scripsi cum Heinsio, libri *quas.*

641 *Maeotica* A quoque et M (secus Steinh.). *Maeotia* solum Commentum.

642 „Quid plura *loquor*" proponit Guyet. Cf. Verg. A. V. 381 „nec plura moratus". De *Rhipaeas* cf. ad III. 2. 3.

643 *Feres* O, *seres* Modius, *leges* Bentl. i. q. colliges, coll. *redeant.* Sed *feres* i. q. sparges nuntius. *Seres* non praeferendum post *mea* (Bentl.), nec aptum *serere* de bello, quod iam exstabat.

644 *Praedomitas* Bentl. recte, sed non emendatio; *perd.* sc. a me. — *Triumphi* gentes triumphatae.

645 *Latio* Oud., Hos. — Claud. Hon. IV. 155 „signas posito modo nomine fastos". Similia Zingerle, „zu späteren Latein. Dichtern", II. p. 18. Consules cum parte exercitus ante Pompeium in Epirum traiecerunt, cf. Caes. Civ. I. 25, sqq.

646 „Primus boreas" i. q. cum primum boreas flare inceperit, quem miro errore Brundisio Dyrrhachium in Epirum ferre opinatur; ineptior etiam correctio *Aegyptum* (T: eyptum), cf. 617 *coros*, qui locus adversa fronte cum hoc pugnat, nam corus flat a septentrione (NW). Cf. III. 1.

648 „Paci dat tempus hiems", Pompeius in Epirum traiecit Martii d. 17. Cf. O. E. Schmidt, Rhein. Mus XLVI. (1892) p. 248. Hiems iam paene praeterierat. Improbanda tamen correctio iam vetus („Turr. a. m. 2"): „tempus *iners*", unde Burmannus coniecit: „dum *pacem* dat (vel „dum *pacis stat*") tempus iners". Secundum Lucanum post Urbem a Pompeio relictam Caesar Mediam Italiam subicit, expugnat Corfinium et dimittit Domitium, tum i. e. post 14 Febr., Brundisium recedit Pompeius. Cum Caesar ad Brundisium venit, 9 Martii, Consules iam abierant, cf. Civ. I. 27. Igitur v. 645 pertinet ad initium Martii, tum ad finem hiemis i. e. Idus Martias ad quietem aliquod tempus supererat, quamvis exiguum. Cf. I. 522. II. 525, 609. — Kalendarium ante Caesaris correctionem verum tempus praecesserat; a. d. XVI Kal. Apr. (17 Mart.) = 25 Ian. Iulianae aerae. Quod si teneatur, media hieme traiecit Pompeius (nempe a Caesare coactus); Lucanus qua est incuria in rebus historicis hoc vix curavit, et potuit a Livio habere, quem vel in orationibus fontem habet, cf. IV. 354 cum Commento. Pompeius „naturalem" hiemem significat.

650 „Patiens *segnis* longaeque quietis" praefert Oudendorp. Sed numquam „patiens segnis quietis" honorificum est et minus aptum. Silius XII. 726 „indocilis pacisque modique" (Hannibal) et alia apud Hosium. Jahni Ann. l. l., *Seni* Heins. Advv. p. 254,

Armorum, ne quid fatis nutare liceret,
Adsequitur generique premit vestigia Caesar.
Sufficerent aliis primo tot moenia cursu
Rapta, tot insessae depulsis hostibus arces,
Ipsa, caput mundi, bellorum maxima merces,
Roma, capi facilis. Sed Caesar, in omnia praeceps,
Nil actum credens, cum quid superesset agendum,
Instat atrox et adhuc, quamvis possederit omnem
Italiam, extremo sedeat quod littore Magnus,
Communem tamen esse dolet, nec rursus aperto
Volt hostes errare freto, sed molibus undas
Obstruit et latum deiectis rupibus aequor.
Cedit in inmensum cassus labor; omnia pontus
Haurit saxa vorax, montesque inmiscet harenis;
Ut maris Aetnaei medias si celsus in undas
Depellatur Eryx, nullae tamen aequore rupes
Emineant, vel si convulso vertice Gaurus

**651** li*ceret* U, mutare O vulgo, **652** generoque G, **653** ali*is* M, tot primo RG, **654** oppressae Mu, infestae VU, difessae A, deiectis g, **656** *sed* U, **657** *credens actum* U, actum M, **660** *tamen esse* M (m 2), **661** mollibus R, **664** immisit M (scet s. s. m. 2), *h*ausit M, **665** aegaei vulgo O.

*oti* Bentl. Sed *pacis* post *patiens* exciderat et versus per *longae* suppletus.

651 *Mutare* O et vulgo; quod recepi Heinsii est, Advv. p. 256. Cf. supra 41 „dum pendet fortuna ducum"; IV. 393 „mundi nutante ruina", VII. 244; Birt ad Claud. Gild I. 281, Drakenb. ad Sil. VI. 234, Jeverenus ad h. l.

654 *Obpressae* vulgo. *Insessae* Heins. Advv. p. 256, Bentleius, unde facile existere potuit *infestae, obsessae, obpressae*, non contra ex *obpressae*: *infestae*. Cf. Tac. Hist. II. 98 „Alpes praesidiis insessae" et al. ap. Bentl. In M. signo appicto *tot oppressae* iunguntur.

657 *Dum* Grotius, Heinsius (teste Burm.), dubia latinitate.

658 *Insederit* Heins. (teste Burm.). In *tamen* (660) offensus Bentl. *terram*. Mire permixtae sunt protasis et apodosis: „extremo sedeat quod littore Magnus" explicant voc. *communem*, ideoque sequentibus adhaerent tanquam pars apodosis, cum *adhuc*, (= etiamtunc) in protasi positum, pertineat ad partem illam apodosis (*sedeat*), et per *tamen* partes apodosis inter se opponantur. *Rursus* (= contra) vult Pompeium exturbare Italia. sed tamen nihilo magis maro concedere. Puto haec in Lucano ferenda.

662 „*Et latum deiectis*" Bentl.: *elidit*que *ingestis*. *Latum* operis difficultatem auget. 663 idem: „*crescit* in imm."; inter laborem finis operis *cedit* in infinitum; finis non appropinquare sed usque removeri videtur.

665 „Ut maris *Aegaei*" vulgo; nubes est coniecturarum; Bentl.: *Ausonii*, *Ionii*, *Aeolii*, Burm.: *Hadriaci*, Cortius: *Hennaei*. *Aegatum*, melius certe quam Baier (thesi in diss.): *Aegateī*; Oudend. *Aetnaei*. Alii corruptum statuunt *Eryx*, pro quo *Athos* Hortensius, *apex* Withof. Non comparari debet v. 613: „Aegaeas transit in undas Tyrrhenum", ibi enim longe dissita maria exempli causa memorantur, nec Aegaeum ibi Siciliae propinquum mare significat. Cum hoc loco error librariorum aut editorum antiquorum sit statuendus (nam ignorare mare *Aegaeum* et *Erycem* non potuit poeta), *Aetnaei*, minimam mutationem recepi; ad horrorem aptius „Aetnaei" quam „Hennaei", reliqua plane improbabilia sunt. Quod *Aetna* occidentem versus iacet, in hoc poeta non offendit; dixit pro *Siculo*.

Decidat in fundum penitus stagnantis Averni.
Ergo ubi nulla vado tenuit sua pondera moles,
Tunc placuit caesis innectere vincula silvis,
Roboraque inmensis late religare catenis.
Talis fama canit tumidum super aequora Xerxen
Construxisse vias, multum cum pontibus ausus
Europamque Asiae, Sestonque admovit Abydo,
Incessitque fretum rapido super Hellesponto,
Non eurum zephyrumque timens, cum vela ratisque
In medium deferret Athon. Sic ora profundi
Artantur casu nemorum; tunc aggere multo
Surgit opus, longaeque tremunt super aequora turres.
Pompeius tellure nova conpressa profundi
Ora videns, curis animum mordacibus angit,
Ut reseret pelagus, spargatque per aequora bellum.

**668** l. Consentius V. 345. 23 K, **669** hubi M, **672** talis $M_1$, per M (su s. s. m. 3), sersen Mc, Xersem VUARB, persen ug, **673** ausis M (ausus m, m. 3) A, **674** sexton C, **675** [que] M, rapidi super hellesponti O vulgo, **676** eorum $M_1$, **677** in medium defert AB at non A (athon margo) differret MUT, **678** nemorum casu R, **679** turris A, **681** animum curis T, **682** referet A.

669 „Sua pondera", stabilis fuit nulla moles, sed deiectae omnes. Ponderibus recte aequatis corpus suo loco manet; inde de aequilibrio: „terra cadit in sua pondera" i. e. locum stabilem accipit, „trans pondera dextram porrigere" ultra aequilibrium Hor. Ep. I. 6. 52, ubi cf. intpp., et, quem laudat Haskins, Munro ad Aetnam 324.

670 *Complacuit* Guyet. Cf. ad 631.

671 Ut rates conficeret. Caesar Civ. I. 25. moles prope terram confectas, et deinde his annexas versus mare rates fuisse refert. Huc pertinet *late*: *late religabat*, trabes longis catenis aliquantum a terra remotas affigebat, quae moli firmamento essent.

672 *Persen* est var. lect. in U et G; reliqui boni codd. *xersem, xersen, sersem,* quare *Persen* glossema videtur, cui adhaesit exitus nominis proprii, cf. Heins. p. 250. X et S confusae ut *Sexton* 674 Comm., *xanctus, milex,* simm. in Inscr. Corssen[1] I. 125, Schuchardt II. 47. 64, *Sestius* et simm. huc non pertinent, sed veterem pronuntiationem indicant.

673 *Constravisse* minus recte Bentl. Reliqua cum irrisione dicta, si sana, sed ea aliena a Lucano. Bentl.: „*tum cum dementibus ausis* | *Europen* Asiae" aut: *olim cum ingentibus ausis.* Burm.: *stulto* quum pontibus *ausu*", minus etiam commendabile. Ego propono *nimium* pro *multum*; sc. non successit ei, auster rupit pontem.

675 „Incessitque *pedes*" Bentl. Jeverenus: „*inclusitque* fretum *ratibus*!" De v. 675—678 cf. Weber II. p. 627, sqq. Vulgo: „*rapidi* super *Hellesponti*", quod defendunt editores iungendo: „super fretum rapidi Hellesponti". Ponitur sane *super* post casum IV. 310, 431, VIII. 226, sed non interposito alio casu. Per illam structuram praeterea perit proprietas dicti („incedere mare"), quod liquet coll. Cic. Tuscc. II. 13: „si Xerxes — Hellesponto iuncto, Athone perfosso maria ambulavisset, terram navigasset". Hoc non sensit is, qui desiderans praepositionem, unde penderet accusativus legit aut substituit genetivum *rapidi Hellesponti.*

677 „Sic — nemorum" spuria iudicat Bentl. offensus repetita particula comparativa *sic* post *tales* 672, sed cf. V. 183 „talis — sic", IV. 549: „(iuvenes cadunt mutua caede) sic semine Cadmi emicuit Dircaea cohors — sic mutua pacti fata cadunt iuvenes" (556). Tum desiderat, quoniam de arboribus agitur, quae *caeduntur*, aliud quam *casus.* At quidquid *caeditur, cadit,* et *casus* verbalem suam naturam a *cadere* retineat ut in „stilicidi casus" apud Lucretium, aliis. „Ora profundi" i. q. ostium portus.

Saepe Noto plenae, tensisque rudentibus actae
Ipsa maris per claustra rates fastigia molis
Discussere salo, spatiumque dedere carinis,
Tortaque per tenebras validis ballista lacertis,
Multifidas iaculata faces. Ut tempora tandem
Furtivae placuere fugae, ne littora clamor
Nauticus exagitet, neu bucina dividat horas,
Neu tuba praemonitos perducat ad aequora nautas,
Praecepit sociis. Iam coeperat ultima Virgo
Phoebum laturas ortu praecedere Chelas,
Cum taciti solvere ratis. Non anchora voces
Movit, dum spissis avellitur uncus arenis;
Dum iuga curvantur mali, dumque ardua pinus
Erigitur, pavidi classis siluere magistri,

**683** tens. rud. act. l. Prisc. 520. 15 H, **684** rate $U_1$, **685** discessere m, sa*l* . . . o M, **686** totaque T, **687** multifides iac. fides l. Osbernus, p. 354, **688** littora U, non littora C. **689** ne*u* M, ne G, bucina MUR, **690** ne BM (u adscr m 2), nec T, *per*monitos M, permonitos VA, deducat VTG, perducat MUA, **692** phoebū U, thelas R. **693** tacita ex tacitas corr. M, tacitas VUG, taciti gA, **694** avelleret M (avellitur m. 2), **696** classis pavidi T.

683 *Plenae*, non de ratibus (vlotten) sed de navibus onerariis agitur, quas Pompeius in portu Brundisino invenerat; cf. 698, Caes. Civ. I. 26. „Naves plenae vento" uno exemplo defendit Burm. Plin. NH. IX. 25, Heinsius malebat (teste Burm.) *pleno*. Neutrum satisfacit; fort. *pulsae*. — „Tensis rudentibus". de remulco cogitari non potest, Caesariani molem tenebant, in qua funem ducentes ingressi essent; sunt igitur funes velorum s. pedes, cf. III. 40.

684 sq. *Fastigia* cf. IV. 296 (irrigui campi fastigia), Varro RR. I. 14. 2 et saepius, ubi fundum significat. *Solo* Sulpitius „removerunt e suo firmamento" interpretatus. Potius *fastigia* i. q. omne quod exstabat aqua, cf. Curtius VIII. 10. 31 „agger aequaverat summae fastigium terrae". *Salo* = in mare. Cf. VI. 362 „Ionio fluit inde mari". Alia Gron. diatr. Stat. p. 35 et Hand, ib. Ceterum M habet: *sal . . . o*. Fuit *sabulo* fortasse.

687 *Multifidas*, i. q. crinitas, Stat. Theb. V. 387, „multa crinitum missile flamma".

690 a Bentleio proscribitur (cf. Weber II. p. 595) quod post 688, sq. supervacaneus sit. At „ne — exagitet" pertinet ad Caesarianos, „ne tuba — nautas" ad Pompeii milites, qui in terra pernoctant; hi *praemonentur* (male *permonitos* in aliquot libris), ut ne signum tubae exspectent. *Ne bucina* G, *ne tuba* MB, sed anaphorae vehementia ab h. l. aliena.

691 sq. Mensis September sub Virgine, October sub Libra, November sub Scorpione est; omittit igitur Lucanus Libram secundum antiquos quosdam astronomos, qui Scorpionem etiam per Librae duodecimam partem, hac exclusa, extendebant, cf. J. H. Voss ad Verg. Ge. I. 32-35. Fieri potest, ut contra Lucanus ad Virginem retulerit partem vulgo Librae assignatam et sic tempus significaverit proximum ante Novembrem; utique non serius. Itaque pugnant hi versus cum 648, ubi *pars* hiemis dicitur superesse, cum h. l. *tota* instet. Cf. etiam Pendlebury ap. Hask. „Praecedere ortu chelas" i. q. ante Scorpionem (quo sol transierat) oriri; *ultima praecedere* sic dictum, quasi deinde sequatur; Virgo cedit Scorpioni aut evocat Scorpionem sive ducit, sed melius non tangere.

693 „Voces" nempe nautarum, ut hodie.

695 Iuga, i. e. the yards, *antennae*, in position like the beam of a balance. Haskins. Significantur ligna malo fixa, quibus erigitur et quae pondere mali curvantur. Huic usui antennae vix inservire possunt, cf. Val. Fl. IV. 682.

Strictaque pendentes deducunt carbasa nautae,
Nec quatiunt validos, ne sibilet aura, rudentis.
Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur,
Quam retinere vetas liceat sibi prodere saltem
Italiam. Vix fata sinunt, nam murmure vasto
Inpulsum rostris sonuit mare, fluctuat unda,
Totque carinarum permixtis aequora sulcis.
Ergo hostes portis, quas omnis solverat urbis
Cum fato conversa fides, murisque recepti,
Praecipiti cursu flexi per cornua portus
Ora petunt, pelagusque dolent contingere classi.
Heu pudor! exigua est fugiens victoria Magnus.
Angustus puppis mittebat in aequora limes,
Arctior Euboica, qua Chalcida verberat, unda,
Hic haesere rates geminae, classique paratae
Excepere manus; tractoque in litora bello
Hic primum rubuit civili sanguine Nereus.

**697** diducunt m, **698** rudentis A, **699** sequetur V, **700** perdere O vulgo, **704** omnis MU, **705** receptis R, **707** classes ABEMVU, classi M(Stht.), **710** quae MAEBcU, arcior A, **711** paratas M, herere c, **712** litore MuaB, littoris m (3 man.), ad litore A, **713** tum (sic) — Nereus l. Acro C. II. 1. 35.

697 *Pandentes* Grotius pro *pendentes*; *tendentes* Heins. ad Sil. III. 129 „et promota ratis pendentibus arbore nautis" ipse reiicit. Cf. V. 428 „summaque pandens, suppara velorum perituras colligit auras (navita)". In vulgata lectione *pendentes* nautae in antennis deducunt vela, cum malus sit mobilis (695. III. 45). *Pendentes* non damnandum, cf. Sil. l. l. et Ov. Met. III. 613 et delineatio in Guhl et Koner ed. Engelmann, ubi nautae, ut apud nos, in antennis pendent vela constricta pandentes.

700 *Prodere* Heins. *Perdere* dicunt = amittere et sic oppositum ex adverso τῷ *retinere*, sed eo non defenditur „perdere regionem"; de re quapiam mobili sic loquuntur, non de stabili et manente, quod absurdum esset. *Prodere* est alii relinquere (prijsgeven). *Per* et *pro* confundi nemo nescit.

703 „Permixtis aequora sulcis" O et vulgo; „permiscent aequora sulci" Guyet. et Burm.; „torta c. p. verbere s." Bentl., non una de causa improbandum. Probabilius Guyet., nisi gravius ulcus latet; nam *permista* aequora minus apte dicuntur pro *turbata*; miscentur enim res diversae. Durum est genus loquendi, quo verbum *sonuerunt* mente addendum est ex superiore *sonuit*, alio verbo (*fluctuat*) intercedente. Expectes: „totque carinarum tremuerunt aequora sulcis". Accedit tautologia et v. 701 mira iunctura per *nam*. Vix fata sinebant relinqui Italiam, nam — mare obstrepebat. Hoc impedire poterat ne audiretur: „audiri vix fata sinunt". Et fortasse *mota* car. permixtis aequora sulcis". MOTA in TOTA corruptum et TOT; tum metrum correctum adiecto *que*.

706 „Cornua" cf. 615.

707 *Classi* Burmannus primus = evenire *classi* ex fragm. Sangermanensi. *Classi* ex M notavit Steinhart; Ashb. tamen plerumque consentiens cum M: *classes*, nec de Buh. (i. e. M) quidquam Oudend., nec ego de M.

711 *Paratas* O et vulgo. *Paratae* aut *paratas accepere* (malim utique *incurrere*) Burm.; *caedique paratae* Bentl. „Naves (nomin.) *excepere* manus" sane ineptum. nec offendit subiecti mutatio. *Manus* pro acc. habitum traxit appositum errore librariorum. Manus ferreae quasi praedam expectantes naves prehenderunt et traxerunt (*tracto*) in terram.

Cetera classis abit, summis spoliata carinis,
Ut, Pagasaea ratis peteret cum Phasidos undas,
[Cyaneas tellus emisit in aequora cautis]
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo,
Vanaque percussit pontum Symplegas inanem,
Et statura redit. Iam Phoebum urgere monebat
Non idem Eoi color aetheris, albaque nondum
Lux rubet et flammas propioribus eripit astris
Et iam Pleias hebet, flexi iam plaustra Bootae
In faciem puri redeunt languentia caeli,
Maioresque latent stellae, calidumque refugit
Lucifer ipse diem. Pelagus iam, Magne, tenebas,
Non ea fata ferens, quae, cum super aequora toto
Praedonem sequerere mari. Lassata triumphis
Descivit Fortuna tuis. Cum coniuge pulsus,
Et natis, totosque trahens in bella penates,

**715** l. [Probus] IV. 228. 20 K: ut – phas.; ut – ratis l. Lact. ad Stat. Achill. I. 65, pegasaea Lact. phasides $A_1$, **717** l. Prisc. 336. 17 H. Mythogr. Vat. II. 136, rupta Mythogr., U, **718** vanaque – redit (719) l. Prisc. 124. 23 H, inane m, **721** erigit a, **722** plias MG, flexo A, botae $M_1$, boetae T, **726** aequore MRTG, aequora mVU, victor (pro: toto) g, facta T, **727** maris bTRG, lassata – tuis (728) l. Lact. ad Stat. Theb. II. 311, lassa Lact., **728** descivit MUA Lact., desivit gV, destituit RTG. **729** penatis $M_1$.

714 *Corymbis* vel *ceruchis* Heins., sed „summae carinae” sunt extremae naves; tota classis cum una Argone, ultimae naves cum eius puppe comparantur. Bentl. „*sociis* — carinis”. Sed ita tertium comparationis (extremum utriusque) obscuratur.

716 De odiis Telluris nihil cognitum, sed Iunonis et Palladis, Val. Fl. IV. 682; non in aequora emittendae erant cautes sed in navem, denique impedit versus structuram, Tellus emisit gigantes aut spartos, sed non sublimes montes. *Cum peteret* et (*cum*) *emisit* iuxta stare non possunt, *emisit* et *subducta est* pendent ab *ut* per asyndeton non ferendum.

717 I. q. imminuta, spoliata, puppe.

719 Descriptio caeli sole oriente per momenta singula fit; primo color caeli mutatur, rubescit, albescit, evanescunt stellae ab oriente, tum septentrionales concolores fiunt aetheri, denique lucifer, nuntii iam munere functus, abit. De perfecto *refugit* post praesentia cf. ad VI. 237.

726 „*Toto* — mari” Heinsius, sine causa improbat Bentleius proponens: „super aequora *tota*, praedonem sequerere *maris*”. Mare enim iam *tutum* erat, cum piratae fugerent Pompeio insequente. Sed „toto mari” i. q. in omnibus maribus, Aegaeo, Tyrrheno, Hadria etc., per omnes latebras et recessus. *Totus* pro *omnis*, *quivis* satis notum. „Super *aequore* toto praedonem sequerere *maris*” et „super aequora *victor* — mari” (cf. var. lect.), sunt tautologa.

728 Heins.: *desuevit*. Bentleius: „*triumphos destituit* f. *tuos*”. Cum *destituit* cf. V. 298: „quando pietasque fidesque destituunt”, cf. v. 133 al. Reliqua apud Bentl. exempla ex Seneca conferenda. *Descisco* Lactantius quoque ad Stat. Theb. II. 311, quo loco absolute ponitur: „respiciens descisse deos”. Qui cum Haskinsio damnat omissa post *desciscit* verba *a te*, eodem iure desiderare debet *te* post *destituit*. Neutrum satisfacit. Quare propono: *te lassa f. destituit*; ex *te lassa* factum est ordine mutato *lassa te*, *lassate*, *lassata*. *Lassa* habet Lactantius. *Destituit* melius exprimit condicionem eius, qui sine auxilio ad incitas redactus est, et tanquam difficilior lectio praeferendum. Antiquissima videtur esse varietas.

Vadis adhuc ingens, populis comitantibus, exul.
Quaeritur indignae sedes longinqua ruinae.
Non quia te superi patrio privare sepulcro
Maluerint, Phariae busto damnantur arenae:
Parcitur Hesperiae, procul hoc ut in orbe remoto
Abscondat Fortuna nefas, Romanaque tellus
Immaculata sui servetur sanguine Magni.

**731** facta, **732** et **733** in M in fine pag. m. 2 scripti, sunt versus paginae 39 et 40 **733** sed phariae U, **734** et in UGc, orbo A.

734 Acute Bentl. rationem inversam esse animadvertit: „non parcitur, inquit, Hesperiae, ut Fortuna abscondat, sed Fortuna abscondit, ut parcatur Hesperiae". Sed hoc est ingenio abutentis. Est amarum opprobrium; Lucanus non reprehenderet Italiam theatrum esse belli, si modo Pompeius servaretur; sed improbae Fortunae omnia satisfaciunt, etiam spectaculum gloriae removeri, ut in angulo procul Pompeius moriatur. Non probo igitur Bentleii coniecturam: „*et* in orbe remoto *abscondit* F. nefas — sui *servatur*" rell. — „*Et* — *abscondat* — *servetur*" Hosius. Concessivus parum aptus videtur et acerbitatem minuere. De rhetorica omissione particulae adversativae ante *parcitur* cf. ad II. 53.

# M. ANNAEI LUCANI

# PHARSALIA.

## LIBER TERTIUS.

---

Propulit ut classem velis cedentibus Auster
Incumbens, mediumque rates tenuere profundum,
Omnis in Ionios spectabat navita fluctus;
Solus ab Hesperia non flexit lumina terra
Magnus, dum patrios portus, dum littora numquam
Ad visus reditura suos, tectosque cacumen
Nubibus et dubios cernit vanescere montes.
Inde soporifero cesserunt languida somno
Membra ducis. Diri tunc plena horroris imago
Visa caput maestum per hiantis Iulia terras
Tollere, et adscenso furialis stare sepulcro.

**2** *movere* MAVUGR, tenuere mavC, schol. Voss., **3** l. Schol. Pers. IV. 19, **6** tectumque O vulgo, **7** et — montis l. Serv. Aen. III. 522, **8** cessarunt $AB_1$, **11** sepulchro M, accenso O vulgo.

1 Temere Boream supra II. 647 in Epirum ferre dixerat, cf. ad V. 414, 703. Cum quibus locis ut noster conveniat Bentleius abusus Cicerone ad Att. IX. 6 et Strabone VI. p. 195 conicit „*remis cessantibus aura*". Modestius Heins. „velis *turgentibus*". Liceat Lucano semel recte dixisse (*auster*).

2 *Movere* parum aptum, cum agatur de mari iam vehementer moto (*incumbens*), ubi remis locus non est. *Tenuere* per se rectum, et antiquam esse lectionem apparet ex scholiis et Verg. Aen. V. 8, multis aliis locis. Recepit Oudend. *Movere* h. l. a bono poeta proficisci non potuit, cf. V. 449, II. 725.

6 „Tectosque cacumen" rell. Venuste describit adspectum montium, quorum cacumina nebula occultantur. *Tectosque* correxi pro vulgari *tectumque* in O, quod accommodatum est proximo *cacumen* a librariis, qui Graecam constructionem non intellegebant. Simul distinctionem post *nubibus* sustuli. Bentleius inde a v. 4: „non flexit lumina *Magnus, Carae* dum *patriae* portus" tum v. 6 „*terraeque* cacumen" (?)

8 *Cessarunt* male $AB_1$. „Languida *Somno*" Bentl. de dei persona interpretans.

9 *Cum* Bentl. Libri *tum*.

11 *Accenso* vulgo et O; *adscenso* (s. *ascenso*) Guyeti est; *escenso feralis* coll. VI. 536 Heins., *effracto feralis* Bentl., *excelso*

„Sedibus Elysiis campoque expulsa piorum
Ad Stygias, inquit, tenebras manesque nocentis
Post bellum civile trahor. Vidi ipsa tenentis
Eumenidas, quaterent quas vestris lampadas armis.
Praeparat innumeras puppis Acherontis adusti
Portitor, in multas laxantur Tartara poenas.
Vix operi cunctae dextra properante sorores
Sufficiunt, lassant rumpentes stamina Parcas.
Coniuge me laetos duxisti, Magne, triumphos:
Fortuna est mutata toris, semperque potentis
Detrahere in cladem fato damnata maritos
Innupsit tepido paelex Cornelia busto.
Haereat illa tuis per bella, per aequora signis,
Dum non securos liceat mihi rumpere somnos,
Et nullum vestro vacuum sit tempus amori,
Sed teneat Caesarque dies, et Iulia noctes.

**13** stigyas A, **14** furentis ug, *ton*entes V, **16** pupes $M_1$, et usti c, **18** dex*tra* M, **19** suffitiunt A, rumpunt stamina parcae Acro epod. 13. 15, „parcae fata hominum — exposuerunt, alia — alia rumpendo ut Lucanus ait". Schol. Bern. Verg. Buc. 4. 47, lassant — parcas l. Prisc. 124. 20 H, Lact. Theb. III. 642. VIII. 27, rumpent*es* stamin*a* M, stagmina R, parcae M (s. s. s m. 2), **23** en nupsit V (in *corrigit m.* 2), ennupsit RTG (inn. g) $M_1$, pelex O, *p*ele*x* M, **26** nulli vestrum RG (nullum vestro g), **27** *sed* M.

Jever., quod optimum est, sed non Lucani. Cf. Eur. Hec. 37 *ὁ Πηλέως γὰρ παῖς ὑπὲρ τύμβου φανεὶς κατέσχ' Ἀχιλλεύς*. Iulia e terra disrupta prodit et adscenso tumulo, inde visa loqui. *Accenso* vix ineptia liberabis; nam quod dicunt *accenso* sc. *ab alio* coactum, *escendere* non melius, quasi Caeciliae Metellae monumentum aliquod Iulia habuisset; *feralis* aeque inutile atque *ferali* (Burm.). Furialis = tanquam furia aliqua vindex.

14 „Post bellum civile" i. q. ex quo coeptum est geri. Cf. ad VI. 145.

15 Eumenides faces (*lampadas*) praeferunt bellantibus, „armis vestris" dativus est.

16 Versus in paucis iure a Petronio notatus 111 „vix navita Porthmeus sufficiet simulacra virum transducere cymba, *classe opus est*". *Laxantur* (17) i. q. dilatantur, ut multos recipiant.

18 Infelix Heinsii tentamen *iunctae* recepit Cortius. Omnia exempla apud Heins. ad Sil. IX. 641, quibus *iunctus* est i. q. *continuus*, *iugis* aut *admixtus* (cf. etiam Gron. Obss. II. 3 fin.) hinc separanda. Nec tamen *cunctae* de tribus satis defensum comparando I. 86. Collato Horatio C. IV. 11. 9: „cuncta festinat manus" conicio „*cuncta* dextra properante". Certe id me retinet quominus Heinsium sequar. Idem in subsidium emendationis *intentae* proponit.

23 Librarii *en* pro *in* substituerunt, contra factum est II. 556. *Innupsit* verbum Romanis familiare absolute positum esse, cum facile *familiae* vel *domo* supplerent, non est mirum. „Tepido busto" casus absolutus est et intellegendum de cineribus Iuliae (non *Crassi*, ut vult Jever.); ante legitimos luctus dies in Pompeii sinum involarat Cornelia, cuius etiam viva Iulia fidem coniugalem sollicitaverat (*paelex*). Bentleius *lecto* pro *busto*; ante Grotium erat *enupsit*. — Non ex historiae fide haec dicta; Cornelia duobus annis post Iuliae decessum Pompeio nupsit.

25 *Non securos* ut *non iustus* et simm. iungenda, cf. ad V. 58.

27 Caesar te interdiu angat, Iulia in somniis tibi appareat.

Me non Lethaeae, coniunx, oblivia ripae
Inmemorem fecere tui, regesque silentum
Permisere sequi. Veniam te bella gerente
In medias acies. Numquam tibi, Magne, per umbras
Perque meos manes genero non esse licebit;
Abscidis frustra ferro tua pignora: bellum
Te faciet civile meum". Sic fata, refugit
Umbra per amplexus trepidi dilapsa mariti.
  Ille, dei quamvis cladem manesque minentur,
Maior in arma ruit certa cum mente malorum.
Et „quid, ait, vani terremur imagine visus?
Aut nihil est sensus animis a morte relictum,
Aut mors ipsa nihil". Titan iam pronus in undas
Ibat, et igniferi tantum demerserat orbis,
Quantum deesse solet lunae, seu plena futura est,
Seu iam plena fuit. Tunc obtulit hospita tellus
Puppibus accessus facilis; legere rudentis,
Et posito remis petierunt littora malo.
  Caesar, ut emissas venti rapuere carinas,

**32** genero (corr. in: generum) MRGV, generi A, generum MgUv, **33** abscindis m, pignera A, **36** quatus U, **39** sensus nihil est *Heinsianus*, **40** itavi iam U, **41** dimerserat M, **43** tunc – rudentes (44) l. Prisc. 157. 3 H, *o*btulit M, optulit VU, **44** legere rudentes l. Pompeius V. 234. 30 K Cledonius V. 60. 6 K, rudentis A.

29 *Regesque* i. e. sed reges. Nam sententia est, quae latet in *permisere*: „sed rogavi, ut te sequerer", ut VI. 756 „nec se – paulatim per membra levat, terraque repulsum est," et alia.

31 „Per umbras" interpretatur Schol.: beneficio umbrarum. Laudandum certe conamen est tautologiae tollendae.

32 *Genero* corr. in *generum* M; scilicet o et ū (s. s.) coaluerunt de more, quod imposuit Steinharto *generos* legenti. Eadem correctio aliis quoque locis. Pro *genero* A quoque facit, praebens *generi* ex falsa correctione dativi *genero*.

33 Ante Oud. *abscindis* contra O praeter m. Per se quoque recepta h. l. melior. Heins. „malebat" *vincula*.

35 Heins. ludit: „*per amplexu* trepidi *delapsa* mariti". Dilabebatur per brachia, nihil habens solidi. Supplendum reliquit L. lectori Pompeium amplexum esse umbram; cf. v. 11.

37 „Certa *iam* mente" Bentl. conferens VI. 1; sine causa.

39 „Aut sensŭs morte relictus nihil est aut mors ipsa (nihil)". Ita iusta oppositione requirebatur, *nihil sensūs* (ū) metrum suadebat. Sententia huius loci, a multis similibus distinguenda, est „aut opprobrium suppliciumque non sentiam, aut non exstabo." Heinsianus codex habebat: „aut *sensus nihil est*", recte, modo sequeretur *relictus*. Quinctiliani Excerpta e cod. Voss. p. 492 Burm.: „aut nihil est *animi nobis* a morte relictum aut mors ipsa nihil".

44 Rudentes, quibus malus mobilis (*posito*) fixus erat.

46 „Caesar – non illum". Anacoluthon, pro „non laetificatur", eius generis, quod in concitatiore sermone aptum et frequens, iam ab Homerico ἵππος: — ῥίμφα ϝε γοῦνα φέρει. Iliad. VI. fin. – *Abscondit* praes. post *rapuere*, cf. ad VI. 237. Usus nauticus verbi, quo ipsi nautae abscondere dicuntur

Absconditque fretum classis, et littore solus
Dux stetit Hesperio, non illum gloria pulsi
Laetificat Magni: queritur quod tuta per aequor
Terga ferant hostes. Neque enim iam sufficit ulla
Praecipiti fortuna viro, nec vincere tanti,
Ut bellum differret, erat. Tunc pectore curas
Expulit armorum pacique intentus agebat,
Quoque modo vanos populi conciret amores,
Gnarus et irarum causas, et summa favoris
Annona momenta trahi. Namque adserit urbes
Sola fames, emiturque metus, cum segne potentes
Volgus alunt: nescit plebes ieiuna timere.
Curio Sicanias transcendere iussus in urbes,
Qua mare tellurem subitis aut obruit undis,
Aut scidit, et medias fecit sibi littora terras.

**47** apscondit M, litora A, **48** non — magni (49) l. Prisc. 435.26 H, **49** quaeritur M, **50** nec VU, **52** differr*et* M, **54** consciret (s e corr.) G, consclsceret g, **56** urbis $M_1$, **57** signo a, **58** nescit — timere l. Prisc. 320.22 H, **59** in arces c.

terras ex oculis recedentes, nihil cum h. l. commune habet; sed fretum dicitur h. l. abscondere naves, quae a littore conspectae sensim mari tegi videntur, dum tandem etiam cacumen mali mergitur. Quod animadversum Valerio I. 496: „iam celsior arbore (malo) pontus — vatem spectantibus abstulit".

51 Malebat omnia in aleam dare quam nunc non reportare victoriam qualemcunque, sive: vincere in perpetuum non tanti erat ei, ut propterea partem belli dilatam vellet.

54 *Varios* Modius in Gruteri Lampade Crit. V. 173; Bentl. „quoque modo populi sibi *conciliaret* amores", quod *vanus* accipit pro *irritus* et *concire* in malam partem (*iram, odium*, simm.) tantum dici putat, cf. Livius I. 8 „obscuram atque humilem conciendo multitudinem". *Vanos* inconstantes eoque facile Caesari parabiles.

55 Ira et favor parantur annona negata aut data. Metaphora sumta a bilance, cuius una lanx pondere premitur (*trahitur*).

56 *Urbem* Bentl., quasi Lucanus tantum de Roma cogitare potuerit. *Adserit* i. q. subicit; nihil a vulgari vi verbum differt, nisi quod ipsa fames dicitur facere, quod is, qui pro tempore uti ea in suum commodum novit; qui alit plebem dominatur ei. Plebs famelica non novit modestiam nec obsequium. Seneca Dial. X. 18. 5 „nec rationem patitur, nec aequitate mitigatur, nec ulla prece flectitur populus esuriens"

59 Annonae comparandae causa Curionem in Siciliam, Q. Valerium Orcam in Sardiniam missos esse non diserte dicit L., sed hoc consilium facile e nexu apparet, cf. 71 „haec (i. e. annona) ubi sunt provisa duci". Cf. Caes. b. Civ. I. 30. Comm. Usen. ad 59: „ut ait Livius, Marcum Catonem expulit provincia", quae verba licet suspicari cum Usenero in fine periochae l. CIX interiisse. De Catone pulso cf. Cic. Att. X. 16. 3, scr. d. 14 Maii 49: „Cato qui tenere Siciliam nullo negotio potuit — Syracusis profectus est, ut ad me Curio scripsit. Utinam, quod aiunt, Cotta Sardiniam teneat". Confuse Baier „de Livio Lucani auctore" p. 9. *Transcendere* parum apte de maritima navigatione. *Arces* lemma C, ubi est: I. I. A. Sic enim liber aliquis apud Cortium. Usener: *Auras*, corruptum, ut putat, ex *oras. Iussus*, omissum *est* verbi passivi ut VIII. 211, IX. 331.

60 „Qua mare", rell. aut mersit terram (nunc sub freto conditam), aut expulit et cumulavit discissam in oras freti.

61 (Mare) „medias fecit sibi littora terras" fecit ut quae fuerant mediterranea, iam

Vis illic ingens pelagi, semperque laborant
Aequora, ne rupti repetant confinia montes.
Bellaque Sardoas etiam sparguntur in oras.
Utraque frugiferis est insula nobilis arvis,
Nec prius Hesperiam longinquis messibus ullae,
Nec Romana magis conplerunt horrea terrae.
Ubere vix glebae superat, cessantibus austris
Cum medium nubes borea cogente sub axem
Effusis magnum Libye tulit imbribus annum.
  Haec ubi sunt provisa duci, tunc agmina victor
Non armata trahens, sed pacis habentia voltum
Tecta petit patriae. Pro! si remeasset in Urbem,
Gallorum tantum populis arctoque subacta,
Quam seriem rerum longa praemittere pompa,

**60** et **61** l. Prisc. 516. 17. H, **61** l. Phocas V. 433. 19 K, **63** ne — montes l. Lact. ad Stat. Theb. III. 597, monti a, **65** frug*if*eris M, **66** plus AVg, prius EUGCM, **68** *vix glebae* gleba C, **69** axe (m deleta) A, **70** l. Lact. ad Stat. Theb. IV. 710, libyae Lact., magnus M (— um 2a m.), libiae MU, intulit G (tulit g), **71** agmina ductor MUG, agm. victor mAB$^V$gT, **73** pro si — subacta (74) l. Prisc. II. 92. 48 H, ad urbem A (m. 2 in) B, **74** *arcto*que M.

essent littora. Littora est accusativus praedicativus. Pelorum et Rhegium olim erant in media terra, nunc littora. Vulgaris interpretatio, ex qua *medium* est i. q. inter continentem et Siciliam situm, facit ipsum fretum Siculum littus.

64 *Velaque* Heins., non ferendum. Significatur Q. Valerius Orca, vid. Comm. Usus particulae *que*, qui h. l. invenitur, est sine exemplo; proximum, sed tamen diversum est VIII. 400: „num barbara nobis est ignota venus, quae ritu caeca ferarum polluit innumeris leges et foedera taedae coniugibus? thalamique patent secreta nefandi", ibi sententia explicativa annectitur (fere: „dum patent" s. „accedit quod p."). Non mirarer si L. dedisset: „Sardoas etiam bellā sparguntur in oras" (V. 118 „quippē stimulo").

66 A prava lectione *plus*, quam a manu prima soli A et V habent, Bentleius profectus, „nec plus *Massiliam* long. mess. ullae". Sicilia et Sardinia subiectae antequam Africa frumentum adveberet. Cf. Comm. E lectione *plus* existit haec oppositio inepta: nec plus, nec magis complerunt.

68 Iunge: „Libye vix superat (eas), cum cessantibus austris tulit magnum annum". „Medius axis" est aequator, cf. ad II. 586. Cum e septentrione nubes meridiem versus pelluntur, imbres Africae fertilitatem afferunt. Comparetur quorundam sententia de Nilo ad X. 239.

70 *Annus* i. q. messis, sed post Augusti demum tempus; hinc *annona*, ut *Pomona* a *pomum*, factum, quod primitivi (*annus*) usum pro messe pepulit, donec archaistae revocarunt; Varro in libris de Re Rustica hunc usum voc. *annus* ignorat. Cf. Gronovius, Diatr. Statiana p. 157 (267 Hand). Infra 452 et certius exemplum IX. 437, Stat. Theb. IX. 406, Silv. I. 3. 22, Val. Fl. V. 423, Claud. XV. 57.

71 „Ubi — tunc —" Bentl.: haec ubi sunt provisa *satis*, tunc agmina *ductor*". *Ductor* post *duci* merito displicet, sed non erat *duci* sine libris mutandum, ut *ductor* posset intrudi. *Haec*, nempe legati in Siciliam et Sardiniam iam ante reditum in urbem missi. Pro *vultum* Heins. teste Burm. aliquando *multum* aut *cultum*.

73 „*Ad* urbem" AB, quod olim probavi. Caesar non ad urbem constitit; triumphus dilatus est.

75 Florus de triumpho post Pompeium victum II. 13 (IV. 2 Duker): „primum de Gallia triumphum trahens; hic erat Rhenus et Rhodanus et ex auro captivus Oceanus".

Quas potuit belli facies! Ut vincula Rheno,
Oceanoque daret! Celsos ut Gallia currus
Nobilis et flavis sequeretur mixta Britannis!
Perdidit o qualem vincendo plura triumphum!
Non illum laetis vadentem coetibus urbes,
Sed tacitae videre metu, nec constitit usquam
Obvia turba duci. Gaudet tamen esse timori
Tam magno populis, et se non mallet amari.
Iamque et praecipitis superaverat Anxuris arces,
Et qua Pomptinas via dividit uda paludes,
Qua sublime Nemus, Scythicae qua regna Dianae,
Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam;
Excelsa de rupe procul iam conspicit Urbem,
Arctoi toto non visam tempore belli,
Miratusque suae, sic fatur, maenia Romae,
„Tene, deum sedes, non ullo Marte coacti
Deseruere viri! Pro qua pugnabitur urbe?
Di melius, quod non Latias eous in oras
Nunc furor incubuit, nec iuncto Sarmata velox
Pannonio, Dacisque Getes admixtus; habenti

**76** quos M, gaudet – amari (83) l. Servius D. ad Aen. VI. 835, **84** anx*y*ris M, arcem a praecipites VGm, **85** pontinas (s. s. p) URc, quae $G_1$, **88** excessa U, **94** et iuncto — pannonio (95) l. Prisc. 286. 9 H, non T Prisc. (?), **95** getis M, getas A.

76 *Potuit* cf. ad II. 617.

77 *Daret* sc. in imagine pompae.

77 Verba cohaerent: „ut (quomodo) Gallia nobilis et mixta flavis Britannis sequeretur celsos (triumphantis) currus". Quo ordine offensus Bentl.: „ut *Gallica* currus *nobilitas* flavis *anteiret* mista Britannis". Non operae est causas exponere futtiles.

79 *Plura* quam Gallos et Britannos. Schol. Voss.: „quia et victoria belli civilis accessit" (ob quam triumphare non licebat). Haskins: „Because he could not triumph for victory in civil war". Ergo quia de Pompeio non potuit triumphare, non magis de Gallis? Abstrusa nec vera sententia!

80 *Cantibus* non male Oudend. nec refutatus a Burmanno; „*Tacito* metu" Bentl. *Constitit* Bentl. defendit contra Heins. *confluit* (ad Claud. Ruf. II. 427). *Coetus* de euntibus quoque, cf. Stat. Theb. VI. 131 (138), sed attendas antitheton *tacitae*, et *cantibus* magis placebit. — *Urbes*, ad Appiam, cum Brundisio Romam peteret.

84 *Praecipitis* iung. cum Anxuris; arx erat in monte sita. *Praecipites* manifesta correctio est. — Ex ordine enumerat loca iuxta Appiam sita: Anxur s. Terracinam, paludes Pomptinas, Ariciam. Prope Ariciam nemus erat sacratum Dianae Nemorensi sive Tauricae, quae ab Oreste e Chersoneso Taurica huc transvecta dicebatur. Cf. Commentum. Sacerdos, qui praeerat loco, *rex* dicebatur, cf. Suet. Cal. 35, Val. Flacc. II. 305, Ovid. Fast. III. 271. Inde *regna*. De Albano cf. VII. 395, de Aricia VI. 74. *Per regna* malebat Heins.

88 *Et celsa* Bentl. Superiora praeparant hunc versum, quasi: cum loca illa transiisset, adscendit tumulum, rell. Asyndeton aptum.

92 „Deseruere *tui*" Heinsius; cf. IV. 655.

94 *Et* iuncto" Prisc. l. l., quod fortasse ex numeri nota III, nunc omissa, exstitit.

95 „Dacis*ve* Getes *adiutus*" Bentl. offensionem fingens ut Arundelianum *adiūtus* defenderet.

Tam pavidum tibi, Roma, ducem Fortuna pepercit,
Quod bellum civile fuit". Sic fatur, et urbem
Adtonitam terrore subit. Namque ignibus atris
Creditur ut captae rapturus maenia Romae
Sparsurusque deos, fuit haec mensura timoris:
Velle putant, quodcumque potest. Non omina fausta,
Non fictas laeto voces simulare tumultu,
Vix odisse vacat. Phoebea palatia conplet
Turba patrum, nullo cogendi iure senatus
E latebris educta suis. Non consule sacrae
Fulserunt sedes, non proxima lege potestas
Praetor adest, vacuaeque loco cessere curules,
Omnia Caesar erat, privatae curia vocis
Testis adest, sedere patres censere parati,

**96** non pavidum G (tam g), **99** capturus $G_1$, **101** *fes*ta M, festa UA, **102** nec AR, **104** cogendi more g, **105** producta TG (educta g), **107** „vacuoque loco cessare quirile l. et legit liber glossarum cod. Palat. 1773 f. $268^v$ = cod. S. Gall. 905 p. 813 (quurule)" Hosius. — Vacuaeque — curules Serv. D. Aen. XI. 334.

97 *Tulit* pro *fuit* Heins. Sententia: quod victor Urbis civis est, non excindet eam. (Si barbarus urbem caperet, vastaret).

99 „Rapturus maenia" II. 653 „primo tot maenia cursu rapta". VI. 269 „castella rapit." I. 483 „iussamque — Urbem Romano spectante rapi". „Ignibus atris rapere maenia" intellegendum de omnibus aedificiis, nam homo Romanus absurdum esse sentiret muros Servianos comburere, solido lapide structos. Jever. conicit: „*sparsurus* moenia, *rapturusque* deos", quo offensio siqua est, non tollitur. Vulgo post *deos* plene distinguitur, quod mutavi; sententia: ut (quemadmodum) creditur urbem capturus et incensurus, fuit haec mensura rell. (i. e. apparet hanc mensuram fuisse). In vulgata *ut*, sive *quasi*, sive *utpote* interpreteris, inutile est. — *Mensura* rell. Nihil tam atrox erat, quin putarent Caesare esse dignum; nolebat tantum peccare, si non posset. Mensura igitur est amussis, ad quam exigebant malos rumores.

101 *Fausta* Pulmanno auctore Bersmannus; libri *festa*. Omina festa i. q. celebratione festorum perspicua? At parum hoc convenit cum *simulare*. Contra „fausta omina" fingit populus ut ap. Tac. Ann. V. 4, I. 35, ubi omina ab hominibus fiunt, non divinitus offeruntur. *Fausta* Bentl. quoque probat, *festa* Hos.

103 „Vix odisse vacat" i. q. signa dare odii. Jeverenus: *audisse*. At non agitur de Caesare verba faciente; vulgatae etiam oppositum „laeto voces simulare tumultu" favet.

104 Caesar, privatus, non habebat ius cogendi senatum; ipse tamen, non per tribunos (qui libera rep. senatum interdum convocaverant) id egit; cf. Caes. b. Civ. I. 32. Non est igitur cur *more* recipiatur; iungenda verba cum proximis „e lat. ed. suis.", quibus probabile est significari patres e suburbanis villis a viatoribus excitos. Vocabulum *educere* satis mite est, sed tanquam de pecore. Alius senatus extra pomoerium habitus convocantibus tribunis Antonio et Cassio (Dio XLI. 15. 2); cf. 103 „Phoebea palatia".

106 *Sedes* satis ineptum foret, si cum Bentl. esset intellegendum de sellis curulibus, omnibus paene occupatis ab insidentibus, sed int. de *sede* Apollinis Palatini, quod templum ab Augusto instauratum, non conditum est. Supra 103 „Phoebea palatia". Mons Palatinus, ut notum est, Palatium dicitur ut Ianiculum, Capitolium. Bentl. *aedes*. — *Consule* = consulari maiestate. — „*Locum* cessere" (107) sine causa Jev. Sellae curules remotae erant suo loco.

108 *Curia* insolenter pro vestibulo templi aut loco quovis, ubi congregatur senatus. Consulto reticet, Caesari tanquam senatori licuisse verba facere, etsi senatum habere non licebat.

Si regnum, si templa sibi, iugulumque senatus
Exiliumque petat; melius <di>! plura iubere
Erubuit, quam Roma pati. Tamen exit in iram,
Viribus an possint obsistere iura, per unum
Libertas experta virum; pugnaxque Metellus
Ut videt ingenti Saturnia templa revelli
Mole, rapit gressus et Caesaris agmina rumpens
Ante foris nondum reseratae constitit aedis.
Usque adeo solus ferrum mortemque timere
Auri nescit amor: pereunt discrimine nullo
Amissae leges, sed pars vilissima rerum
Certamen movistis opes, prohibensque rapina
Victorem clara testatur voce tribunus:
„Non nisi per nostrum vobis percussa patebunt
Templa latus, nullasque feres nisi sanguine sacro
Sparsas, raptor, opes. Certe violata potestas

**111** exilumque M$_1$, melius quod O vulgo, **113** possent mbEU, possint ABVRGT, possit M, **120** et VUcG (sed g), **124** nullasque *feres sine* sanguine *n̄tro* M, nostro VUT, sacro ABvuG, **125** sp*ar*ssas U.

110 *Senatus* pro *suum* necessarium erat post *sibi* = Caesari. *Exiliumve* Bentl. non recte.

111 *Melius* interpretantur: sc. „actum est". Sine exemplo. Languidum vulg. *quod.* In nota formula *Di melius* comparativus a positivo non differt, cf. II. 537, Hor. Sat. II. 1. 45. *Quod* videtur interpretamentum, quod veram lectionem pepulit.

112 „Exit in iram" quam langueat sentient qui explicationem Haskinsii, pro re nata optimam, comparaverint: „Freedom trying by one men's means whether right could resist might, ends by – causing a dispute". Vide potius v. 133 (post verba Metelli) „his magnam victor *in iram* vocibus *accensus*". Libertas libero ore Metelli usa excitavit semel tamen Caesarem post placidum senatum. Scripsit Lucanus, ut puto: „tamen *exciit* iram". Cum scriberetur saepe *exire* pro *excire*, *exīvit* pro *excīvit* et, ut hoc loco *exǐit* pro *excǐit*, idque in *exit* corruptum esset, versus suppletus est per *in.* Cf. infra 291 „excivit populos", II. 48 „gentes excite feras". Casu factum quod brevioris perfecti plane ἀνὰ λόγον facti exemplum non exstare videtur. Post *iram* semicolon ponit Hosius.

113 *Possint* Bentl., Burm., melius quam *possent*; quaerebatur in universum, non tantum de eo tempore.

118 Vere importunam exclamationem vocat Burmannus. Metellus non sibi custodit argentum, nec culpandus; aurum ad bellum necessarium *partem vilissimam rerum* dicere est ineptum hoc loco. Nihilo magis haec sunt curata quam quae imperfecta reliquit poeta (lib. IV–X).

119 „Discrimine nullo" accipio „sine ullius periculo". Minus apte Haskins: indiscriminately.

122 *Ductorem* Bentl.

124 *Sacro.* Post „nostrum" v. 123 *sacro* praeferendum; fortius est etiam „sanguine sacro sparsas" (conspersas) quam *nostro*, *s̄ro* et *n̄ro* confusa sunt.

125 Florus I. 45 (III. 11. Duk.): „tribunus plebi Metellus exeuntem ducem hostilibus diris devoverat" (nempe Crassum), errans in nomine et confundens quod Caesari et quod Crasso ante bellum Parthicum accidit. Cic. Divin. I. 29 augurem et censorem C. Ateium dicit, qui dirarum obnuntiatione M. Crassum retinere voluit. Sed tribunum tribunosve dicunt App. Civ. II. 18,

Invenit ista deos, Crassumque in bella secutae
Saeva tribuniciae moverunt proelia dirae.
Detege iam ferrum; neque enim tibi turba verenda est
Spectatrix scelerum: deserta stamus in urbe.
Non feret e sancto sceleratus praemia miles;
Sunt quos prosternas populi, quae maenia dones;
Pacis ad exhaustae spolium non cogit egestas,
Bellum Caesar habes". His magnam victor in iram
Vocibus accensus, „Vanam spem mortis honestae
Concipis, haud, inquit, iugulo se polluet isto
Nostra, Metelle, manus; dignum te Caesaris ira
Nullus honor faciet. Te vindice tuta relicta
Libertas! Non usque adeo permisceat imis
Longus summa dies, ut non, si voce Metelli

**127** tribunitiae MAVUG, durae T, **128** en*im tibi turba ve*renda est M, **130** e nostro vulgo O, **132** exustae UcT, **133** mana *ex:* in ara *ut vid.* U, **134** unam — conc. (135) l. Lact. ad Stat. Theb. III. 216, accessus $A_1$, *va*nam M, **135** concipitis Lact., pollu*e*t M, **137** est deest UC, *reliqui* relicta est, vulgo, **138** non — tolli (140) Prisc. 158. 33 H.

et Plut. Crass. 16, qui viatorem (*ὑπηρέτην*) commemorat, quem augur non habebat, et ritus quosdam in dirarum obnuntiatione ab Ateio adhibitos. Versu 126 *Ista*: cf. ad V. 351 i. q. mea. *Deos* nempe ultores.

127 *Noverunt* Bersm. et Grotius, *voverunt* post Oud. vulgo, *moverunt* Damsté cum Guyeto; *novere* Bentl., qui *novere piacula dirae* commendat. Idem *sera*; *laeva* Heins. ad Sil. V. 660; *scaeva* Scaliger. Ad *voverunt* conferunt VII. 359: „Decios—caput—voventes", VII. 658: „vovitque sui solatia casus" (loc. dub.), Stat. Theb. VI. 137 „quis hoc armis vovit scelus?" alia, quibus *vovere* figurate est: „promittere, sperare". Hoc loco de vera devotione agitur (cf. etiam Dio XXXIX. 39), in qua aliquis, non res aliqua devovetur. *Moverunt* et *noverunt* in deterioribus aliquot inventa facile e *uouerunt* nata. Expeditissima tamen sententia est in *moverunt*. Nec incredibile est, librarium iuxta *dirae* desiderasse *vovere*. Quod si tueris, multo maiore opus est mutatione. *Saeva* significatione nihil differt a *scaeva*, pro quo saepe ponitur. Ad *que* (*Crassumque*) cf. IV. 519 (*Nouit, uoluit, uouit* conf. VII. 658).

128 *Vereri* i. q. *αἰδεῖσθαι*, cf. Homericum *αἰδέομαι Τρῶας* in Hectoris deliberatione.

130 *Nostro* i. q. publico, aiunt, Caesar privatus est, sed tamen publica non sunt tribuni; vere Bentl.: *sancto*.

132 Ex U (*exustae*) Heins. *exutae* coni.; *arcis ad* Schrad.; *aedis ad augustae* Jev., melius quam Bentl.: „*hostis* ad *aerari*", „veram auctoris sententiam, si non et verba" eruens, ut ipse dicit; *bello* (133) Jev. *Pax* i. q. regio pacata, ut prox. versu *bellum* pro regione debellanda. *Exhaustae* mere poeticum ornamentum, nisi cum Hask. per prolepsin accipias. *Bellum* est opulentum, ut praeda onustum, *pax* suis vivens per se *exhausta*. Qui mutat, Lucanum corrigit. Cf. Stat. Theb. VII. 86, 87: „pax ipsa tumet" i. e. mare pacatum (Hask.).

133 *Ductor* Bentl. e deterioribus.

137 *Est* in fine versus omisi, multo gravius h. l. in exclamatione indignantis omittitur quam additur. Saepius additur a poeta eo loco versus, cf. 128, IV. 512, 804, II. 142, VI. 124, VII. 29, X. 267.

138 *Permiscuit* O et vulgo. In quo dubium est, quid sit *longus dies praeterlapsus*. Nec tempus postquam Caesar urbem reliquit, nec post susceptum bellum civile praeteritum *longus dies* commode dicitur; nec ad aetatem Metelli tribuni referri potest. Sic Lucanus me iudice scribere non potuit, quare Jevereni correctionem recepi.

139 Acerbe: melius est a Caesare vinci quam a Metello servari. *Serventur* vulgo: *servantur* melius convenit affectui loquentis.

Servantur leges, malint a Caesare tolli".
 Dixerat et nondum foribus cedente tribuno
Acrior ira subit; saevos circumspicit ensis,
Oblitus simulare togam, cum Cotta Metellum
Compulit audaci nimium desistere coepto.
„Libertas, inquit, populi, quem regna cohercent,
Libertate perit; cuius servaveris umbram,
Si, quidquid iubeare, velis. Tot rebus iniquis
Paruimus victi, venia est haec sola pudoris
Degenerisque metus, nil iam potuisse negari.
Ocius avertat diri mala semina belli!
Damna movent populos, si quos sua iura tuentur.
Non sibi sed domino gravis est, quae servit, egestas.
[Protinus abducto patuerunt templa Metello.]
Tunc rupes Tarpeia sonat, magnoque reclusas

**140** servantur Prisc. VR, serventur VG, **143** simulate $T_1$, tunc vulgo O, **145** cohercent VRA, qua a, **146** Hic vers. in infima pag. in M. additus est adscripto SR (= supra rescribatur); in textu inter 145 et 147 legitur DR (= describatur), **148** venia — pudoris l. Serv. D. Aen. IV. 72, VI. 298, pavoris Serv., timoris Serv. ad VI, **149** non iam M, **150** otius A, avertet UVG, (avertent u), avertant B, **152** serv*it* M, **153** postea add R.

141 „Dixerat *at*" Bentl.

143 „*Servire togae*" Jev.; at simulabat togam, i. q. pacem (inermem) se velle simulabat. Cotta Metelli in tribunatu collega (cf. Comm.) distinguendus a Cotta in Sardiniam m. Maio a Caesare misso (cf. ad 59), Metello *suadet*, ut a proposito desistat, ipse quoque Pompeianus, non *intercedit.* Cottae conciliatio a reliquis (Cic. Att. X. 4. 8. Caesare ipso I. 33 coll. 14. 1, Plut. Caes. 35, Dione XLI. 17. 2. Orosio VI. 15. 5) non memoratur. Eleganter et vere Bentl. v. 143 pro *tum* (*tunc*) substituit *cum*.

145 „Libertas populi oppressa, obnoxia est libertati eius, qui oppressit; cuius tamen retinebis imaginem, si libenter te subiicias imperanti." Schrevelius. Melius: quidquid libertatis populo superest, perit refragando (libertate oris, *παρρησίᾳ*), cf. Hask. Egregia sententia, Tacito digna.

148 I. q. haec sola est excusatio turpitudinis (turpis obsequii) quod coacti sumus („nil potuisse negari"). „Paruimus, victi venia — pudoris" distinguit Bentl., sed apte Romani victi dicuntur, ut intellegatur nihil eos *posse*, 149. — „*Non* iam" Hosius.

150 *Avertant* Grotius (= abeant in malam rem), Burm. (sc. Caesariani), *avertant divi* dubitanter Guyet. Gronovius Obss. p. 568, IV. 5 multis exemplis probat *avertere*, ut h. l., alibi saepius poni pro: „fraude, iniuria in suam rem convertere." Subiectum est *Caesar.* „Mala semina belli" (irritamenta malorum Ov. Met. I. 140) sunt aurum et argentum.

151 „Iacturam pecuniae curant populi, qui sui iuris sunt", unde contraria sententia huic loco apta innuitur: „qui serviunt eam non magnopere curant", i. q. tam gravis est nobis amissio libertatis, ut pecunia abrepta nihili esse debeat. Sententia est speciosa, praesenti tempori accommodata, non vera.

152 Cf. 58 supra: „nescit plebes ieiuna timere". Egeni fame ad seditionem compelluntur.

153 Versum superfluum et lenem nimis ante sequentia cancellis saepsi; ineptum verbum *abducto*, idque de tribuno.

154 *Tarpeia* pro *Capitolina.* Tarpeia pars Capitolini a Saturni templo aversa.
Ib. *Reclusas* Dio XLI. 17. 2 *τὴν βαλανάγραν διέκοψαν, τὴν γὰρ κλεῖν οἱ ὕπατοι εἶχον, ὥσπερ οὐκ ἐξὸν τισι πελέκεσιν ἀντ' αὐτῆς χρήσασθαι.* *Revolsas* Heins.; sed *stridor* tuetur *reclusas.*

Testatur stridore foris; tunc conditus imo
Eruitur templo multis non tactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi praeda Philippi,
Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit auro,
Quidquid parcorum mores servastis avorum,
Quod dites Asiae populi misere tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit super aequora Cypro.
Tunc orientis opes, captorumque ultima regum
Quae Pompeianis praelata est gaza triumphis
Egeritur; tristi spoliantur templa rapina
Pauperiorque fuit tunc primum Caesare Roma.
  Interea totum Magni fortuna per orbem
Secum casuras in proelia moverat urbes.
Proxima vicino vires dat Graecia bello.

**158** victa $M_1$, **159** pirrus U, pyrrus R, pirrhus V, quae g, **160** quo — auro l. Acro Hor. C. I. 12. 40, quod cB(MStht), aurum U (auro u), **164** quod c. l. l. [Max. Vict.] VI. 831. 6 *K, Ca*to* M, **165** victima regum R, regna a, **166** triumphys M, **167** et **168** omissi suo loco ad calcem pag. positi MA (in utroque ant. m. in M v. 40us et 41us), intra versus manu glossatoris U, 166 post 168 BE, corr. be, **167** egerit et U, ruina V₁.

156 *Non tactus* pro *intactus*, cf. ad V. 58. *Census* latiore significatione cf. sqq.

160 *Regni* Bern. et M sec. Steinh.; A, geminus Montepessulani, *regi*; E: *regi*; tacet mea coll. et Oudendorpii cui Boh.=M. *regni* Hosius recepit, incertum qua sententia; *regno* Oudend. falsa Acronis ad Hor. C. I. 12 lectione deceptus („regno sive regi" Oud. interpretatur). *Aurum* U (*auro* u). Haskinsius: „aurum recusatum a Fabricio manebat in possessione Pyrrhi et una cum reliqua praeda illatum est in aerarium post victoriam Manii Curii". Artificiose. Pyrrhus non erat dives, sed bellum trahebat impensa sociorum; aurum his postea devictis collatum in aerarium non a Pyrrho relictum poterat dici. Praeterea si per *Pyrrhus* et *regi* eadem persona significatur, uterque versus eodem pertinet, et *quo* corrumpit anaphoram per octo membra v. 157—164 continuatam, et mere relativam sententiam explicativam annectit misere languentem. Ad diversa pertinere debent hi versus 159, 160, aut posterior eximendus. Apte Galli dicerentur aurum *reliquisse* sibi appensum subito adventante Camillo, cf. Plut. Cam. 29. Verum puto pro Pyrrhus: Brennus. Sic per *quo* alio transitur. Fabricius pecuniam pro redimendis captivis debitam a Pyrrho recepit; ea Fabricius non prodidit patriam, sed auxit aerarium. Versus ex vulg. lectione non sine causa Burmanno suspectus, a Schradero probante Jeepio omissus. Lectio *regno* exstitit ex *regi no*; *regni* est falsa correctio τοῦ *regno*. Ad attractionem *auro* cf. VI. 683.

164 „Cato — vexit super aequora" Florus I. 43 (III. 9 Duk.) „Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum ostium invexit. quae res latius aerarium P. R. quam ullus triumphus implevit". post publicatum lege Clodia regem insulae Ptolemaeum. fratrem P. Auletae.

167, 168 omissi in AMU, adsunt in RV, aliis. In prioribus suppleti sunt in marg. aut inter versus m. 2 sed antiqua. Cum nihil habeant a Lucani genere alienum et structurae paene necessarii sint. casu eos omissos esse statuendum est et ex familia altera (V) suppletos, cf. Mnem. XVIII. 13. Sunt hi versus eximendi *manifesto spuriis* Mnem. XIX. 30. Soli sunt in I—III de quorum fide propter consensum mutilorum MSS. dubitatio est (nimirum omissis I. 436—440).

Phocaicas Amphisa manus scopulosaque Cirrha,
Parnasosque iugo misit desertus utroque.
Boeoti coiere duces, quos inpiger ambit
Fatidica Cephisos aqua, Cadmeaque Dirce,
Pisaeaeque manus, populisque per aequora mittens
Sicaniis Alpheos aquas. Tunc Maenala liquit
Arcas, et Herculeam miles Trachinius Oeten.
Thesproti Dryopesque ruunt, quercusque silentis
Chaonio veteres liquerunt vertice Selloe.
Exhausit totas quamvis delectus Athenas,
Exiguae Phoebea tenent navalia puppes,
Tresque petunt veram credi Salamina carinae.
Iam dilecta Iovi centenis venit in arma

**172** cirrha V, cyrrha rell. et vulgo, **173** parnasosque $M_1 A_1$, **174** quos inpiger — aqua (175) l. Lact. Theb. VII. 340, boeotii V, venere A (coiere a), **175** schephisos M, dyrce A, **176** populosque $M_1$, pisaeque T, **177** alpheos MVU, alpheus A, sicanis U, alpheis R, linquit $AUB_1$. **178** trachenius M, **179** diopesque (s. s. r) M, silentis (corr. in — tes) M, **180** selloe V. **181** dilectus MAURBC del. U, totus U, **182** puppis $M_1$, **183** *salamina* M, **184** tc̄ g.

172 Confundit *Phocidem* et *Phocaeam*, cf. ad V. 53. Pro vulg. *Cyrrha* dedi *Cirrha* auctoribus Graecis obsecutus.

175 Themidos oraculum ad Cephisum commemorat Ovid. Metam. I. 379 Schol. Voss., qui Tiresiae Orchomenium addit. De aqua eius in furorem agente nihil comperi. Per *Cephisum* et *Dircen* alterum septentrionalem, alteram prope Thebas sitam, Boeotia satis indicatur, sed in sequentibus poeta recta excidit regione viarum; Elea Pisa multum abest a Boeotia, Alpheus est in Elide; haec ne ab imperito quidem potuerunt ad Boeotiam referri; Arethusam subter mare ex Alpheo Eleo fluere poeta Romanus quivis ignorare non potuit. Ut nunc est, duriter ex v. 174 *coiere* praedicatum est supplendum. Itaque Alpheus coit? Non ferendum, quoniam ipse fluvius ob oculos ponitur, non populi propinqui (Schol.). Suspicor versus 174 *Boeoti* — et 175 *fatidica* — post 178 (— *Oeten*) esse ponendos, ubi transitum ad septentrionalem Graeciam faciunt, versu autem 176 pro MANUS substituendum NEMUS. „Parnasus iugo misit desertus utroque, Pisaeaeque nemus". *Pisaea* est quam Graeci *Πισᾶτιν* appellant. Loca sic sibi succedunt: Phocis 172, 173, Elis 176 sq. Arcadia 177, Locris 178, (Boeotia 174 sq., Epirus 179 sq., Athenae 181. His tria nobilissima oracula Delphi, Olympia, Dodone tanguntur. Loca poeticis figmentis nobilitata coacervare studuit poeta. *Veteres Selloe* fatidici mire interponuntur

181 Commentum: „Livius in primo libro belli civilis [l. CIX] ait: nam Athenienses de tanta maritima gloria vix duas naves effecerunt." *Delectus* et *dilectus* perpetuo confunduntur, hoc quoque loco; *delectus* omnino verum puto, alterum si probatur etiam *diligere* milites erit probandum; *deligit* et *diligit* dux milites, sed sententia diversa.

182 „*Piraea* — nav." Omnibonus et Gronovius Obs. p. 27 (I. 3), „*Piraea tamen* nav." Bentl. Versum 182 (*exiguae* —) ante 181 (*exhausit* —) collocat Gron. l. l. p. 29. Nihil mutandum puto, modo procul absit fabula de Teucro et „ambigua Salamine", quae nihil cum hoc loco commune habet. Athenae ita degeneraverant, ut victoria Salaminia vix fidem inveniret. Tres tamen naves veterem gloriam vindicant; postulant victoriam Salaminiam (*Salamis*) veram haberi (*credi*). Phoebea navalia Heinsius Advv. p. 258 de Rhodo interpretatur collato V. 50, alii de Munichia, Phoebea propter „Dianae Munichiae templum" (sic Comm.), alii de Apollonia in Epiro, alii de Actio intellegunt, cf. Strabo VII. 6. Aut Rhodus aut Actium (prolepsi historica) significatur.

183 Cur *vetant* pro *petunt* cum Burm. legamus, nulla causa est. Naves illae exiguae bonitate se commendare nec dedecori Athenis esse potuerunt.

Creta vetus populis, Gnososque agitare pharetras
Docta, nec Eois peior Cortina sagittis.
Tunc qui Dardaniam tenet Oricon, et vagus altis
Dispersus silvis Athaman, et nomine prisco
Enchelidae, versi testantes funera Cadmi,
Colchus et Hadriaca spumans Absyrtos in unda.
Penei qui rura colunt, quorumque labore
Thessalus Aemoniam vomer proscindit Iolcon —
Inde lacessitum primo mare, cum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato littore gentes,

**185** cnos*a*sque M (g s. s. m. 2) U (o m. s.), parethras A, **186** gort- AG, cort. rell. etiam g, -tyna VUMAR, -tina TG, cf. VI. 214, **187** quid hardaniam A, dardanicam u, **189** encheliae — Cadmi l. Lact. ad Stat. Theb. III. 290, enchelidae V, encheliae *rell. vulgo*, caesi g, **190** colchis et hadriacas — undas vulgo, absyrtus M, assirtos V, absyrtos AUG, apsistos U, absirtidos c, cholcis $U_1$, **192** proscidit M, **193** *sequebatur in A v.* 211 (Iliacae —) *alia manu deletus*, unde? C ad 192.

185 „*Potens* populis" Bentl. „*Aptare* pharetras" Bentl.; propius erat „ag. *pharetris*" sed cf. VII. 767.

186 *Eois* i. q. Parthicis.

187 Ab Heleno Troiano conditam sec. Comm.

188 *Athaman* scripsi cum Bentl., vulgo *Athamas*, falso a librario, cui heros *Athamas* in memoria haerebat, substitutum; Athamanes populus Epiri; cum forma cf. *Acarnan*, *Atintan* et alia ethnica.

189 Vulgo *Encheliae*. Cadmi (in ἔγχελυν anguem, pro ἔχιν, ἔχιδναν, conversi) et Harmoniae posteri; a Strabone Ἐγχέλειοι dicuntur VII. 326 C, ab aliis Ἐγχελεῖς, a Steph. Byz. Ἐγχελέαι, quae forma errore ab acc. vocabuli ἐγχελύς — λέας ficta. Nomen latine sonare debebat *Enchelei*, et *Encheliae* hoc uno loco et Mela III, 160 exstat. Scripsi cum V *Enchelidae*. — Pro *funera* Bentl. *sibila*, etiam Stat. Theb. I. 227, ubi *funera* est, temere mutans.

190 Plin. III. 151: „(insulae) Absyrtides Graiis dictae a fratre Medeae ibi interfecto Absyrto; sunt in mari Ionio" cf. Pape i. v. Ἀψυρτίς. Codices: „Colchis et Hadriacas spumans Absyrtos in undas". *Colchis* alii de regione ad pontum Euxinum, alii de Colchinio (Plin. III. 144 „Olcinium, quod antea Colchinium dictum est a Colchis conditum"); neutrum probandum. Grotius cum Micyllo adiectivum fem. putat, scribitque *Absyrtis*, probat Bentl., dubitans tamen an versus spurius sit. Fluvium esse aliquem Absyrtum nemo dixit veterum nisi Vibius Sequester ex hoc loco, vid. Reland. ad Vib. p. 83 Oberlin. Cogitandum igitur de insula, quod si est verum, „*Hadriaca* — in *unda*" legendum; spumat *in undas* fluvius, qui incurrit in mare, *in unda* insula, ad quam mare cautibus repulsum spumas agit. Ante *spumans* littera *s* iterata est, inde *undam* vocabulo *Hadriacas* accommodantes *undas* fecerunt. Insula „venit in arma" (ut *Creta* supra, 184 et alibi pro incolis), h. l., ut vere Bentleius, inter *Enchelidae* et *qui rura colunt* v. 191 ferri non potest. Minus durum si nomen personae *Absyrtus* cum codd. legitur, quare „*Colchus* (= Colchius) Absyrtus" scripsi. „*Absyrtus* spumat in unda" pro: „insula de eius nomine dicta" κακόζηλον dicere licet, modo ne propterea neget quis a Lucano potuisse proficisci. Cf. VI. 365.

191 *Et*, quod ante Grotium huic versui praeponebatur, deest in omnibus MSS. et *Pheneon* Heins. ad Ovid. Met. XV. 332 („est lacus Arcadiae, Pheneon dixere priores" cf. Stat. Theb. IV. 291) et post dubitanter Adv. p. 257. Duram synaloephen non licet obtrudere Lucano, contra usum poetarum, qui praeter Verg. Georg. IV. 355, semper recte vocabulum trisyllabum fecere (Graecum est Πηνειός) cf. ipse Lucanus VI. 372, 377. Cum copula abesse debeat, restat ut credamus poetam excidisse constructione incohata et post parenthesin 193—197 praedicatum („ruunt in bellum" vel sim.) omisisse, aut excidisse versum ante 191, quod probabilius; eo enim offensio asyndeti tollitur.

192 *Aesoniam* Heins. quia *Haemoniam* sit superfluum.

194 *Ignotas* non visas antea in freto Pagasaeo. Heroes erant e diversis locis collecti, inde *miscuit*, sine causa *imbuit*

Primaque cum ventis pelagique furentibus undis
Conposuit mortale genus, fatisque per illam
Accessit mors una ratem. Tunc linquitur Haemus
Thracius, et populum Pholoe mentita biformem.
Deseritur Strymon tepido committere Nilo
Bistonias consuetus aves, et barbara Cone,
Sarmaticas ubi perdit aquas, sparsamque profundo
Multifidi Peucen unum caput adluit Istri,
Mysiaque, et gelido tellus perfusa Cayco
Idalis, et nimium glebis exilis Arisbe.
Quique colunt Pitanen, et quae tua munera Pallas
Lugent damnatae Phoebo victore Celaenae,
Qua celer et rectis descendens Marsya ripis
Errantem Maeandron adit, mixtusque refertur.
Passaque ab auriferis tellus exire metallis

**198** pholoen $M_1$, **199** bello ub, **200** coni $M_1$, conae U, **201** *ubi per*dit M, linquit G (perdit g), **202** abluit T, allinit G (alluit g), **203** moesiaque MAUGT, misia g ($1^a$ m) V, **204** arisba M, arispe U, **205** pitanan c, **206** damnatae — Celaenae l. Lact. Theb. IV. 186, Cilaenae $M_1$, **207** qua — adit (208) l. Prisc. 202 14 H; et rectis — adit (208) l. Lact. Theb. IV. 136, mars.*i.a* M, marsia A, marsea a, **209** auferis R.

Jev. et *ignaras* id. — *Gurgite* Bersmannus et Schrad., cf. Val. Flacc. I. 801 „indignatos temerato littore reges". Id. I. 627: „teme, rare rudentibus undas". *Temerare* i. q. violare; littus, vacuum antea et tacitum, impletur armis et quasi mari praeripitur. *Argo* = expeditio Arg. Ceterum cf. VI. 800.

196 *Conposuit* tanquam par gladiatorum cf. V. 469.

197 I. q. novum genus mortis accessit superioribus. Jev.: „mors *uda*". Non vidi magis! cf. Stat. Theb. 1. 109 „et populis mors una venit.

199 „Tepido" sqq. Bentleius: *trepidis* committere *bello Pygmaeis assuetus* aves". Nihil plane desidero, et miror Bentleium. Strymon solet committere grues cum tepidis Nili accolis; nempe Strymon mittit aves, quae pugnam ineunt cum Nilo (Nili accolis). *Committere* = componere ad pugnam. Res ex Homero nota de gruibus *ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φερούσαις*. Fluvius, ut locus quivis, poetis dicitur facere ipse quae fiunt in eo.

202 *Caput* est h. l. ostium, cf. ad II. 51. Significatur unus locus 200—202, ubi Cone influit in Istrum et Peuce insula est: Cone non amplius suas (Sarmaticas) aquas habet, sed fundit in Istrum; reliqua *sparsamque* e. q. s. sic expedienda: „et (ubi) caput unum multifidi Istri adluit Peucen, sparsam profundo", in quo *sparsam* i. q. aspersam, *profundo* i. q. aqua maris. Multo minus toleranda alia explicatio, qua ante *perdit* subiectum est „unum caput Istri". *Sparsamque profundo* tamen corruptum, nam molesta est interpretatio supra proposita, et altera, qua *sparsa profundo* sit „dispersa in mari" non Latina est. Desidero sententiam „properansque profundo" (= in profundum); unum ostium festinat in mare ei proximum.

203 *Moesiaque* exstitit ex *mesiaque*, quod habet T, idque ex primitivo *misiaque*, quod a prima manu unus V. *Moesia* h. l. alienum in plerisque. Omnia in proximis ex Asia Minore.

204 *Idalis* ignota, et substituissem *Aeolis* (Ortelius), nisi plura satisfacerent: *Lydias*, *Daedalis*, *Attalis*, cf. Burm.

205 De certamine inter Apollinem et Minervam agitur, in quo cum Phoebus Celaenarum iudicio vicisset, Pallas succensens munus aliquod (oleas, Schol.) civibus praeripuit. Sic Schol. Voss. et Comm. rem, puto, ex ipso poeta divinantes. Marsyae fabula cum Pallade nihil commune habet.

208 *Refertur* quasi repetens vestigia cum Maeandro, qui itque reditque vias, et „venturas adspicit undas", Ovid. Metam. VIII. 164.

209 Pactolum e specu prodire significat.

Pactolon, qua culta secat non vilior Hermus.
Iliacae quoque signa manus perituraque castra
Ominibus petiere suis, nec fabula Troiae
Continuit, Phrygiique ferens se Caesar Iuli.
Accedunt Syriae populi: desertus Orontes,
Et felix (scit fama) Ninos, ventosa Damascos,
Gazaque, et arbusto palmarum dives Idume.
Et Tyros instabilis, pretiosaque murice Sidon.
Has ad bella rates non flexo limite ponti,
Certior haud ullis duxit cynosura carinis.
Phoenices primi, famae si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere byblos
Noverat et saxis tantum volucresque feraeque
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.
Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos,
Coryciumque patens exesis rupibus antrum,
Mallos, et extremae resonant navalibus Aegae.

**210** l. Acronis cod. γ Hauthal epod. 15. 20, pactalon M, **211** *delevit A* (*cf.* 194), *antea per signa a et b hunc versum post* 212 *posuerat, post* 193 BE, **214** accedunt s. p. l. Lact. Theb. VIII. 366, **215** ventura Damascus l. Probus IV. 20. 24 K, ninus a, minos M (ninos m), ventura Prob., **216** et — idume l. Serv. Georg. III. 12, idyme MR, ydume U, **220** et **221** l. Isidorus I. 3. 5., magnis *pro* famae Z. ap. Is., magni, *deteriores* Is., ausis Z, ausi *det.* Is., **221** l. C. ad v. 715, vocem rudibus Is., **222** byblos (per y) AMR, **224** scultaque T, maicas T, **226** coriciumque MARV, antro $M_1$, **227** sonant R, eiae g.

215 Vulgo „*sic* fama". Recepta debetur Heinsio Adv. p. 259. „Sic fama" de re dubia, „scit fama" de re inclita dicitur. Cf. Stat. Theb. II. 108 „iamque ille novis (scit fama) superbit | conubiis", et alia ap. Heins. Bentleius proponit: „et felix sic fama *nimis, prunosa* Damascus", quia Ninus iam deleta erat, et Damascus non ventosa; talia corrigere est laterem lavare.

217 *Instabilis* „terrae motu (cf. Sen. Q. N. VI, I. 13) aut quoniam Dido inde navigavit". Comm. Fortasse propter Novam Tyrum.

218 „Non flexo limite ponti" i. q. non flexuoso itinere ponti, sed recta. Ii qui navigant secundum indicia maris, puta promuntoria et alia, oculis procul in mari oblata, non sequuntur brevissimam viam. Fortasse *fluxo* et cf. VI, 15.

219 Nullis populis certior est cynosura i. e. nullus populus magis confidit ea. Phoenices in navigando cursum secundum cynosuram, ursam minorem, cuius cauda proxime ad polum borealem accedit, dirigunt, Graeci minus recte ad ursam maiorem s. Helicen, quae, paulo a polo remotior, maiorem motum habet et incertius indicium praebet. Res saepe notata Arato 36, sqq., Germanico in Arateis 47 „Sidoniamque ratem numquam spectata fefellit", Manil. 301 „Poenis haec certior auctor | non apparentem pelago quaerentibus orbem" (*non apparentem* i. q. absconditum) Ovid. Fast. III. 107, infra ad VIII. 175. Ante *certior* omissum *sed.* Sine causa igitur Grotius: „*gratior* haud ullis".

220 „*Magis* si creditur" voluit Z qui ap. Isid. *magnis* dedit.

224 „Magicas linguas", dicta sacerdotum.

225 *Persea* longe repetitum epitheton: Perseus interfecit Medusam; Medusae sanguine prosiluit Pegasus, Pegasus Tarsi in terram decidit. Ammianus XIV. 8. 3: „hanc (Tarsum) condidisse Perseus memoratur", fortasse coniciens ex epitheto. Idem Schol. Voss.

Itque Cilix iussa, iam non pirata, carina.
Movit et Eoos bellorum fama recessus,
Qua colitur Ganges, toto qui solus in orbe
Ostia nascenti contraria solvere Phoebo
Audet, et adversum fluctus inpellit in Eurum;
Hic, ubi Pellaeus post Tethyos aequora ductor
Constitit, et magno vinci se fassus ab orbe est,
Quaque ferens rapidum diverso gurgite fontem
Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hydaspen,
Quique bibunt tenera dulcis ab arundine succos,
Et qui tingentes croceo medicamine crinem
Fluxa coloratis adstringunt carbasa gemmis,
Quique suas struxere pyras, vivique calentis

**228** idque AB, iusta vulgo, iuxta c, **229** extremos G (eoos g), **230** orbae M., **231** hostia A, **232** attollit Rg., **233** te thyos, *supra* te: ger M m. 2, tethios U, **234** s. e M. se vinci V, passus G (fassus g), est om. U. **235** diviso VUMg diverso G, pontem m, pontum VU (fontem u), **236** l. Isidorus XIII. 21. 12, ydaspem R, **237** duces $M_1$, **239** codoratis $M_1$, coronatis R.

228 *Iussa* cum Heinsio Adv. p. 261 scripsi pro vulg. in O: *iusta*, quod interpretantur: non praedante. At „iusta carina" significare debet aut potest certe (eoque ambiguum esset): plene structa. Magis intellegerem e. g. de Salaminia, sed quis probaret, hanc aut Paralum iustum navigium dici, et tamen magis ferendum esset. *Iussa* est quae patitur imperium alienum, quod non facit pirata. *Iam non* ut saepe i. q. non amplius, cf. Hor. C. I. 4. 3, IV. 12. 3, Hand ad Turs. III. 130.

231 „Nascenti Phoebo" Bentleius, ut Lucanum aliquatenus defendat contra Scaligerum, interpretatur de „*regione* orientis"; quasi Ganges solus extremae Asiae oppositus dicatur. Scaliger de plaga coeli orientali recte acceperat, Eurus hic non inter Orientem et Meridiem (ZO), sed orientalis ventus est, cf. Gellius II, 22. 11.

233 „Post Tethyos aequora i. q. ut tetigit mare, cf. ad VI. 145.

233, sq. Hos versus spurios putat Guyetus quia in „aliis" sit „et magno se fassus ab aequore vinci est". Nimis praefidenter, tamen scabra est oratio, nam post *hic* verbum aliquod sequi debebat. Puto legendum: „*constiterat* magno". De plq. perf. post *ubi* cf. Kuehner II. p. 900. 5. Melius esset *victor* ante *vinci se,* et confunduntur *ductor* et *victor* saepius. Post 234 oratio abrupta resumitur; reliqua usque ad 241 (*rogos*) cohaerent cum: „movit fama recessus" v. 229, in quibus offendit *qui* 237 e correctione restitutum, ut *bibunt* haberet subiectum expressum, (quo opus non est) pro *qua*. Secuta sunt 238 *et qui* et 240 *quique*, pro quibus verum puto *et qua*, *quaque*.

235 Vulgo *diviso*. Bentl. „quaque *petens rubrum* diviso gurgite *pontum*". Cortius: *qua feriens* — *pontum*". De fluvio sermonem esse apparet ex epitheto *rapidum*. *Diverso* ex G (s. s. *diviso*) recepi. *Diverso* = remoto; significatur ipse Hydaspes. *Fontem* i. q. aquam.

237 „Indicam intellegit harundinem ex qua hodie fit saccharum, quod olim non fiebat, sed aqua duntaxat exprimebatur ad potum". (Salmasius Exercc. Plin.) „Arriano μέλι τὸ καλάμινον τὸ λεγόμενον σάκχαρι", cf Schrevelius et Triller ap. Cort. ad h. l., Usener ad Comm. Plin. XII. 32 „saccharum — mel ex harundinibus collectum". Saccharum non pulvis siccus, ut nobis, sed spissus liquor, quasi mel. Cf. etiam Marquardt Privatalt. p. 448.

238 Tingere Cathaeos Indos crinem et vestes Strabo XV. 30 med. narrat, et uxores in rogo cum viris comburi, de quo Ciceronis locus in Tusc. notus. Q. Curtius VIII 9. 32 „apud hos (sapientes Indiae) occupare fati diem pulcrum, et vivos se cremari iubent quibus aut segnis aetas est aut incommoda valetudo"; cf. ib. § 21 et 24. De fibulis gemmeis 239 alibi non inveni.

Conscendere rogos. Pro! quanta est gloria genti,
Iniecisse manum fatis, vitaque repletos
Quod superest donasse deis! Venere feroces
Cappadoces, duri populus non cultor Amani,
Armeniusque tenens volventem saxa Niphaten.
Aethera tangentis silvas liquere Cohatrae.
Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem,
Umbras mirati nemorum non ire sinistras.
Tunc furor extremos movit Romanus Orestas,
Carmanosque truces, quorum iam flexus in austrum
Aether non totam, mergi tamen adspicit Arcton;
Lucet et exigua velox ibi nocte Bootes;
Aethiopumque solum, quod non premeretur ab ulla

**241** focos Rg, **242** inge*ntisque* $U_1$, **243** diis VT, **244** amanni MAVUgR, **245** saxa tenentem (s. s. nifatem) V, **246** cohatrae MABU, coatrae VRT, coarae c, **247** ignotum — sinistras (248) l. Hyginus grom. I. p. 188. 10 Lachm., invisum Hyg., **249** extrem*o*s MG, romanos $M_1$, horestas T, **250** iam flexus AVUMGRT, **252** velox — Bootes l. Isidorus de nat. rer. XXVI. 5, lucet in U, **253—255** l. Servius Aen. VI. 795.

241 „Quanta" medium vocabulum; quam exigua laus donare diis, quod tibi nimium est. *Repletos* enim i. q. satiatos.

244 *Nunc* ante Grotium; libri omnes *non*: Amanus culturam non patitur. *Nunc* defendit Haskins: „since Pompeius' conquest; they now cultivate the soil instead of being pirates". Sed iam Pharsalicis temporibus omiserant piraticam. Mire Jeveren.: „duri populus *nunc ultor* Hamani" legens interpretatur de Iudaeis *etiam tunc* quotannis Hamanum caedentibus ad Mordechai ultionem.

246 *Coastrae* ante Grot. qui *Coatrae* dedit; sic vulgo, *Choatrae* Bersmanni tres et Colb. vetus. Graecum vocabulum non exstat, nec est ap. Plin. VI, ut Grotius dicit, certe § 19 hodie *Cetae*.

248 *Sinistras*. Sinistrorsum a mane ad vesperum paulatim moventur umbrae ei, qui infra tropicum meridionalem collocatus est, contra nobis, qui supra tropicum sept. sumus, cf. IX. 538, sq. *Non* per *numquam* interpretabatur non male Grotius, cf. Palmerius p. 917 Oudend., Plin. VI. 87 rem turbat.

249 *Oretas* Grotius, *'Ωρείτας* Strabonis (cf. Arriani Anab. VI. 21, Indic. 22. 10, 25. 2), significari ratus, non motus laesa quantitate. Eosdem Plinius II. 184, „Oretum mons" designare potest; alii quoque, Oudendorpio laudati, quantum apparet, primam producunt. Itaque restitui cum Hosio traditam lectionem. *Olostres* lectionem commemorat ex uno Grotius.

250 *Duces* vulgo, *truces* correxit Bentl. de feritate Carmanorum conferens Strabonem XV. 727 C 1013 Mein. Non *duces* soli ibant. *Devexus* ex uno Bersm. Grotius (= declives), *deflexus* Aldina, Weise. *Iam* usurpatur in enumeratione, ubi terminus aliquis cito tactus esse significatur; *iam* perventum ad hemisphaerium australe. Bentl. assensum non inveniet: „quorum *it* deflexus".

251 „Videt Arcton non totam quidem. sed tamen aliquatenus mergi". Qui magis meridiem versus habitant, nusquam Ursam vident, quemadmodum meridianus polus nos latet. „Exigua nocte" i. q. parte noctis. „Aether adspicit" i. q. ii qui sub aethere, coelo illo habitant. Bentleius v. 252 (*lucet* —) spurium existimat propter *ibi* male ad *duces* relatum.

253 Bentleius Lucanum correxit v. 255: „*truncati* procederet ungula *capri*". Credidit Lucanus Aethiopiam tam austrum versus sitam esse ut nullum sidus Zodiaci ei immineret, nisi Taurus crure uno extra Zodiacum promineret; itaque Lucanus putavit esse Taurum signum australe, cum contra sit boreale. Sine causa hunc errorem sustulit Bentleius. Taurus in zodiaco prolapsus prominente crure uno designatur, in quo extremo una stella est, quae iam a poeta fingitur supra Aethiopiam esse,

Signiferi regione poli, nisi poplite lapso
Ultima curvati procederet ungula Tauri;
Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis et incertum, tellus si misceat amnis,
Quod potius sit nomen aquis. Sed sparsus in agros
Fertilis Euphrates Phariae vice fungitur undae,
At Tigrim subito tellus absorbet hiatu,
Occultosque tegit cursus, rursusque renatum
Fonte novo flumen pelagi non abnegat undas.
Inter Caesareas acies diversaque signa
Pugnaces dubium Parthi tenuere favorem,
Contenti fecisse duos. Tinxere sagittas
Errantes Scythiae populi, quos gurgite Bactros
Includit gelido vastisque Hyrcania silvis.
Hinc Lacedaemonii, moto gens aspera freno,
Heniochi, saevisque adfinis Sarmata Moschis,
Colchorum qua rura secat ditissima Phasis,
Qua Croeso fatalis Halys, qua vertice lapsus

**254** lapsa $U_1$. *post hunc versum iterabatur* 244, *nunc erasus* AB, **258** inc. est VGT, **259** par. sus A, **260** fertiles $M_1$, fingitur $U_1$, **262** cursus M, renatus m, **263** undas $M_1$, undis rell, **266** cont. f. d. l. Schol. Voss. ad VIII. 360, contentus Schol., deos corr. in: duos, s. s. populos, M. **269** et moto T, lacedemonia c, populos M, **270** haenioci M, mochis T, **272** qua vertice $M_1$.

i. e. Aethiopiam *premere*. Cf. omnino delineatio in Grotii Arateis ad p. 24b. „Non prem. — poli" i. q. non iaceret sub ulla parte eclipticae. *Polus* pro circulo, *regio* pro directione, nec austro nec borea, rell. Ceterum pendent 253–255 a *movit* 249.

256 *Quaque* i. q. et eos (movit 249) qui habitant, qua —. Non curanda vitia geographica: simplicissima interpretatio verborum *non diversis* est, eisdem. V. 259 *sed* sqq. opposita sunt verbo *misceat*, non coniunguntur sed utrumque flumen suis partibus fungitur, Euphrates vice Nili. — Ceterum *si misceat* est in perpetuum a fontibus inde; non hinc sequitur, Lucanum Pasitigrin ignorasse, ut putat Burmannus.

261. De Tigri idem Nero Imp. Schol. Voss. ad h. l., Baehrens, fragmenta poet. Lat. p. 363.

263 Vulgo *undis*, ut subiectum ad *abnegat* sit *tellus* v. 261. *Undas* $M_1$ (correxit 1a m. aut coaeva), non A, nec ex mea coll. g. Recepi: flumen non recusat maris consortium. In vulg. *flumen* abundat.

265 *Ancipites* pro *pugnaces* Bentl. quoniam Parthi tunc non pugnabant!

266 „Fecisse duos" caeso Crasso ex triumviris fecisse duumviros. Satis inepte. Cf. I. 106 „bellum victis civile dedistis". Nihil iuvat Jeverenus: *suos* et A. Schaefer, (diss. Monast. a. 1886) p. 17, sq.: „*servasse* duos", i. q. observasse duos. Poetae lusus est Ovidio dignus, satis tamen certus e loco laudato. — *Unxere* Heins. ad Sil. IX. 13. Contra Bentl. confert „spicula tincta venenis" Ov. Pont. IV. 10. 31, Trist. III. 10. 64.

267 *Bactros* fluvius, Curtius, VII. 4. 31, Strabo XI. 11. 2 (p. 516 C.), Vib. Sequ. (Geogr. Min. ed. Riese) p. 147: „Bactros Scythiae fines Hyrcanos alluit".

269 *Lacedaemonios* ex Iasonis expeditione, ducibus aurigis Castoris et Pollucis, Heniochorum regionem incoluisse fama ferebat, Strab. XI. 2. 12 (p. 496. C). — „*Docto* freno" Bentl.

270 *Moschis* Plin. VI. 13 „(Phasis) oritur in Moschis".

271 *Laetissima* Heins. in marg.

Rhipaeo Tanais diversi nomina mundi
Inposuit ripis, Asiaeque et terminus idem
Europae, mediae dirimens confinia terrae,
Nunc hunc, nunc illum, qua flectitur, ampliat orbem.
Quaque fretum torrens Maeotidos egerit undas,
Oceanumque negat solas admittere Gades 279
Pontus, et Herculeis aufertur gloria metis; 278
Hinc Essedoniae gentes, auroque ligatas
Substringens, Arimaspe, comas, hinc fortis Arius,
Longaque Sarmatici solvens ieiunia belli
Massagetes quo fugit equo, volucresque Geloni.
Non, cum Memnoniis deducens agmina regnis

**273** riphaeo MAVUGR, ritheo T, **276** huc (*ex* hunc) M, huc UAEG vulgo, hunc Vg. illum, VMg illuc UAEG, **277** quaque — maeot. l. [Prob.] IV. 228.22 K, maeotidas ABCE, **279** negant O vulgo, negat G, **280** hinc *et* sidoniae M, esidoniae AB, et sidoniae VUERCG, **281** l. Prisc. 72.26 H, subs*tr*ingens M, hic $M_1$, animasphe (s. s. r) R, armaspe T, **282, 283** T in marg. a 1 m., **282** sarma*tici* M, sermatici T, **283** massagete G (-tes g), **284** meoniis T.

273 *Riphaeo* (*ripheo*) O et vulgo, aspiratione, ut saepe, in secundam syllabam proiecta, ut apud Graecos tenuis et aspirata locum mutant ut *Καλχηδών* et *Χαλκηδών*, al.; Graecum vocabulum est *Ῥιπαῖα ὄρη* unde „*Rhipaei* montes" et aspiratione male mutata *Riphaei*, id quod Hosius dedit (*Riphaeo*).

Ib. *Diversi*, rell. alteri ripae Europae nomen, alteri Asiae dedit, itaque *mundi* i. q. partium mundi. Quoties nomina imponebat, toties diversi mundi nomen eligebat. Ita quodammodo singularis excusatur.

275 „*Medio* dirimens confinia *tractu*" Bentl., non intellegens, quid sit *terra media*. *Medius* coni. Hosius, recte opinor, quamvis non necesse. Saepe per hypallagen media dicuntur quae rem quampiam mediam includunt. Horatius C. III. 27. 27 „mediasque fraudes | palluit audax". Val. Fl. VII. 103, „medios inter deserta parentes". Infr. VI. 313 „exire (?) e mediis potuit Pharsalia fastis".

276. „Nunc Asiam nunc Europam ampliat, prout flectitur in contrariam partem". Quod si rectum, (ut *orbis* sit terrae, non fluminis) absurda est lectio vulgo recepta *huc illuc*, quasi orbis terrarum sic augeri posset.

278, 279 Versus transposuit Postgate, Mnemsoyne N. S. XIV p. 439 et Usener; V. 277 *Maeotidas* Heins., Oudend., Bentl.; *undae* (*Maeotidos*) Gronovio adscribitur; utraque lectio inventa, quod *Maeotidos* genetivus quo referretur dubium esset; sed caesura iam satis docet ad *undas* pertinere. *Negant* Heinsius Advv. p. 276, Burmannus, Hosius.—Bentl.: „*et vetus* Herculeis aufertur gl. m. | *oceanusque* negat solas *se* admittere Gades". In vulgari versuum ordine minus recte: pontus egerere dicitur *fretum*, *undas*, inepta appositione, et insolenter fretum ipsum egeri, quae offensio non tollitur lectione „fretum Maeotidos *undae*". In recepta supra lectione *fretum* apparet subiectum, *undas* obiectum esse, Bosporus Cimmerius emittit undas Maeotidis in Pontum Euxinum, quas accipit ex Oceano Boreali. Porro iungendum „oceanumque negat — Pontus". Oceanus Atlanticus per columnas Herculis influit in mare Medium.

280 *Et Sidoniae* libri praeter A et Bern. (*esidoniae*); in M *et* in rasura. Vulgatam restituit Heins. ad Val. Fl. VI. 95 e fragm. S. Germanensi *Issidoniae* praebente, cf. Sylloge Epist. III p. 459. „Essedones gentes. Pulmanni duo; cf. Val. Fl. VI. 750. Veram lectionem invenit postea Bentl. in „Colbert. vetere et Regio" diverso a nostro Regio qui *et sidoniae* habet.

281 Ad apostrophen cf. I. 30, III. 161. *Distringens* Heins.

282 „Solvens ieiunia" cf. Ov. Metam. V. 535, Fast. IV. 607.

283 „Quo fugit equo" sanguine caesi equi, qui eum avexit. Caesura non quinaria feminina, sed septenaria post *equo*, ubi distinguendum.

Cyrus, et effusis numerato milite telis
Descendit Xerxes, fraternique ultor amoris
Aequora cum tantis percussit classibus, unum
Tot reges habuere ducem. Coiere nec umquam
Tam variae cultu gentes, tam dissona volgi
Ora. Tot inmensae comites missura ruinae
Excivit populos et dignas funere Magni
Exequias Fortuna dedit. Non corniger Ammon
Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas,
Quidquid ab occiduis Libye patet arida Mauris
Usque Paraetonias Eoa ad littora Syrtes.
Acciperet felix ne non simul omnia Caesar,
Vincendum pariter Pharsalia praestitit orbem.
  Ille ubi deseruit trepidantis maenia Romae,
Agmine nubiferam rapto superevolat Alpem
Cumque alii famae populi terrore paverent,
Phocais in dubiis ausa est servare iuventus
Non Graia levitate fidem, signataque iura,
Et causas, non fata, sequi. Tamen ante furorem
Indomitum duramque viri deflectere mentem

**286** descendit M, perses vulgo, persis M persis A, xerses T, **288** coire A, **290** mersura a mixtura u, **291** excivit pop. l. CGl. V. 196, popul*os et* M, sed $AB_1$ (et a), **293** barbaricas RG, (marmaricas rg), marmaridas *var. lect.* C, **295** faretonias C, **296** semel MAVUg, simul GH, **299** l. Prisc. 328. 18 H, super evolat M, Alpen C, **303** [fata] M (add. m 2).

285 „Effusis numerato milite telis". Nemo tradidit nec intellexit, nisi Schol. Berol.: „non potuerunt numerari, sed quisque centenarius misit sagittam". Quod a nullo auctore vetere traditum e coniectura profectum puto, aeque ac Scholion Voss., quod vide apud Oudend. Conieci: „effusis *umbrato lumine* telis". Jeverenum video proponere: *umbrato sidere*, quo coniectura mea firmatur ex parte: NUMERATO et UMBRATO admodum similia, cum praesertim B et U centies confundantur. De sole obscurato telis Persarum omnia nota.

286 Tres duces memorantur Cyrus, Xerxes, Agamemnon. Pro *Xerxes* vulgo *Perses*; cum saepius *Xerses* in codd. sit et Cyrus aeque Perses ac X., correxi *Xerxes* cum Grotio; locus, ne vel sic quidem nimis perspicuus, in vulgata lectione admodum obscurus. Cf. ad II. 672. *Xerses* h. l. Taurinensis. In vulg. lector non potest non verba de una expeditione accipere, et ita Bentleius scribens contra historiam: „*Cyrus — descendit Perses* de eodem dictum". Cyri expeditio in Croesum significatur. *Memnoniis* i. q. orientalibus.

290 *Mer* i. e. mersura A m. 2 in marg., quod propter dativum nunc (cf. Mnem. XIX. 26) improbo. Minus displicet *mixtura* in u ex *mistura* i. e. admixtura cladi Pompeii (*inmensae ruinae*); sed post *comites* non minus aptum *missura*, in eo enim latet iam admixtionis notio. *Ruinae* est dativus; ut „mittere aliquem comitem Magno" sic: immensae illi ruinae Pompeii (= Pompeio ruenti).

296 *Semel vincere* est ita vincere ut altera victoria non requiratur pro imperfecta prima; *simul* vincuntur hostes divisi ab initio, qui solent requirere plures pugnas. Alterum h. l. requiritur. *Simul* h. l. G. et Heinsianus tantum, sed perpetuo confunduntur *simul* et *semel*, cf. index Weberi, si tanti. Saepe *semel* esse i. q. nos: *eens voor al* notum. Clara exempla II. 147. VIII. 707, VI. 824. Heins. in collatione sui manuscripti addidit „lego: ne non simul". *Ne non* = ut, cavit fortuna ut simul omnia acciperet.

Pacifico sermone parant, hostemque propinquum
Orant Cecropiae praelata fronde Minervae:
„Semper in externis populo communia vestro
Massiliam bellis testatur fata tulisse,
Conprensa est Latiis quaecunque annalibus aetas.
Et nunc, ignoto si quos petis orbe triumphos,
Accipe devotas externa in proelia dextras.
At si funestas acies, si dira paratis
Proelia discordes, lacrimas civilibus armis
Secretumque damus. Tractentur volnera nulla
Sacra manu. Si coelicolis furor arma dedisset,
Aut si terrigenae temptarent astra Gigantes,
Non tamen auderet pietas humana vel armis
Vel votis prodesse Iovi; sortisque deorum
Ignarum mortale genus, per fulmina tantum
Sciret adhuc caelo solum regnare tonantem.
Adde quod innumerae concurrunt undique gentes,
Nec sic horret iners scelerum contagia mundus,
Ut gladiis egeant civilia bella coactis;
Sit mens ista quidem cunctis, ut vestra recusent
Fata, nec haec alius committat proelia miles,
Cui non conspecto languebit dextra parente,
Telaque diversi prohibebunt spargere fratres?

**305** pacifero UGRB, pacifico VAM, **309** conpressa C, **310** quo H, **312** a*t* M, **319** per fulmina – tonantem (320) l. Acro C. III. 5. 1, *ful*mina M, flumina c, **320** sonantem AB, **322** inhers A, **323** gladiis. egeant M, egeant gladiis T, **325** commitat *et* commititis (328) M, comitetur V, **326** dex*tra* parent*i* M, **327** proibebant $U_1$.

305 *Pacifero* minus aptum, quoniam nondum bellum exarserat cum Massilia. In memoria haerebat librariis e 300 „nubiferum".

313 *Latebras* pro *lacrimas* Guyetus, cogitans de perfugio victis parato. Claud. de 4° Hon. cons. 271 „(monebo) cunctis tua gentibus esse | facta palam nec posse dari regalibus usquam | secretum vitiis."

314 „Secretumque damus" malumus de his tacere, ut parum honorificis.

Ib. „Nulla manu" iungendum. Abstineat manus mortalis a rebus deorum i. e. Romanorum. Haec fere requiritur sententia. Sed nudum *manus* non potest significare „humana manus", nisi dii non habeant manus. *Nulla* interpolatum videtur; coniicio: „tractentur volnera *diva* sacra manu". Dei sua volnera curent. DIUA et NULLA non valde diversa confusis LL et U.

320 „Coeli solio" Bentleius. *Solum*, non alium, cui fulmen non proprium sit.

324 *Sit* non est concessivus (*si sit*), ut Bentleio videtur, cum quo non recte conveniret apodosis, post concessivum enim „si recusent gentes" sequi debebat: tamen vos soli satis valetis. Contra memorato auxilio exterarum gentium pergit: utinam, quod vix credibile (*quidem*), scelerum societatem recusent, vel sic tamen satis erit miseriae, quod filii patribus oppositi erunt.

327 Omissum *conspecti* e sup. versu supplendum.

Finis adest rerum, si non committitis illis
Arma, quibus fas est. Nobis haec summa precandi:
Terribilis aquilas infestaque signa relinquas
Urbe procul, nostrisque velis te credere muris,
Excludique sinas, admisso Caesare, bellum.
Sit locus exceptus sceleri, Magnoque tibique
Tutus, ut, invictae fatum si consulat urbi,
Foedera si placeant, sit, quo veniatis inermes,
Vel, cum tanta vocent discrimina Martis Iberi,
Quid rapidum deflectis iter? Non pondera rerum,
Nec momenta sumus; numquam felicibus armis
Usa manus patriae primis e sedibus exul,
Et post translatas exustae Phocidos arces
Moenibus exiguis alieno in littore tuti,
Inlustrat quos sola fides. Si claudere muros
Obsidione paras et vi perfringere portas,
Excepisse faces tectis et tela parati,
Undarum raptos aversis fontibus haustus
Quaerere et effossam sitientes lambere terram,
Et, desit si larga Ceres, tunc horrida cerni

**329** haec nobis $TG_1$, **331** *que velis* M, **333** exeptus c, **334** est inv. T, sic R, **335** faedera U, sic R, **337** non – sumus l. Serv. A. X. 528, quod T, **338** non momenta $A_1$, **339** us.a M, e sedibus U, a sedibus rell. vulgo, **340** phocidus U, **345** haus*tus* M, austis $T_1$, frontibus U, **347** ceres *expunxit et* coma *s. s.* b, cernes V, cernis a.

328 „Finis adest orbis et imperii, si non arma datis iis, quibus fas est gerere" (i. e. civibus, sed exteris) Grotius, cui Bentl. assentitur: „id est his, qui putant sibi licere bellum gerere civile, sine quibus necessario bellum civile interibit." Hoc est, quod Galli: et le combat cessa faute de combattants. Premitur non una difficultate haec explicatio: secundum eam nonnullis *fas* est bellum *civile* gerere, porro sententia est intricata, qua nihil nisi axioma quod aiunt continetur: sine civibus non est bellum civile.

333 *Exemptus*, Heins. Advv. p. 82. Nihil opus; cf. Sen. de Const. Sap. 9. 4 „dum sapiens iniuriae excipitur". Ambiguitas aeque in *exemptus* est. Sententia clara, i. q. „praereptus."

334 *Invitae*, Heins., Bentl., quod invictam dicere urbem discordia distractam non oporteat. Legato supplicanti Roma semper invicta est.

336 „*Vel*, cum" i. q. vel nunc (foedera non probans) debes nobis abstinere.

339 „Exul *a* primis sedibus" i. q. inde a primis sedibus semper errantes (nusquam patriam invenientes), „*e* sedibus exul" i. q. pulsus e sede. Haec lectio praestat, si (ut oportet) *e sedibus* cum *exul* iungitur, sin cum *numquam* cohaereret, *a* esset praeferendum.

340 Cf. ad V. 53. *Exhaustae* coni. Burman„ *infaustae* Jever., *aras* id. Non ab erroribus huius generis liber Lucanus; in dubiis abstinendum. *Arces* sc. novos muros; novam Phocaeam aedificaverant.

346 *Quaerere* sc. effossa terra; *quaerere* arcte sequentibus adhaeret.

347 *Stat*, *desit* coni. Burm.; *iuvat horrida cerni* Withof; (pendet „carpere" a „parati"), „tunc horrida cerni, foedaque *vel fingi*, maculato attingere morsu" Bentl.; „si *forte* Ceres" id.; *larga* est epitheton ornans veluti

Foedaque contingi maculato carpere morsu.
Nec pavet hic populus pro libertate subire
Obsessum Poeno gessit quod Marte Saguntum.
Pectoribus rapti matrum, frustraque trahentes
Ubera sicca fame medios mittentur in ignis,
Uxor et a caro poscet sibi fata marito,
Volnera miscebunt fratres, bellumque coacti
Hoc potius civile gerent". Sic Graia iuventus
Finierat, cum turbato iam prodita voltu
Ira ducis tandem testata est voce dolorem.
„Vana movet Graios nostri fiducia cursus.
Quamvis Hesperium mundi properemus ad axem,
Massiliam delere vacat. Gaudete cohortes:
Obvia praebentur fatorum munere bella.
Ventus ut amittit vires, nisi robore densae
Occurrunt silvae, spatio diffusus inani,
Utque perit magnus nullis obstantibus ignis,
Sic hostis mihi deesse nocet, damnumque putamus
Armorum, nisi qui vinci potuere rebellant.
Sed si solus eam, dimissis degener armis,
Tunc mihi tecta patent? Iam non excludere tantum,
Inclusisse volunt. At enim contagia belli

**348** maculato attingere UABEc, *attingere* M, maculato corpora VRG (in ras), **350** l. Schol. vet. Iuven. XV. 93, gessit quae nec arce schol. Iuv., quo $M_1$G (quod mg), **352** l. Probus IV. 226, 4 K, ignes M, mittantur A, **354** miscebant U (correxit rec. m), **355** fata G (graia g), **357** testatur Heinsianus, **359** in axem $AB_1$ (ad a), **360** mass. d. v. l. Servius D. A. IV. 132 et VI. 60, choortes M, **362** amitit U, denso MB, robora VG, **363** occurrant $AB_1$Eu *dif*usus MA, **365** *dee*se M, **366** rebellant M (re a m 2) AUGR, rebellent Vu, vincti R, **367** [si] U (add. m. rec.).

*βιόδωρος*. „*Sunt* horrida cerni — *corpora*" Dorvillius. *Carpere* emend. Grotius, inventum postea in uno Rott. Burmanni, tribus Cortii ignotis. *Attingere* in Paulinis q. d. debilius est et post *contingi* inopiam verborum probat, non propriam Lucano, qui in diversis versibus, non eisdem, idem vocabulum repetit. De metro cf. Trampe p. 16. *Attingere* Hos.

349 *Paveat populus* Heins.

350 *Quod passum est* Heins. Sed factum (res gesta) est, quo respicit: mortem sibi intulit civitas. Eo refutatur quoque Bentl., probans *quae*.

355 *Hic* Heins.; bellum hoc civile est mutua caedes intra moenia.

362 „Robore densae" probat Bentl. conferens Silium III. 442 „iamque per et colles et densos abiete lucos". „Robora densae" Grot., Oud., sed huic magis placet „robore denso", quod non miror. Eodem redit „denso robore silvae" et „densae robore", sed huius potior est auctoritas. *Robora* autem molestum est sive substantivum regens habetur, sive appositum et exstitit eo quod „densae silvae" genitivum rati sunt.

366 *Nostrorum* pro *armorum* coniecit Bentleius. *Armorum* est genitivus obiectivus, arma i. e. bellum nobis praeripi putamus (cum lucro et gloria). *Nisi* pro *si non* positum.

Dira fugant: dabitis poenas pro pace petita,
Et nihil esse meo discetis tutius aevo,
Quam duce me bellum". Sic postquam fatus, ad urbem
Haud trepidam convertit iter, cum moenia clausa
Conspicit, et densa iuvenum vallata corona.
Haud procul a muris tumulus surgentis in altum
Telluris parvom diffuso vertice campum
Explicat; haec patiens longo munimine cingi
Visa duci rupes tutisque aptissima castris.
Proxima pars urbis celsam consurgit in arcem,
Par tumulo, mediisque sedent convallibus arva.
Tunc res inmenso placuit statura labore,
Aggere diversos vasto committere colles.
Sed prius ut totam, qua terra cingitur, urbem
Clauderet, a summis perduxit ad aequora castris
Longum Caesar opus, fontesque et pabula campi
Amplexus fossa, densas tollentia pinnas
Cespitibus crudaque extruxit brachia terra.
Iam satis hoc Graiae memorandum contigit urbi,
Aeternumque decus, quod non inpulsa neque ipso

**371** tucius M, **373**, **374** A in inf. pag., **373** hau*d* M, tunc vulgo, tum AV, **374** om. $B_1$, **375** aut C, muro C, **376** parvo diffusum Rg, **378** rupis $M_1$, **379** *conscendit* MAB, (consurgit m), **380** *par tumulo* M, **381** *tunc res* M, **382** diverso. M, diversos AB, diverso $EUV_1$g. vastos $EUV_1$gcB, **383** orbem $U_1$, **384** produxit g, **387** exstrux bra*chiate*rra M, **388** gratiae C, **389** nec MAG, neque MRVU, in ipso U.

373 Alacritas narrationis violatur vulgato *tunc*, eodem tempore accessus erat et conspectus; *tunc* languet. Igitur Bentleianum *cum*, natum e *tum*, recepi.

374 „*Circuit* et densa" Heins.

375 *Crescentis* Bentl., quod *consurgit* sequitur versu 379. *Patulum* pro *parvum* v. 376 idem, putans hoc pugnare cum *diffuso vertice*, sed id significat summum tumulum non fuisse acutum sed planitiem quandam effecisse; *patulus* non est aptum epitheton verticis sed camporum.

377 Tumulus ita situs erat, ut undique plena loca haberet, quae una cum tumulo munimine cingi possent. Jeverenus: „*hinc* patiens", rell. Bentleius distinguit et legit: „haec, patiens — cingi, visa duci rupes tutis aptissima castris", omisso *que*. At „haec rupes" = tumulus.

379 „Urbi" Heins., minus bene; inter tumulum castrorum et alterum moenibus inclusum s. arcem *mediae* erant convalles v. 380. *Concrescit* coni. Hosius coll. IV. 10 et Avieno, Descr. Orb. 485, ubi de montibus dicitur *concrescere, excrescere*. Me *consurgit* non offendit.

382, sqq. A castris utroque usque ad mare aggeres, *brachia*, duxit, includens praeter urbem pascua, quae intrinsecus fossa a moenibus separabat. *Colles* si essent supra descripta *cumulus* et *rupes* 375, 378, recipiendum esset *hinc* 377, sed possunt plures et alii significari. Nam ex Caesare Civ. II. 1, qui de collibus vicinis non agit, nihil sciri potest. De arce v. 379 cf. ib.: „pars ea, quae ad arcem pertinet, loci natura et valle altissima munita". *Committere* est coniungere. Curtius III. 1. 13 „nisi tenue discrimen obsisteret (vulgo: obiceret), quae nunc dividit maria (terra), committeret". Caes. B. G. VII. 22. — Brachia *tollunt* pinnas i. q. ostendunt, erigunt.

Strata metu, tenuit flagrantis in omnia belli
Praecipitem cursum, raptisque a Caesare cunctis
Vincitur una mora. Quantum est, quod fata tenentur,
Quodque virum toti properans inponere mundo
Hos perdit Fortuna dies! Tunc omnia late
Procumbunt nemora, et spoliantur robore silvae,
Ut, cum terra levis mediam virgultaque molem
Suspendat, structa laterum conpage ligata
Artet humum, pressus ne cedat turribus agger.
Lucus erat longo numquam violatus ab aevo,
Obscurum cingens conexis aera ramis,
Et gelidas alte submotis solibus umbras.
Hunc non ruricolae Panes, nemorumque potentes
Silvani Nymphaeque tenent, sed barbara ritu
Sacra deum, structae diris feralibus arae;
Omnisque humanis lustrata cruoribus arbor
[Si qua fidem meruit superos mirata vetustas]
Illis et volucres metuunt insistere ramis,
Et lustris recubare ferae, nec ventus in illas

**390** strato M (corr. m. 2), *fraglantis* M, **397** suspendant vulgo O, ligatam vulgo O, **398** *humum* M, **400** *ramus* V, **404** diris altaribus vulgo O.

390 *Stagnantis* Heinsius.

392, 393 *Quo* utroque versu coni. Burm. *Quantum* non est: „quam exiguum" (Burm.); magnum erat properanti fortunae moram inicere. „Vincitur una" sc. Massilia.

397 Ut *artet* v. 398 subiectum haberet, dedi *suspendat* nempe *terra*, pro *suspendant*. *Terra* remotius, sed gravius subiectum, cui adhaeret *virgultaque*. *Humus* est fluxa materia, quod optime caret epitheto, unde *ligata* praeferendum, sic quoque melius haec *terra* et *artet* per *ligata* cohaerent. Bentl.: „ligatam | arctet humum pressus, *nec* cedat turribus agger" paulo obscurius. *Suspendere*, fulcire, et est verbum fere technicum: „suspenso furculis ab hostibus muro" Liv. XXXVIII. 7. 9. „Tellus ligneis columnis suspenditur" Plin. NH. XXXIII. 68, unde „pendent anabathra tigillo" apud Iuvenalem 7. 46. *Levis* terra opposita *compactae* videtur (nos: slap, los).

400 „Obscurum *efficiens*" Bentl, non intellegens „lucus cingens obscurum aera". Poetica est ratio loquendi pro: „habens ramos cingentes (circumdantes)", ut dicatur aliquid facere id quod in eo fit: „cingens tempora lauro" i. q. cincta habens; loca vacua circumdabant opacae arbores, lucem paene excludentes. *Aerem* loca videtur dixisse sub dio ubi aer conspicitur. *Umbras* (401) loca umbrosa similiter a *cingens* suspensum; ea erant gelida, cum soles (radii solis) altitudine arborum longe submoti essent. Lux erat dubia, umbrae gelidae.

404 „Sacris feralibus" Grotius secundum Bersmannum qui „m. scr. sacris feralibus" annotat; reliqui omnes „diris altaribus" cf. VI. 432. Discrimen inter *altare* et *ara* tam saepe neglegitur, ut putidum sit ea distinguere; *struere* aras habet certum et definitum usum, nec pro *instruere* usurpatur, nec *structus* pro *instructus*, ubi de ara sermo est. Haskins: „basements with—altars built upon them"; hoc est ac siquis dicat: structa terra aedificiis. Non dubitavi recipere *feralibus*; „diris fer." est dativus neutr.

406 „Sique" coni. Peerlkamp ad Aen. v. II. p. 293 et Bentl., rara iunctura. Mihi versus suspectus. Quid enim admiratio deorum huc facit? Quid *vetustas* cum re praesenti tunc et Lucanum uno saeculo antecedenti?

407 *Insidere* Burm.

Incubuit silvas, excussaque nubibus atris
Fulgora; non ullis frondem perflantibus auris
Arboribus suus horror inest. Tunc plurima nigris
Fontibus unda cadit, simulacraque maesta deorum
Arte carent, caesisque extant informia truncis.
Ipse situs putrique facit iam robore pallor
Adtonitos; non volgatis sacrata figuris
Numina sic metuunt: tantum terroribus addit,
Quos timeant non nosse deos. Iam fama ferebat
Saepe cavas motu terrae mugire cavernas,
Et procumbentis iterum consurgere taxos,
Et non ardentis fulgere incendia silvae,
Roboraque amplexos circumfluxisse dracones.
Non illum cultu populi propiore frequentant,

**409** excusaque A, **410** aures $A_1$, fulgora R, **411** arboribus — inest l. Serv. A. I. 165 **412** frondibus m, **413** trunceis M, *versus m. ant. adscriptus,* U, **415** *attotos* s. s. ni (2 m.) M, **417** timeant... non M, **421** draconis $AB_1$, circumflexisse G, circumfluxisse g, fulsisse T, **422** populi cultu VU.

410 Vulgo *praebentibus. Fronde* Cortius, sc. horrorem, dubio metro et dura structura, sed recte intellegens, quid loco deesset. Arbores sponte moventur, sine vento. *Horror* lenis motus est foliorum sive tremulus motus; is vento solet excitari, sed in luco Massiliensi nascitur sine auris s. ventis. Conieci *perflantibus.* Bentleius, ut postea vidi, *quatientibus.* Haskins explicat: „horror suus inest arboribus praebentibus frondem non ullis auris", ut tam *auris*, quam *arboribus* dativus sit; itaque *praebentibus* et *auris* iuxta collocata dativi sint sed non iungendi, quod durum. Ausus sum *perflantibus* recipere quod *per* et *prae* lineae unius positu tantum differunt: p p̄, eoque confusio facilis. Minus probabilia puto: *rapientibus, agitantibus, laedentibus* alia apud Oud. et Burm.

414 *Situs* sordes, neglectus, tantopere diversus a vulgari cultu et nitore. *Paedor* pro *pallor* Bentl. sine causa; quae colorem amiserunt et mucida sunt *pallida* dicuntur, ut h. l. stipites illi putres, ξόανα; propter neglectum signorum iram divinam metuunt.

415 *Attonitos* non accolas, ut Weisius dicit, sed obiectum est generale. Deinde iunge: non sic metuunt numina sacrata vulgari figura.

417 *Timeas* prius Cortius; *videant* Jeverenus. Sine causa. Sententia confirmat superiorem: tantopere metus augetur, si timentur ignota. *Iam* = porro.

419 Commentum: „utrumque miraculum est: et procumbunt sponte et surgunt". *Consurgere* pro *regerminare* vix recte Weisius.

420 Cf. Seneca Thyest. 673, sqq. inter portenta: „quin tota solet | micare silva flamma et excelsae | ardent sine igne".

421 *Circumfluxisse* ut defendat Cortius affert VI. 408: „(Python) Cirrhaeaque fluxit in antra", quod dicitur de undante serpentis motu, id quod hoc loco non usu venit, nam serpens arborem circumdat, motusque ille est helicis, non fluctuum. Claud. II (non III) Stil. 366 „malum circumflua vestit pampinus", quocum comparandum *repere* de plantis dictum. Minus huc facit (Haskins) Stat. Theb. VI. 540 „chlamys circumflua limbo Maeonio", quod aptum est lanae flexibili, cuius plicae tam mobiles sunt quam undulae, ut cum dicitur „pedes vestis *defluxit* ad imos". Aequabilem serpentis motum *allapsus* quoque continet; *circumlabor* non de serpente extat. Nec Graece ἀμφιχυθείς de serpente, sed de somno et clangore, qui undique ad aures allabitur. Valde suspicor Lucanum dedisse *circumlusisse.*

422 I. q. non prope lucum habitant. Distinguendum post *deis*, non post *tenet*: „incolae (semper) cessere deis, sacerdos ipse, cum Phoebus, rell. Nempe ne deum meridiantem aut nocturno sopore excitet, cf. Theocr. I. 15.

Sed cessere deis. Medio cum Phoebus in axe est
Aut caelum nox atra tenet, pavet ipse sacerdos
Accessus, dominumque timet deprendere luci.
  Hanc iubet inmisso silvam procumbere ferro;
Nam vicina operi belloque intacta priore
Inter nudatos stabat densissima montes.
Sed fortes tremuere manus, motique verenda
Maiestate loci, si robora sacra ferirent,
In sua credebant redituras membra securis.
Inplicitas magno Caesar torpore cohortis
Ut vidit, primus raptam librare bipennem
Ausus et aeriam ferro proscindere quercum
Effatur merso violata in robora ferro:
„Iam ne quis vestrum dubitet subvertere silvam,
Credite me fecisse nefas. Tunc paruit omnis
Imperiis non sublato secura pavore
Turba, sed expensa superorum et Caesaris ira.
Procumbunt orni, nodosa inpellitur ilex,
Silvaque Dodonis et fluctibus aptior alnus
Et non plebeios luctus testata cupressus
Tunc primum posuere comas, et fronde carentes

**423** medio – luci (425) l. Serv. Georg. IV. 400, medio – axe et: sacerdos – deprendere l. Schol. Bern. Georg. IV. 401 (teste Hosio), **424** tenet tunc ipse Serv., **425** accessum Serv., **427** prior*i* M, priori ABE, **428** montis A, **430** robor*a sa*cra M, **431** securis M (corr. in – r*es*), **432** l. Prisc. 473. 5 H, terrore AUG, torpore Prisc. g cum rell., choortes M (ut saepe), **433** vibrare a, bibennem $UM_1$, **434** aeream M (e ex corr.) c, **435** et fatur GB, misso T, **439** suspensa glossa in U, **441** dodonis maG, dodone$^{s}$ (*e* corr. in. i) U. dodones rell. et vulgo, **442** l. Lact ad Stat. Theb. IV, 460, plebeos Lact.

429 *Renuere* Heins., „sed *sontes tenuere* manus" i. e. cohibuere, Bentl., cui non assentior, *fortes* non ad virtutem sed ad robur h. l. pertinere contendenti: quae manus non tremebant in proelio, nunc deficiunt dum arbores caedunt.

432 *Magico* pro *magno* non male aliquando Burm. – *Terrore* defendit Burm., *torpore* Bentl. conferens V. 434 „alto torpore *ligata*", Burm. „*implicitas* terrore" dici posse negabat.

433 *Vibrare* M sec. Steinh., de quo dubito propter Oudendorpii contrarium testimonium, propter ABE, et meam collationem. Quod addit *b ex p* ex confusione proximi *bipennem p ex b* (vid. supra) fortasse natum. Utique praestat *librare*, i. e. rem ponderosam movere, *vibrare* est movere ut emittas manu; prius de gravi pondere bipennis aptum h. l. Sil. It. V. 293 „fronti librare securim".

434 Bentl.: „aeriam *properans prosternere* quercum", negans *proscindere* pro *evertere* esse latinum, sed h. l. *proscindere* significat *laedere, violare*. *Aereus* (per *e*) etiam I. 689 M.

441 *Dodonis* Cortius coll. „Dodonida quercum", Val. Fl. 1. 302. Sine dubio recte; „*Dodones* silva" pro *Dodonaea* ab usu cultioris linguae abhorret, ut nemo nescit. De ultima producta vid. ad I. 642. Silva *qualis* Dodonae est, non potest dici *Dodones silva*.

Admisere diem, propulsaque robore denso
Sustinuit se silva cadens. Gemuere videntes
Gallorum populi, muris sed clausa iuventus
Exultat. Quis enim laesos inpune putaret
Esse deos? Servat multos fortuna nocentis,
Et tantum miseris irasci numina possunt.
Utque satis caesi nemoris, quaesita per agros
Plaustra ferunt, curvoque soli cessantis aratro
Agricolae raptis damnum flevere iuvencis.
 Dux tamen, inpatiens haesuri ad moenia Martis,
Versus ad Hispanas acies extremaque mundi
Iussit bella geri. Stellatis axibus agger
Erigitur, geminasque aequantis moenia turris
Accipit; hae nullo fixerunt robore terram,

**447** puta*ret* U, **450** iamque satis G, **451** p*lau*stra M, *ces*santis M. **452** *fleve*re M, annum vulgo, O, **455** stellatis — accipit (457) l. [Servius] A. IX. 527, **456** aequates M (*n* s. s.), aequantis VUG, turris G, turres *rell.*

444 „*Verbere* denso" Heins., sed „robore denso" iungendum cum seqq.: silva non procidit sed cadens arbor stante alia sustenta est, ut post procellam in silva videre licet.

448 *Magnos* f. nocentes Markl. ad Stat. Silv. III. 3. 68. Prox. versu Heins. adscripsit „*noscunt* vel *poscunt*". Non opus; vacat diis tantum nocentibus succensere, si pauperes (*miseri*) sunt dum potentes, ut Caesar, vindictae eximuntur. Ad *miseris* int. *nocentibus* e sup. versu. Ceterum Jeverenus: „servat *melior* f.".

450 *Sat est* Bentl., quo non opus, cf. Heitland ap. Haskins p. CVIII a. Omittitur post *ubi,* IX. 109, 500, post *ut* potuisse omitti etiam sine exemplo credendum.

452 *Annum* vulgo, cf. supra ad v. 70. Locus corruptus; iungunt: „agricolae fleverunt annum soli cessantis aratro", quod eleganter vertit Haskins, ut solet (and the husbandmen wept for the years produce of the soil, now resting from the curved plough), qua eleganter vulnus fere tegitur, non sanatur. Minus est quod: „flere messem" (annum) dicitur pro „fl. iacturam messis" et quod „annum flere" turpiter ambiguum est, maius et non ferendum quod *annum soli* iungitur. Optime se habet: „agricolae raptis *damnum* flevere iuvencis". Quale damnum? „soli cessantis (ab) aratro". Qui *annum* invexit non cogitavit de reconditiore significatu, quem *annus* habet (*annona*). MN et NN conf. IIII. 284 et al.

454 „Arces" Heins. ut alia in proxx., ludens, in marg. cod.

455 Cf. Sil. It. XIII. 109 „hic latera intextus stellatis axibus agger (surgebat)". „Axes *stellati*" esse videntur pali directi ferreis capitibus muniti; cuspides splendentes nomini *axis* ansam potuere dare cf. 386. Caesar, ut ipse narrat, valde incendium metuebat. Civ. II. 9. Quamquam vocabulum *stellatus* apud Caesarem non invenitur, sed *asseres*, qui saepe memorantur, ab *axibus* non valde diversi. Vocabula sunt cognata. Deminutivum est *axulus*, apud Catullum prisce *acsulus*, de quo docte Baehrens ad Catull. 17. 3. *Assis* etiam tabula lignea est legibus scribendis, Gr. ἄξων, Gell. II. 12. Paul. Ep. Festi, p. 3. „Stellatis cancellatis" Comm.

456 *Aequantia* maluit Heins. teste Burm. Ceterum haec facta a Trebonio, Caesare in Hispaniam profecto. Obscure Luc. 455.

457 „*Fixerunt robore terram* placuit tanquam singulare aliquid Lucano" inquit Burm. „ut figere corpus, pectus, viscera etc." Sane singulare, nam hae res sunt quae transfigi possunt. Robore = stipitibus roboreis. Malim *flixere* i. e. afflixere. *Strinxerunt* Schrad.

Sed per iter longum causa repsere latenti.
Cum tantum nutaret onus, telluris inanis
Concussisse sinus quaerentem erumpere ventum
Credidit, et muros mirata est stare iuventus.
Illinc tela cadunt excelsas urbis in arces.
Sed maior Graio Romana in corpora ferro
Vis inerat. Neque enim solis excussa lacertis
Lancea, sed tenso ballistae turbine rapta,
Haud unum contenta latus transire quiescit,
Sed pandens perque arma viam perque ossa, relicta
Morte fugit, superest telo post volnera cursus.
At saxum quotiens ingenti verberis actu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit inpulsu ventorum adiuta vetustas,
Frangit cuncta ruens, nec tantum corpora prensa
Exanimat, totos cum sanguine dissipat artus.
Ut tamen hostilis densa testudine muros

**458** l. Prisc. 531, 23 H., **459** inan*e*s $M_1$AVU inanis s. s. e G, **460** quaerentem — credidit Servius Georg. II. 479, A. III. 73, Lactant. Ach. I. 206. Myth. Vat. II. 17, **462** *u*rbis M, v. 462 in marg. G, **464** nec $M_1$, **465** balistae MVAG ballistae $U_1$, **469** l. Phocas V. 428. 24 K, ad saxum Phoc. CA, quatiens G, actu MAVR, ictu U Phocas, **471** l. Anecd. Helv. 295. 23 (Hos.), abstulit uvg, **472** sternit mavT, pressa vulgo O, **473** totus U.

458 „Rotam machinariam dicit." Comm. ad 455, nempe sub machina latentem. Melius dixisset „phalangas" (rollen), quibus naves subductae in littore moventur; Caesar Civ. II. 10: „hoc opus omne (musculum et turrim latericiam) machinatione navali phalangis subiectis ad turrim hostium admovent," ubi sine causa Paul ed. 1889 verba *mach. nav.* inducit.

459 Terrae motum oriri e vento ex cavernis subterraneis erumpere studenti credidit vetustas, Sen. Nat. Q Q. VI. 25. 1, Serv. ad Georg. l. l.

465 Ballistae et catapultae habent *turbinem* i. e. trochleam (spil), qua versa nervus una cum telo reducitur, *tenditur*, cf. in delineatione ap. Marquardt. Kriegsalt. p. 504 pars machinae indicata litteris *ef*; H. Schiller Kriegsalt. p. 740.

469 Glossa in V „ordo: ad (leg. at) saxum frangit cuncta ruens" (472). *Ponderis ictu* Grotius ex uno Bersmanni. Infra 490 „aries suspenso fortior ictu", ubi Heins. coni. *actu*, vere. Sil. I. 491 „pronoque silex (devolutus in pugna) ruit incitus ictu", ubi Heins. *actu*, recte, nempe = dum adigitur, cf. Verg. infra laud. „fertur in abruptum magno mons inprobus *actu*" (procella) cum Servio A. VI. 360, deteriores *ictu*. Infra IX. 472 „(arena) pilaque contorsit violento spiritus actu". (Sen. Ag. 432 dub. propter var. l. *tactu* supra II. 77). Vides *actum* poni pro impetu. et librarios passim *ictus* substituisse. Magnum momentum habet Verg. locus. Ubi *actionis* notio requiritur, ut infra 490, *actus* necessarium, idque praeterea pro vi et impetu ponitur, ubi saepe *ictus* ferri potest. *Verber* per metonymiam pro causa verberis, ut vulnus pro telo.

470 „Qualis rupes" caret verbo; ante *frangit* subiectum est *saxum*. Similiter I. 185, et *qualiter* I. 152, 513, 574. — Manifesta Vergilii imitatio A XII 684 „ac veluti montis saxum de vertice praeceps | cum ruit avolsum vento, seu turbidus imber | proluit aut annis solvit sublapsa vetustas; | fertur in abruptum magno mons improbus actu, — | sic urbis ruit ad muros".

472 *Prensa* pro *pressa* Bentl. Recte. Non agitur de saxo, quod homines suffocet tectos, sed de missili, cf. Sil. XV. 632. Idem Heins.

Tecta subit virtus, armisque innexa priores
Arma ferunt, galeamque extentus protegit umbo,
Quae prius ex longo nocuerunt missa recessu,
Iam post terga cadunt, nec Graiis flectere iactum
Aut facilis labor est longinqua ad tela paratis
Tormentis mutare modum, sed pondere solo
Contenti, nudis evolvunt saxa lacertis.
Dum fuit armorum series, ut grandine tecta
Innocua percussa sonant, sic omnia tela
Respuit, at postquam virtus incerta virorum
Perpetuam rupit defesso milite cratem,
Singula continuis cesserunt ictibus arma.
Tunc adoperta levi procedit vinea terra,
Sub cuius pluteis et texta fronde latentes
Moliri nunc ima parant et vertere ferro

**475** innexa MuA, innixa UVR, prioris U (ex — *res*), **476** extensus A (ex — *sos* factum) G, extentus g *cum rell.*, **478** p..rga $U_1$, grais AVUR, **479** haud facilis $A_1$VG, aut g rell., paratis $RgB_1$, parati vulg. rell., **480** tormenti vulg. O, **484** at — arma (487) l. Serv. A. IX. 515, incessa s. s. *n* M (*forma n ambigua*); incerta AUGCB incensa aVugb, **485** gra. tem, T **487** adoerta $V_1$, **488** fronde mVTbE, fronte tUAMBe, tecta v, **489** evertere T.

475 „Innixa prioris" Grotius, *innixa priores* Oud., Burm., *innexa priores* Weis. Hoc verum puto, nempe *armis* sunt Massiliensium, *arma* Romanorum, id apparet ex vocabulo *priores* = ubi primi oppugnatores cum hostibus manus conseruerunt (*ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρεισεν*). In Grotiana lect. (*prioris* nos: voorman) singularis offendit, in Oud. *innixa* male se habet, nam in testudine *omnes*, non tantum priores nituntur scutis. Praeterea dicendum erat *appropinquasse* muris (cf. apodosis). Bentl. „innexa *prioris* (sc. seriei, ut dicit) arma *haerent*."

477, sqq. Caesar l. l. 16 „(hostes) cum paene inaedificata [in] muris ab exercitu nostro moenia viderentur ac telum manu coniceretur (cf. 481), suorumque tormentorum usum, a quibus ipsi magna speravissent, spatii propinquitate interire", rell. cf. Drakenb. ad Sil. IX. 821 „amisere ictus". Ante Grotium erat *recussu*. V. 478 Bentl. „*nam* Gr. fl. i. *haud* fac. lab. *et* long."

482 Heins. antea *ruit*, *subit* Adv. p. 386 e cod. quodam Hamb., quia *fuit* frigidiusculum sit. Ad pluralem *tormentis* (ex mea corr.) cf. Caes. II. 1 „multitudo tormentorum in oppido".

484 *Incerta* cum Heinsio Adv. p. 387 Burm., *incensa* Cortius, alii, *accisa* Guyetus. *Incerta* defendit Heins. adhibito VII. 129 „sua pectora pulsant | ictibus incertis", Sen. Ag. 777 „vulnus incertum", aliis, in quibus *incertus*, oppositum *stabili*, est *vacillans, non destinatus*. Qui *incensa* probant, intellegunt *virorum* de Massiliensibus; sed et his et Romanis virtus iam antea erat accensa; *virorum* pertinet ad Romanos, quorum virtus per temporis momentum deficiebat; sic demum *at* recte dictum. Ceterum in M sitne *n* an *r* supra scriptum dubium; in cod. primitivo illa ambigua correctio iam fuisse videtur, cf. A.

487 *Levi* cf. supra 896 et Caesar II. 10, qui lateres impositos musculo dicit (ut h. l. terra), utrumque manifesto ut incendii periculum averteretur. *Texta fronde* (488) Guyet et Bentl. i. e. ramis contextis, quibus terra sustentaretur cf. 508 „viridi robore," vulgo *tecta fronte*, sed tota vinea erat tecta. Probabilius est *texta* et *fronde* in *tecta* et *fronte* transiisse quam contra, et saepius permutantur, ut h. l. Erlangensis 1 m. ab AMB recedit.

489 *Ferro*, falcibus, simm., Bentl. sine causa *fundo*. Ad 490 cf. supra ad 469. *Actu* Heinsii est, i. q. penduli ponderis motione, qua validior est aries. Distinctionem post *parant* sustuli.

Maenia, nunc aries suspenso fortior actu
Incussus densi compagem solvere muri
Temptat et inpositis fundum subducere saxis.
Sed super et flammis et magnae fragmine molis
Et sudibus crebris et adusti roboris ictu
Percussae cedunt crates, frustraque labore
Exhausto fessus repetit tentoria miles.
  Summa fuit Graiis, starent ut maenia, voti.
Ultro acies inferre parant, armisque coruscas
Nocturni texere faces audaxque iuventus
Erupit; non hasta viris, non letifer arcus,
Telum flamma fuit, rapiensque incendia ventus
Per Romana tulit celeri munimina cursu.
Nec quamvis viridi luctetur robore, lentas
Ignis agit vires, taeda sed raptus ab omni
Consequitur nigri spatiosa volumina fumi,
Nec solum silvas, sed saxa ingentia solvit,
Et crudae putri fluxerunt pulvere cautes.
Procubuit maiorque iacens adparuit agger.
  Spes victis telluris abit, placuitque profundo

**490** ictu O vulgo, **492** temptat MVUG *semper*, unum O vulgo, **495** frustaque $M_1$, grates R, **496** repeti $A_1$, **497** grais R, **499** noctur*ni* M, nocturnis U, **500** loetifer M VU *ut solent*, erumpit a, **501** rapiens[que] T, **503** et quamvis AB, nec a *cum rell.*, **504** tedas et R, si et raptus T, **509** *tellu*ris M.

492 *Fundum* correxeram cum idem Withofio et Schradero placuisse vidi. Fundamentum erat substrahendum, non *unum* saxum, quod sane non suffecisset etiam si molare. *Imum* Omnibonus. *Super* 493 quasi per tmesin a verbo separatum i. q. *desuper*, ut „cum super e totis emisit collibus agmen" VI. 291.

495 *Pertusae* Heins. Adv. p. 386, nimis mite vocabulum, „pertusum vas" novimus. Non perforabantur tantum crates robore *adusto*, i. e. flammis durato, ut fieri solebat, propria vi praepositionis (ad = paulum).

505 *Sinuosa* Grotius.

507 Liquefactae et dissolutae sunt. Simile quid Livius XXI. 37. 2.

509 Contra historiam narrationem instituit, quasi bellum terrestre perfectum esset, cum mari pugnare inciperent, ut recte Guyetus animadvertit. Cf. Caes. b. Civ. I. 34. 2: Domitius cum navibus actuariis 7 Massiliam profectus; 36 § 1 recipitur a Massiliensibus; initium obsidionis § 4, naves longas Arelati construit XII, intra dies 30. Caesar D. Brutum his praeficit, ipse in Hispaniam proficiscitur. Prima pugna navalis, qua Domitius vincitur I. 56–58. Post oppugnationem terrestrem susceptam (II. 1 et 2) L. Nasidienus cum classe auxilio missus nova spe Massilienses implet (3 et 4); Brutus navibus Arelatensibus auctis confligit et vincit II. 5–7. Obsidio continuatur cap. 8. — Naves Arelati constructae initium fuerunt classis Caesarianae, quas nunc Rhodano deferri narrat Lucanus v. 515, manifesto duo proelia navalia confundens. Quae de refecta classe Romana narrat 512 (invidiose *victis*) conferantur cum Caes. I. 58, med., vid. supra 503. *Conseritur* v. 513 i. q. connectitur; nempe *arbor* (trabs) collective dictum; post *conseritur* distinxi cf. IV. 136. *Cum gurgite* i. q. secundo flumine Rhodani, Arelato.

Fortunam temptare mari. Non robore picto
Ornatas decuit fulgens tutela carinas,
Sed rudis et qualis procumbit montibus arbor
Conseritur, stabilis navalibus area bellis.
Et iam turrigeram Bruti comitata carinam
Venerat in fluctus, Rhodani cum gurgite, classis,
Stoechados arta tenens. Nec non et Graia iuventus
Omne suum fatis voluit committere robur,
Grandaevosque senes mixtis armavit ephebis.
Accepit non sola viros, quae stabat in undis
Classis: et emeritas repetunt navalibus alnos.
Ut matutinos spargens super aequora Phoebus
Fregit aquis radios et liber nubibus aether,
Et posito borea pacemque tenentibus austris
<Pro>stratum bello iacuit mare, movit ab omni
Quisque suam statione ratem, paribusque lacertis
Caesaris hinc puppes, hinc Graio remige classis
Tollitur, inpulsae tonsis tremuere carinae,
Crebraque sublimis convellunt verbera puppis.
Cornua Romanae classis validaeque triremes,

**510** fortuna a, **511** *tutela* M, docuit U (decuit m. 3) $G_1$, **516** stechados A (corr. in: stolchados), stecados R, stocados C, arva O vulgo, **518** ephoebis U, **520** emeriti C (lemma — *tos*), **521** matutinus G (s. s. os), **522** radius m, aquas R, aer Rg, **523** astris $G_1$, **524** iacuit bello VU, servatum bello O vulgo, **525** sua c, **526** *hinc* puppes hic M (*n* ss. m. 2), pupes T, **529** triremis U.

515 „Cum *milite*" Heins. contra rem gestam, etiam „in fluctus Rhodani" iungere coactus, nam nemo sane *Rhodani* inter *fluctus* et *milite* positum iunget cum *milite*. *Fluctus* dubium, requiritur quod stationem significet.

516 Stoechades plures fuisse Plinius XXVII. 107 refert et nomen ipsum indicat; *Una* ex his significatur, Caes. I. 56 fin. „ad insulam, quae est contra Massiliam". Sed miraculi instar est quod classis *arva* tenebat, probo *arta* i. e. angustias (Guyetus). Jeverenus corrigit: „Rhodani *de* gurgite — Stoechados *alta petens*" sine dubio improbandum, sed sententia apta.

520 *Et* pro *etiam* omisso, ut saepius, *sed*.

524 *Servatum* Schol. *paratum* interpretatur; ne hoc quidem recte se haberet, multo minus *servatum*, quasi vero interire possit mare. Num *prostratum*? De simplici *stratus* sic usurpato pro *planus* non dubitatur; *stratum* et *servatum* non multum differunt, excidit initio versus praepositio. *Prostratum iacet* durior est metaphora sed non falsa, cf. e. g. *amplecti* IV. 15. *Iacet* mare pacatum, sic Val. Flacc. IV. 712. Infra V. 433 „aequora lenta iacent; alto torpore ligatae — haesere undae". Verg. Ecl. 9. 57 „et nunc omne tibi *stratum* silet aequor." Plin. Paneg. 31 „tuis virtutibus materiem campumque prosterni", ubi alii *praesterni*, de quo verbo Heins. ad Ov. Am. III. 13. 24 et Arntzen. ad Plin. l. l. (Iustinus II. 10 „Xerxes maria pontibus sternebat" Bentl. ad II 672 diversum).

527 Cf. IV. 418 „neque enim de more — puppes levant." Val. Fl. I. 340 „concussoque ratem gauderem tollere remo". V. 526 *pubes* Grotius cum Regio quodam et Burm.

529, sq. „*Biremes* | *quamque*" („biremium quamque" interpretatus) Heins. Adv. p. 82,

Quasque quater surgens extructi remigis ordo
Commovet, et plures quae mergunt aequore pinus,
Multiplicis cinxere ratis. Hoc robur aperto
Oppositum pelago. Lunata fronte recedunt
Ordine contentae gemino crevisse liburnae.
Celsior at cunctis Bruti praetoria puppis
Verberibus senis agitur, molemque profundo
Invehit, et summis longe ferit aequora remis.
  Ut tantum medii superat maris, utraque classis
Quod semel excussis possit transcurrere tonsis,
Innumerae vasto miscentur in aethere voces,
Remorumque sonus premitur clamore, nec ullae
Audiri potuere tubae. Tunc caerula verrunt,
Atque in transtra cadunt, et remis pectora pulsant.

**531** aequora $M_1R$, pinos U (pinus u), **532** robor $M_1AU$, cincxere C, **533** o.b.positum M, classe UVR (fronte v), recidunt M (ex *recedunt* corr.) RTG, *reci*dunt UV, reducunt v, **534** contemptae T, crepuisse G, (crevisse g 1ª m.), **535** a cunctis a, **537** et — remis l. Serv. A. X. 207, ferit Serv., petit vulgo O, **538** fuerat O vulgo, **539** possit AVRTEB posset MUG, concurrere u, remis RT, **540** innumeras g, a*ethere* M, aetherae R, **543** l. Serv. A. V. 189, rastra M, (transtra m), trastra T.

(*biremes* operarum vitium puto). V. 531 idem p. 84 „et plures quae *tergunt aequora pini*". Salmasius: et *longae* quae *verrunt aequora pini*" et 532 *ratem*. Burmannus: „plures quae mergunt aequore *quinis*", de penteribus intellegens. Peius vulgata! *Pinus* pro remo h. l. dicitur, quod cum sit sine auctoritate, tamen satis apertum est de triremibus et quadriremibus dici, mox de seremi v. 535 (Jeverenus: *palmas* pro *pinus*). „Naves quae amplius, quam quadriremes, remos aqua tingunt" (531) satis perspicue dictum: „Multiplicis rates" est obiectum a *cinxere* pendens, reliqua omnia subiectum efficiunt. Multiplices rates intellegendae onerariae aliaeque ad praesentem usum armatae.

532 Heins. l. l. p. 85 *hinc* et v. sq. *reducunt*, a quo pendeat *robur*: „robur reducunt Liburnae" i. e. Massilienses, ut explicat, sed hi cur retro moventur? corrumpit quoque ordinem narrationis; v. 538 demum appropinquant Massilienses. Liburnae biremes significantur verbis „contentae gemino ordine *crevisse*", quod dicit ad constructionem navis a carina inde sensim sursum latioris attendens, i. q. ordinem duplicem habere (Minus recte Comm.). *Recedunt*, ut apparet, ab aperto pelago, propius insulam, ubi satis aquae est parvis navigiis. *Lunata fronte* manifesto intellegendum de primo *ordine* lunulae formam referente; Sil. It. XIV. 301 „(turris) tabulata decem cui crescere Graius | fecerat".

536 Minus apte *verberibus* pro ordinibus; nam pulsus universorum remigum unus est, sed Cf. Sil. It. XIV „ipse adeo senis ductor Rhoeteius ibat | *pulsibus*". Recepi e Servio *ferit*; non enim describitur, quem locum *capiat* navis praetoria, sed describitur tanquam vasta et longis summi ordinis remis instructa. „Longe petere" vulgo est „e longinquo petere", et qui vult intellegi non hoc verbum praeferet. Remiges feriunt.

539 Non de nihilo est quod optimi plerique habent *possit*, quod nullam iuxta vulgatam *fuerat* rationem habet, lectio *posset* MU infringitur per AB et Erlangensem eiusdem familiae; V diversae habet *possit*; id igitur commendatur traditione. At plqperf. *fuerat* cum hoc conciliari non potest; pro f scripsi *s*; *b*, pro quo centies *u*, excidit post alterum *u*. *Superat* i. e. superest; intervallum postquam sensim accesserunt altera classis alteri, significatur. — *Quod* pro *quantum*.

543 „In transtra (*trastra* ut T Pers. V. 143) cadunt" capite prono, dum remos protrudunt, quisque in scamnum superioris ordinis incurrere videtur (thalamitae in zygitas etc.); transtra (sedilia remigum) obliquo

Ut primum rostris crepuerunt obvia rostra,
In puppim rediere rates, emissaque tela
Aera texerunt vacuumque cadentia pontum.
Et iam diductis extendunt cornua proris,
Diversaeque rates laxata classe receptae.
Ut, quotiens aestus zephyris eurisque repugnat,
Huc abeunt fluctus, illuc mare, sic, ubi puppes
Sulcato varios duxerunt gurgite tractus,
Quod tulit illa ratis remis, haec rettulit aequor.
Sed Graiis habiles pugnamque capessere pinus
Et temptare fugam, nec longo frangere gyro
Cursum, nec tarde flectenti cedere clavo;
At Romana ratis stabilem praebere carinam
Certior, et terrae similem bellantibus usum.
Tunc in signifera residenti puppe magistro
Brutus ait: „Paterisne acies errare profundo,
Artibus et certas pelagi? Iam consere bellum:
Phocaicis medias rostris oppone carinas".
Paruit, obliquas et praebuit hostibus alnos.
Tunc, quaecumque ratis tentavit robora Bruti,

**544** *rostris* M, **545** in — rates l. Prisc. 330. 2 H, puppem V, *diserte* Prisc: -em, cf. 592, **546** taxerunt T. **547** rostris m VU, **548** lassata T, **549** ut — mare (550) l. Serv. A. V. 289, quotie*ns* M, euris zephoris H, ve TGH, repugnant V, **550** habeant R, illo $AUG_1C$, **551** sulcatos vario U, sulcato et g, **552** rettulit MGR, retulit ATVU, **553** grais MAVU, ca*p*essere M capessere AVUGRT, **554** giro MVU, **555** rursum $R_1$, caedere A, credere g, tardae G.

ordine posita erant. Remiges reducentes remos surgunt („insurgunt remis"), et eos deinde pectori admovent: „pectora pulsant".

545 Prisciani lectionem *puppem* unus habet V.

546 Antiquum perfectum *taxi*, quod h. l. in T exstat, a sententia alienum.

549 Ad comparationem cf. II. 454. Aestus (stroom) oppositus ventis comparatur cum diversarum navium in mari movendo vi. *Fluctus* sunt maris superficies (aequor), *mare* est profundum.

552 *Reppulit* Grotius cum Bersmanno contra MSS. *Aequor* cum *quod* iungendum est aqua marina, cf. Ov. Metam. XI. 488 „egerit hic fluctus aequorque refundit in aequor". Remis pellitur aqua in puppem, ut cuique manifestum; hanc aquam non possunt repellere remi alterius navis, nisi *post* priorem naviget, et quidem directione opposita, quae igitur iam transvecta est. Non reputavit hoc poeta, qui susque deque omnes naves motas cogitavit. Haskins difficultatem sensit (the sea, which one ship drove forward with its prow, another ship drove back with its oars), ita vero post *ratis* esset distinguendum contra rationem versus.

553 *Lacessere* Grotius cum deterioribus et fortasse sic $M_1$ „rectius, inquit, ob id quod sequitur", sed sequentibus („et temptare fugam") *capessere* non minus recte respondet.

555 *Tardae* Hosius: „Nec tarde cedere" (i. q. et non tarde cedere) tam recte cum *habiles* iungitur quam „nec frangere" (et non frangere). Ceterum mutatio paene nulla est.

558 „Residenti" Sil. XIV. 401 „residentis puppe magistri".

560 „Artibus pelagi" i. q. nauticis.

Ictu victa suo percussae inpacta cohaesit.
Ast alias manicaeque ligant, teretesque catenae,
Seque tenent remis: tecto stetit aequore bellum.
  Iam non excussis torquentur tela lacertis,
Nec longinqua cadunt iaculato volnera ferro.
Miscenturque manus. Navali plurima bello
Ensis agit. Stat quisque suae de robore puppis
Pronus in adversos ictus, nullique perempti
In ratibus cecidere suis. Cruor altus in unda
Spumat, et obducti concreto sanguine fluctus.
Et quas inmissi traxerunt vincula ferri,
Has prohibent iungi conferta cadavera puppes.
Semianimes alii vastum subiere profundum,
Hauseruntque suo permixtum sanguine pontum.
Hi luctantem animam lenta cum morte trahentes
Fractarum subita ratium periere ruina.
Inrita tela suas peragunt in gurgite caedes,
Et quodcumque cadit frustratum pondere ferrum,

**564** percusse M percussaq G percussa et mAVUg percussaeque T, capta vulgo O, **566** remi Cg, **568** haec longinqua T, **571** nullique MUARg, multique mVug, **572** un*da* MAVUgE, undis G vulgo, **573** concrescunt mV (concreto v), *concr. sang.* fl. U, **574** immensi G, **575** puppis M, (puppes m), conferta VGH, conserta rell. (vulgo), **576** semanimes $V_1$, **578** trahentis $M_1$, hii U, **579** l. Aldhelmus p. 528 M. (239. 13 G, Hos.), subito Aldh. (M), ratum U, **580** inrita AMR, **581** quocunque $M_1$T, frustrato O vulgo.

564 „Fixa" Heins. Idem: „suo est, infixa et capta" vel „percussae ut capta" vel „percussa et"; Rutgers ex coni. „*percussae* capta" cum olim legeretur „*percussa et* capta". Sic inde a Grotio vulgo. Suo ipsius impetu victa cohaesit Bruti navi percussae. Sed *capta* abundat nec aptum. Suspicor CAPTA exstitisse ex PACTA et corrigo *inpacta*; cf. VI. 137 „roboris inpacti crebros gemit agger ad ictus". V. 209 „tunc pectore vatis | inpactae cessere fores". Elisio longae in quarta thesi legitima est. Ceterum c. Liv. XXXVI. 30.

566 „Seque tenent" impediuntur, nempe dum remi remis hostium implicantur, *tenere* pro *retinere*. Aliud est „detergere remos" in loco consimili Silii XIV. 382. Nec *tenere* h. l. significare potest i. q. *sustinere*. „Excutere lacertos" IV. 386 et alibi.

568 *Volnera* sunt tela letalia, inde *cadunt*. Infra VII. 517 „inde (ex aere) cadunt mortes" i. e. tela mortifera. Saepius apud Vergilium, ut „volnere insequi", „volnera derigere" Aen. II. 529, X. 110.

572 *Unda* Hosius.

574 „*At* quas" Heins.

575 Tam infra IV. 490 ex A, quam Val. Fl. III. 274 *confertus* est reponendum. Ancillae Ulixis tanquam ficedulae una linea iuxta suspensae erant *consertae*; densa aut stipata, sed non iuncta, sunt *conferta*. *Conserta* sunt ordine iuncta, τὰ ἐφεξῆς, cf. IV. 31.

579 „Fractarum ratium" fragminum nauticorum.

581 Vulgo *frustrato*. Schraderus: „frustrato corpore" aut „frustratum corpore". Haec (581 sq.) explicant versum 580. „Frustrato pondere" obscurius dictum putat Burm.; nos tam obscurum, quam perversum; si quid, ut h. l., pondere premitur et cadit, pondus non frustra est, contra agit et trahit deorsum. Itaque legendum *frustratum* (passive), ferrum frustratur, non attingit propositum, pondere suo, et ante quam vulnerat humi, h. l. in mare cadit. „*Quocunque* (quaquaversus) cadit" minus rectum, nam omnia eodem (in mare) cadunt.

Exceptum mediis invenit volnus in undis.
Phocaicis Romana ratis vallata carinis
Robore diducto dextrum laevomque tuetur
Aequo Marte latus; cuius dum pugnat ab alta
Puppe Tagus, Graiumque audax aplustre retentat,
Terga simul, pariter missis, et pectora telis
Transigitur; medio concurrit pectore ferrum
Et stetit incertus, flueret quo volnere, sanguis,
Donec utrasque simul largus cruor expulit hastas,
Divisitque animam sparsitque in volnera letum.
Dirigit huc puppim miseri quoque dextra Telonis,
Qua nullam melius pelago turbante carinae
Audivere manum; nec lux est notior ulli
Crastina, seu Phoebum videat seu cornua lunae,
Semper venturis conponere carbasa ventis.
Hic Latiae rostro compagem ruperat alni,
Pila sed in medium venere trementia pectus,
Avertitque ratem morientis dextra magistri.

**584** deducto $M_1A$, **585** cuius — puppe (586) l. [Sergius] IV. 497. 34 K, **586** *tag*us M tagus AuGBE, cagus VT, catus aUvR Serg. Cg targus t, retentant a, **588** transfigitur G, **592** puppem V, **593** qua — manum (504) l. Lact. ad Stat. Theb. V. 412, nullae a, turbare carinam Lact. (qui explicat audire: „obtemperare"), pelag*o* M, **594**, **595** omissos inter lineas adscr. m. ant. U, **597** solverat H, **598** tela mVUTG, **599** sequebantur 594 et 595, post in suum locum translati U.

586 *Catus* Hosius, propter Silium, apud quem *Tagus* nomen est Hispani, I. 152. Sed apud eundem XIV. 443 *Telon* est Poeni nomen, quod h. l. Romani. Rarius nomen probabilius videtur, cf. Verg. A. IX. 416, VII. 734. Aplustre ἄφλαστον, clatri (hekwerk) cum ornamentis in puppe, puppis igitur puppi propinqua.

587 Propter Burmannum moneo *simul* pertinere ad *et pectora, pariter* ad *missis.*

592 *Puppem* supra 545, hoc loco et 600 habet V, Prisc. qui 545 *puppem*, 626 *puppim* habet cum V, reliqui *puppim*, sed parum constanter. — Quae h. l. et in seqq. memorantur sunt e genere miraculorum, quod solum sapientia Stoica poetae reliquerat pro deorum interventu et mirificis documentis roboris divini in epica poesi. Sed vetustam epicam poesin, quo propius aberat a divina origine, talia minus dedecent, quod priscis facilius creditur. Quam incredibilia de hac pugna narrata sint apparet ex Caesare, qui fando audiverat de ea, dum in Hispania aberat, Civ. II. 6. 5.

596 „*Certus* venturis" proponit Burm. *Sollers* Jeverenus coll. Hor. C. IV. 8. 8 „sollers ponere". Ita tamen „semper | ventis" trahuntur contra mentem poetae in sententiam secundariam. Infinitivus est epexegeticus, non necessarius ad supplendum id quod antecedit, fere i. q. ὥστε. „Impotens sperare" apud Hor. i. e. ita sui impotens ut speraret, et multa alia habent laxam iuncturam non dissimilem.

597 *Ruperat* tanquam per condicionem dictum accipit Burm., quasi sequeretur *nisi*, cf. ad II. 617. Recte, ut apparet e seqq. „avertitque ratem", id fieri non potuisset, si iam rostrum fixisset compagem alni, s. texturam *solvisset*, quo vocabulo utitur Schol. Voss.: „rostro scil. navis suae solverat Romanam ratem" unde origo lectionis Heinsiani (*solverat*) apparet.

Dumque cupit sociam Gyareus erepere puppim,
Excipit inmissum suspensa per ilia ferrum,
Adfixusque rati telo retinente pependit.
Stant gemini fratres, fecundae gloria matris,
Quos eadem variis genuerunt viscera fatis
(Discrevit mors saeva viros; unumque relictum
Agnorunt miseri sublato errore parentes,
Aeternis caussam lacrymis. Tenet ille dolorem
Semper, et amissum fratrem lugentibus obfert)
Quorum alter, mixtis obliquo pectine remis,
Ausus Romanae Graia de puppe carinae
Iniectare manum, sed eam gravis insuper ictus
Amputat; illa tamen nisu, quo prenderat, haesit,
Deriguitque tenens strictis inmortua nervis.
Crevit in adversis virtus: plus nobilis irae

**600** dum cupit in vulgo, dumque U, [in] U, girare et repere U, gyareus ir u, idem: irrūpere, gyar*eus* *erum*pere M, erumpere AVGBE, puppem MAVR, puppim U, **601** inmensum g, **605** discrevit... mors M, **606** *agnorunt* M, adgnorunt A, paren*tes* M, aggnorunt VU, **607** alternis $M_1$, aeternam U, dolore A, (dolorem a), **608** et — offert l. Servius A. X. 392, Lactant. Theb. IX. 295, v. 608 in fine paginae $M_1$ 39us in pag., deinde verus locus ei assignatur litteris $\overline{DR}$, **609** pectore m (s. s) aVG, (pectine g), **612** *pren*derat M, **613** diriguitque VG, iam mortua M, inmortua mURG, imm. gV.

600 *Subrepere* Heinsius in marg. Idem Adv. p. 85 *erepere* coll. VIII. 39 „correpsit in alnum". Schol. Voss.: „erepere] ut pro illo (Telone) navem gubernaret". Nimirum haec cum superioribus cohaerent, quare ex U recepi „dum*que* cupit sociam" omisso *in*. Moritur Telo magister et in eius locum succedere studet Gyareus, sed dum erepit in navem sociam, ex alia hostili transfigitur. Accusativus nudus post *erepere* suspectus erat, unde *in* addiderunt; *que* omiserunt postea alii, ut metro succurrerent. Cf. Hor. S. I. 5. 87 „(montes) quos numquam erepsemus, nisi", rell. Avienus, descr. orbis de Erembis 1143 „erepunt ardua semper | culmina saxorum". Cf. Heins. Adv. p. 372. Totus versus convenit nunc cum U correcto.

600–646 spuria putat Guyetus quod sint „inepta". Satis pro arbitrio.

605 Imitatur Vergilium A. X. 390 „simillima proles | indiscreta suis gratusque parentibus error, | at nunc dura dedit vobis discrimina Pallas".

605–608 Parenthesin primus notavit Grotius. V. 604 Bentleius commendat: „quos eadem *simili* genuerunt viscera *forma*", ut illa „discrevit" et „sublato errore" habeant quo referantur, cum in vulgata de similitudine nihil dicatur. Eleganter Jeverenus v. 603 „gemini *similes* fec. gl. matris | quos eadem v. gen. *sidera* fatis" et v. 605 *dignorunt*. Est hoc corrigere poetam potius quam librarios. Minus apte hoc (605—608), praemissum summarium narrationis, continet quae epilogo convenirent. De parenthesi apud Lucanum cf. IX. 38, 150, 413.

609 „Obliquo" nempe remi cum navi non efficiebant rectum angulum; ita quodammodo intellegitur, quomodo spatium inter naves tam exiguum esse potuerit. Suetonius Iul. 68 „Acilius (miles Caesaris) navali ad Massiliam proelio iniecta in puppim hostium dextera et abscisa, memorabile illud apud Graecos Cynaegiri exemplum imitatus, transiluit in navem umbone obvios agens". Haskinsio assentior eandem historiolam significari statuenti; quod tamen Massiliensi adscripsit factum Caesariani, consulto factum ut Caesari detrectet, vid. Cortius. cf. Valerius Max. III. 2. 22, Plut. Caes. 16.

612 cf. Verg. Aen. X. 394 „te decisa suum, Laride, dextera quaerit | semianimesque micant digiti ferrumque retrectant"

Truncus habet, fortique instaurat proelia laeva;
[Rapturusque suam procumbit in aequora dextram]
Haec quoque cum toto manus est abscisa lacerto,
Iam clipeo telisque carens, non conditus ima
Puppe sed expositus, fraternaque pectore nudo
Arma tegens, crebra confixus cuspide perstat:
Telaque multorum leto casura suorum
Emerita iam morte tenet. Tum volnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus,
Membraque contendit toto, quicumque manebat,
Sanguine et hostilem, defectis robore nervis,
Insiluit, solo nociturus pondere, puppim.
Strage virum cumulata ratis multoque cruore
Plena per obliquom crebros latus accipit ictus.
At postquam ruptis pelagus compagibus hausit,
Ad summos repleta foros desedit in undas,
Vicinum involvens contorto vertice pontum.

**615** ab*et* M, **616** rupturusque T, **618** conditus MVUREB, conditur GA, (conditus g ex corr.), **619** in ima pag. antiqua manu A, rupe et A, pectora R, **620** teges m, perfixus R, per*stat* M, **621** *multorum* in ras. 9 litt., *rum* per comp. M, (Stht.: telatot ...), virorum rg, **623** col*legit* M, **624** quaecunque Rg, tenebat A, manabat a, tenebant g, **625** membris $MAB_1$, nervis VUGRTE, deiectis RT, **626** l. Prisc. 541. 2 H, puppim Prisc. diserte, VU, puppem MA, **629** *sed* M, et m, sed GT (at g), **630** descendit vulgo O, **631** cum torto A.

616 Hunc versum alienum puto ab hoc loco, primum quia dextra non in mare deciderat, porro quod *procumbit* h. l. non potest significare inclinat se (in mare autem Graecus non cadit, vide sequentia), denique quod *haec quoque* proximo versu non pertinet ad dextram, quo post 616 referendum erat, sed ad laevam v. 615, quod non fieri potest, nisi omisso interposito versu.

618 *Conditur* (absconditur) post Oud. vulgo, sed *conditus* bene respondet τῷ *expositus*.

621 *Casura* vim condicionalem habet i. q. quae cecidissent. Corpore suo colligebat tela nocitura suis, ut Scaeva clipeo et Arnoldus v. Winkelried, ut fama fert, corpore. „Emerita morte" cum (gloriosam) mortem iam meruisset. Memorabile exemplum ablativi *leto* pro: cum leto. Heinsius aliquando *cessura*, non nimis feliciter; non satis causae cur „casus latura suorum" aut alia violenta probemus.

625 *Nervis* Oud. c. MSS. restituit. Cum „defectis robore nervis" cf. X. 281 „defectus epulis". *Membris* Weise-Haskins.

628 „Per obliquom latus" Val. Fl. X. 618 „conversaque frontem | puppis in oblicum resonos latus accipit ictus".

630 *Desidit* Heins. coll. Ov. Metam. VI. 390 et Bentl., quod praesentis temporis esse vult. *Desedit* Sabellicus, quem refellit Oudend. adhibito Statio, Theb. III 57 „iam descendente carina (Heins. coni. *desidente*)" et Claud. XV. 220 „undarum verbere nutat descensura (*desessura* Heins.) ratis." Sed certum Verg. A. III. 564 „subducta ad manes ima desedimus unda". Plin. ad Trai. 39 (X. 48) „(theatrum) ingentibus rimis descendit et hiat" legendum *desedit*. Omnino cf. Silius in pugnae navalis descriptione, in qua saepe Lucanum ob oculos habet, XIV. 412 „(ratis) media subsedit in unda | divisitque fretum." Alia vide apud Oud., sed IX. 337 „pars sedet una ratis" huc non pertinet, nec Claud. VIII. 628 (= fixa haeret). De terra hiante nullus, quantum scio, unquam liber *descendere* sed *desidere*. (De praes. *desideo* non audio Oudendorpium). Addatur Val. Arg. VIII. 332. Cum Heinsio Cortius, cum Bentl. Burm. facit.

Aequora discedunt mersa diducta carina,
Inque locum puppis cecidit mare. Multaque ponto
Praebuit illa dies varii miracula fati.
  Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos,
Adfixit Lycidan. Mersus foret ille profundo,
Sed prohibent socii, suspensaque crura retentant.
Scinditur avolsus; nec sicut volnere sanguis
Emicuit lentus: ruptis cadit undique venis,
Discursusque animae diversa in membra meantis
Interceptus aquis. Nullius vita perempti
Est tanta dimissa via: pars ultima trunci
Tradidit in letum vacuos vitalibus artus,
At tumidus qua pulmo iacet, qua viscera fervent,
Haeserunt ibi Fata diu, luctataque multum
Hac cum parte viri vix omnia membra tulerunt.
  Dum nimium pugnax unius turba carinae
Incumbit prono lateri vacuamque relinquit,
Qua caret hoste, ratem, congesto pondere puppis
Versa, cava texit pelagus nautasque carina,
Bracchia nec licuit vasto iactare profundo,
Sed clauso periere mari. Tunc unica diri
Conspecta est leti facies, cum forte natantem
Diversae rostris iuvenem fixere carinae.
Discessit medium tam vastos pectus ad ictus,
Nec prohibere valent obtritis ossibus artus,
Quominus aera sonent. Eliso ventre per ora

**632** descedunt m, discedunt M ($3^a$ m.), discindunt u, moesta V ss. mersa, **633** inque — mare l. Lactant. Theb. IX. 502, cedit T, **634** ille AGT, **635** rabidos M, insinus uncos $R_1$, **636** lycidan MU, lycidam AGV, lydan R, lycida in mersus $B_1$, **637** retentat U, **638** vulnera A, (vulnere a), **641** perempti MVURG, peremti A, **643** ar*tus* M, **645** tibi AB, **647** pugnas M, pugnans m, **648** incubuit mVU, **650** mersa V, **654** l. Lactant. Theb. VIII. 218, afixere T.

632 *Discedunt* illustrat Heins. ad Ov. Fast. III. 371.

633 „Multaque ponto" Guyetus *porro*; frigide, sed dubito an *spectacula* prox. versu melius sit quam *miracula*, ut *Ponto* sit dativus.

639 Bentleius distinguit post *emicuit*, quod *lentus* et *emicare* inter se pugnent. Quo fit ut Lycidae sanguis contra sententiam *lentus* ruptis venis cadere dicatur. Idem praeterea: *ruptis lentus.*

642 „Tanta via" i. q. tam lato vulnere.

Ib. „Pars ultima trunci" nempe crura, quae retinent socii (637), avulsa a corde, statim exstincta sunt, reliqua vix mors abstulit. Bene de his exposuit Burmannus in Praef. — *Μόγις κῆρες ἔβαν θανάτοιο φέρουσαι.* Versus quoque 633, sq. aliquid habent Homericum (*ἔνθα κεν οὔτις ἀνὴρ ἔργον ὀνόσαιτο μετελθών*).

651 *Vacuo* pro *vasto* Bentleius.

Eiectat saniem permixtus viscere sanguis.
Postquam inhibent remis puppes, ac rostra recedunt,
Deiectum in pelagus perfosso pectore corpus
Volneribus transmisit aquas. Pars maxima turbae
Naufraga, iactatis morti obluctata lacertis,
Puppis ad auxilium sociae concurrit, at illi
Robora cum vetitis pressarent artius ulnis,
Nutaretque ratis populo peritura recepto,
Inpia turba super medios ferit ense lacertos;
Bracchia linquentes Graia pendentia puppe,
A manibus cecidere suis; non amplius undae
Sustinuere gravis in summo gurgite truncos.

**658** perm. v. sanguis l. Serv. Georg. I. 139, Lucretio verba adscribens, electat M, flectat m, viscera AGc$B_1$ME, viscere m c. rell., mixtus *post* volnera R, **659** remis MaV, remos mATGCUB, puppes *ac* M, recedunt MRg, reducunt mGVU, **660** per*fosso* M perfuso A, *corpus* M, **661** *trans*misit, **663** *con*currit M, illis $M_1$ (post *illi* add. *s* sed eadem erasa), **664** ventis R, pressarent $D_1$ Hosii, T vulgo prens., artius G, altius vulgo rell., **667** puppe MAURE, puppi GV, **669** truncus a.

658 Bentleius: „*sanie* perm. *viscera*"; Cortius: „saniem perm. viscera sanguis" quod explicat „mixtus per viscera". Lectio Bentleii recedit a Servio, sed assentiendum est Bentleio ineptum esse saniem a sanguine separari sed non minus ineptum sanguinem eiectare solida viscera. Cf. Ov. Metam. VI. 259.

659—669 spuria iudicat Guyetus propter *auxilium* 663 („accipiendum an ferendum?" rogat, procul dubio prius verum), porro propter *super,* quod male pro *desuper* sit usurpatum, denique quod incertum sit, num *corpus* v. 660 sit eiusdem *iuvenis* de quo 654. Sed hoc minime dubium. Omnino haec teratologia placuit Lucano.

659 „Postquam inhibent *remos* puppes" Gronovius Obss. p. 831. *Remis* iam Grotius, et reliqui praeter Oud., qui *remi* dedit contra usum loquendi. *Inhibere* absolute vel *inhibere remis* est remis conversis reducere navem, ut puppis anteeat; id fiebat cum in pugna, a recedentibus, tum in navi subducenda, ut prora obversa esset mari et facili opera navis deduci posset. Ita postulabat sermo nauticus; depravata consuetudo (veluti apud Quinct. X. Praef. 4) tulit fortasse *remos* pro: „cessare a remigando"; utique non „*remi* inhibent", sed „remiges" ut h. l. per meton. *puppes.* Notus est de ea re Ciceronis locus ad Att. XIII. 21. 5, ubi usum et suum ipsius errorem exponit. Germ. Arat. 345: „(Argo stella) puppe etenim trahitur, non recto libera cursu, | ut cum decurrens inhibet iam navita remos (Gron. *remis*) | *aversamque ratem* voti damnatus ad oram | perligat", rell. Praeter nostrum locum, in quo „rostra recedunt" clarum documentum est, alios multos collegit Gron. l. l. p. 819, sqq. cf. Boot ad Ep. Att. l. l. Ceterum *remi* non exstat in G, sed supra litteras *OS* punctis deletas scripta est littera *i*, sed haec rursus suprascripto puncto et linea obliqua inducta, ut correctio non videatur perfecta; fortasse corrector *s* additurus erat.

663 *Illis* recepit Hosius.

664 *Artius* dedi ex GU et *pressarent* ex T, idque coniectura assecutus erat Damsté. „Altius prensare" significaret altiore loco (longius ab aqua) latus navis prendere, quod cum parvo modulo navigii, quod sibi fingit poeta (cf. v. 626 et h. l. *nutaret*) non optime convenit, et perplexum est; nam ubi tandem prehenderent parvum navigium depressius quam uno loco, ad foros? Sed *artius* premunt, metu mortis et externati (krampachtig) in nisu perstantes. Lectionem *artius* sequitur paene necessario *pressare,* praesertim cum *prensus* et *pressus* perpetuo confundantur. Haskinsius, si recte intellego, interpretatur *altius*: lacertis non manibus, neglegens significationem v. *ulnis. Artius* Heins. quoque Adv. p. 86.

Iamque omnis fusis nudato milite telis,
Invenit arma furor; remum contorsit in hostem
Alter, at hi tortum validis aplustre lacertis
Avolsasque rotant, expulso remige, sedis;
In pugnam fregere ratis. Sidentia pessum
Corpora caesa tenent, spoliantque cadavera ferro.
Multi inopes teli iaculum letale revolsum
Volneribus traxere suis, et viscera laeva
Oppressere manu, validos dum praebeat ictus
Sanguis et hostilem cum torserit exeat hastam.
Nulla tamen plures hoc edidit aequore clades,
Quam pelago diversa lues. Nam pinguibus ignis
Adfixus taedis et tectis sulphure vivax
Spargitur: ac faciles praebere alimenta carinae
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera.
Nec flammas superant undae, sparsisque per aequor
Iam ratibus, fragmenta ferus sibi vindicat ignis.

**670** omnis MAURTE, omni VG, **672** hic OER, totum AG (tortum ag), **673** rotant pulsos a (*marg.*), excusso Ag, expulso MVUGRT, **674** in — rates l. Serv. A. II. 446, sidentia — tenent (675) l. Prisc. 515. 9. H., sedentia $M_1$ (corr. m. 2) A (m. 2 marg. corr.), pesum *ver. lect.* Prisc., **675** spolie*ntque* U, **677** vulneribus MARTGVU, viscera MATGVU, **678** cum A, (dum a), **679** hostilem — hastam l. Lactantius Theb. VIII. 727, dum Lact., exeat hostem M (*in*: hastam *corr.* m. 2), hastam m (*in marg.*) hastem A, **680** *hoc edidit* U, edidit hoc V, **682** tecto O vulgo, sulphure O, **683** ac MAE, ad a, at *rell.* vulgo facilis $M_1$U, carinas (*del.* as) M, carina m, **686** ferox G.

670 Vulgo, ut sententia constet, ex deterioribus scribunt *omni*, admodum dura structura: „omni milite nudato fusis telis". Reliqui *omnis*; puto *iamque omni* corrupta. Dicendum erat „omne genus arma" invenisse furorem, non simpliciter *arma*; aut omissa aliorum telorum mentione (v. 670) nihil amplus quam: „Invenit arma furor".

674 Ut *pessumire* et *pessumdare*; manifestum studium, alibi obscuratum, vetera aut rara usurpandi. *Pessum subsidere* Lucr. VI. 588.

677 Grotius primus ex „Bersm. uno et Vossiano uno" *visceribus — vulnera*. Eodem redit; utraque lectione viscera sunt vulnerata iisque compressis sanguinis impetus per totum corpus ita crescere dicitur ut dextrae iaculantis vim augeat.

679 „*Et hostilem*]. For the order cf. I. 14, V. 387, VI. 710, 711" Haskins. „Tum demum exeat, cum torserit hastam" Weise. Ita sanguis dicitur torquere hastam, quod quamvis mirum, magis tamen ex Lucani quidem genere dicendi potest defendi, quam si *dextera* omissum credas aut *miles*. „Hostilis" est hasta ab hoste ante missa, nunc retorta. *Compressere* vel *oppressere* malebat Heins.

682 *Tacto* Guyetus et Bentleius; Oudend. idem cum aliis coniecturis proponit. Cur sulphur tegerent non erat, nec cur eo aliud tegerent (si *tegere aliquid* sic potest dici). Lego *tectis* „taedis pinguibus et tectis sulphure". *S* ante *sulphure* omissa peperit mendum. Ov. Metam III 374 „summis circumlita taedis — sulphura" memorat. Ramis pineis (taedis) pice saturatis et oblitis sulphure ignis inicitur. — *Pascitur* Heins. *Admotus* pro *adfixus* praeferrem, si liceret.

683 *Carinas* defendi posse putat Hosius, receptam vero magis usitatam ostendit. Re vera *carinas* nullam habet auctoritatem, cum ABE cum M vulgo facientes, consentiant in *carinae*, dum in M litterae *as* lineis traductis sunt deletae.

685 *Flammam* Cortius, Burm.

Hic recipit fluctus, extinguat ut aequore flammas,
Hi ne mergantur, tabulis ardentibus haerent.
Mille modos inter leti mors una timori est,
Qua coepere mori. Nec cessat naufraga virtus:
Tela legunt deiecta mari, ratibusque ministrant,
Incertasque manus ictu languente per undas
Exercent. Nunc rara datur si copia ferri,
Utuntur pelago; saevus conplectitur hostem
Hostis, et inplicitis gaudent subsidere membris
Mergentesque mori. — Pugna fuit unus in illa
Eximius Phoceus animam servare sub undis
Scrutarique fretum, si quid mersisset arenis,
Et nimis adfixos unci convellere morsus,
Adductum quotiens non senserat ancora funem.
Hic ubi conpressum penitus deduxerat hostem,
Victor et incolumis summas remeabat ad undas.
Sed se per vacuos credit dum surgere fluctus,
Puppibus occurrit, tandemque sub aequore mansit.
Hi super hostiles iecerunt brachia remos,
Et ratium tenuere fugam. Non perdere letum
Maxima cura fuit; multus sua volnera puppi
Adfixit moriens, et rostris abstulit ictus.

**687** fauces a(marg.)uRGb, *fauces* V, flammas v, **688** hinc mergantur U, **689** mille — mori (690) l. Lact. Theb. IX. 230, timorem [est] Lact., **692** incertasque — exercent (693) l. Lact. ad Stat. Theb. V. 384, iactu U, ictu u, **693** exercet a, rata U, rara u, **694** comp*le*ctitur M, saevum VRg, **697** animam — undis l. Lact. Theb. IX. 238, **698** [que] A *add.* a, **699** adnixos C, uncis R, **701** compressum MVAGE, comprensum mUR, diduxerat $VG_1$, **702** incolomis $M_1$A, superas V, rem*eabat* M, *ad*undas M, in undas AVG, **705** legerunt A, iecerunt a, **707** multos $M_1$A.

687 „*Restinguat* ut aequore *fauces*" Heins.

689 Curtius IV. 16. 17, laudatus Bentleio, „quippe ubi intravit — animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare coeperunt". Sen. Phoen. 181 „hac parte mortem perage, qua coepi mori". Sententia: mille atrocia pericula capessunt, ut unum vitent quod nunc minatur. Stat. Theb. IX. 281 „mille modis leti miseros mors una fatigat". Cf. Cortius.

691 *Reiecta* mallet Heins. teste Burm.; melius *disiecta* Guyet., sed non opus.

696 „*Unus* Phoceus" est *aliquis* Ph. et *eximius* arcte iungendum cum *servare*, non cum *unus*, quasi hoc tantum ad intendendam vim v. *eximius* esset additum; sententia: exstitit in illa pugna unus aliquis Massiliensis, admodum peritus.

698 Heins.: si quid mersisset, arenis | et nimis adfixos", ut *mergere* sit neutrum, cf. 696. Melius: „si quid (fretum) mersisset arenis."

701 *Conprensum* praefert Bentl. Non tantum prehendebat hostem, sed fortiter corpori suo apprimebat, ne nare et effugere posset. *Et* v. 702 iungit *victor* cum *incolumis*. *Pedibus demerserat* Jeverenus; *pedibus* non aptum, *demerserat* glossemati simile.

706 *Non perdere letum* i. q. per letum suum nocere.

Stantem sublimi Tyrrhenum culmine prorae
Lygdamus excussa, Balearis tortor habenae,
Glande petens, solido fregit cava tempora plumbo.
Sedibus expulsi, postquam cruor omnia rupit
Vincula, procurrunt oculi, stat lumine rapto
Adtonitus, mortisque illas putat esse tenebras.
At postquam membris sensit constare vigorem,
„Vos, ait, o socii, sicut tormenta soletis,
Me quoque mittendis rectum conponite telis.
Egere quod superest animae, Tyrrhene, per omnis
Bellorum casus. Ingentem militis usum
Hoc habet ex magna defunctum parte cadaver;
Viventis feriere loco". Sic fatus in hostem
Caeca tela manu, sed non tamen inrita, mittit.
Excipit haec iuvenis generosi sanguinis Argus,
Qua iam non medius descendit in ilia venter
Adiuvitque suo procumbens pondere ferrum.
Stabat diversa victae iam parte carinae
Infelix Argi genitor, non ille iuventae
Tempore Phocaicis ulli cessurus in armis;
Victum aevo robur cecidit, fessusque senecta
Exemplum, non miles erat. Qui funere viso

**709** sublime $M_1$, **710** excussae MVURTG, lycdamus A, **711** frangit T, **712** exclusi u g, **713** *stat* M, procurrunt ORTE, **715** nervis m a, *vigorem* U, sensit membris TG, **716** mox ait T, **717** iniciendis A, sic*ut tormenta solet*is U, **718** omnis A, tirrenae U (sic 709, 718), **721** viventes $M_1$, **722** inrita $M_1$R, misit UT, **723** iuvenes $M_1$, arcus c, **724** l. Prisc. 103. 16 H, discedit MVRG, (descendit m), discendit A, ad ilia c, **725** ferro $M_1$, **726** diversa vita A (diversae victa m. 2), iam victae diversa GT, div. victae i. g., in parte T, **727—731** in marg. T, **729** senectae $H_1$.

710 *Excussae* exstitisse videtur accommodato exitu ad *habenae. Balearis* in gen. I. 229 („Balearis fundae"). *Excussa* cum Ascens. Oud., Heins. Ov. Met. VII. 777 („excussae contorto verbere glandes").

711 *Solido*, non fuso, cf. ad VII. 513.

712 *Expulsi* Heins.

713 *Procumbunt* Grotius, Burm., Weise-Hask. (i. e. procidunt) ex dett. aliquot, *prorumpunt* veteres editt., quod in nullo cod. exstat. Oculi protuberantes videntur significari verbo „procurrere", alibi de iis non lectum; *procumbunt* a libris oblatum ferrem, sed non nimis placet. *Lumine* i. q. visu.

717 *Lectum* „volebat Heinsius". In *componite* nemo haesisse videtur; dicit de se tanquam „cadavere" (750), quod sane longe petitum, de eo, qui mittere tela debet.

724 *Desedit* Heins. *Iam non* inficete, ac si de terra ageretur, per quam iter fit. Stantis hominis medium est venter, sive umbilicus, infra quem a capite progressus si descenderis, *iam non*, non amplius, eris in medio; infima pars ventris infra umbilicum non est medium corpus.

730 „*Vulnere* viso" Bentl. Futtiles Jevereni animadversiones neglegere possumus; tam *longae* (731) quam *saepe cadens* habent eximiam vim. *Transtra*, obliqua, impediunt currentem.

Saepe cadens longae senior per transtra carinae
Pervenit ad puppim, spirantisque invenit artus.
Non lacrimae cecidere genis, non pectora tundit,
Distentis toto riguit sed corpore palmis.
Nox subit atque oculos vastae obduxere tenebrae,
Et miserum cernens agnoscere desinit Argum.
Ille caput labens et iam languentia colla
Viso patre levat; vox fauces nulla solutas
Prosequitur, tacito tantum petit oscula voltu,
Invitatque patris claudenda ad lumina dextram.
Ut torpore senex caruit, viresque cruentus
Coepit habere dolor, „Non perdam tempora, dixit,
A saevis permissa deis, iugulumque senilem
Confodiam. Veniam misero concede parenti,
Arge, quod amplexus, extrema quod oscula fugi.
Nondum destituit calidus tua volnera sanguis,
Semianimisque iaces, et adhuc potes esse superstes."
Sic fatus, quamvis capulum per viscera missi
Polluerat gladii, tamen alta sub aequora tendit
Praecipiti saltu. Letum praecedere nati
Festinantem animam morti non credidit uni.
Inclinant iam fata ducum, nec iam amplius anceps

**731** cadis $M_1$ (cade<sup>n</sup>s m. 2) A (cadens 2m marg.) $B_1$, **732** spirantis $M_1A_1VU_1$, puppem $U_1$, **735** oculos M oculis $aB_1$, **737** etiam M, **738** faucis $M_1A$, soluta est (ex solutas m. 1) A, **740** dextra, **747** semianimesque $M_1A$, simanimisque $U_1$, **748** capulum quamvis V, mersi mUvGb, missi uVgM, **749** polluerit AUG, aequore $U_1$, **750** praeceps et laetum gaudens a (versus inter 750 et 751 repetitus), **751** l. Ennodius lib. pro synodo p. 306. 6 Hast. (Hos.), mor*ti* M.

734 *Distensis* Bentl. quod illa forma Lucano placeat. Sane *tensus*, sed nusquam *distensus* fide librorum nititur. Vid. Cortius ad III. 476. Distenta bracchia habitus sunt subito perculsi.

735 *Subit* praesens. quamvis perfectum sequatur, vid. ad VI. 237.

738 „Solutas prosequitur" i. q. deficit hiantem, vox frustratur conantem Mirum *prosequi* sic usurpatum.

739 *Nutu* pro *vultu* Heins. Contra Burm. *tacito vultu* confirmat ex Ovid. Am. I. 11. 18, II. 7. 5.

742 *Tempora* me ipsum interficiendi et mortem filii praecedendi. Sed cur hoc tam ardenter cupit, ut extremum votum filii propterea recuset?

748 i. e. quamvis gladium capulo tenus adegisset in viscera.

751 *Festinans* Bentl., sine causa (in poeta quidem) *animum* desiderans et negans „animam festinasse". Alia essent corrigenda, non hoc, si minus poetica corrigere oporteret. Ceterum quomodo praeposteram philosophiam h. l. adhibuerint aliquot interpretes vid. ap. Burm.

Ib. „Morti non credidit uni" sed tam ferro, quam mari commisit eius caedem.

752 „Fata ducum" ut Pompeius vinceretur, superior esset Caesar.

Belli casus erat; Graiae pars maxima classis
Mergitur, ast aliae mutato remige puppes
Victores vexere suos; navalia paucae
Praecipiti tenuere fuga. Quis in urbe parentum
Fletus erat! quanti matrum per littora planctus!
Coniunx saepe sui, confusis voltibus unda,
Credidit ora viri Romanum amplexa cadaver,
Accensisque rogis miseri de corpore trunco
Certavere patres. At Brutus in aequore victor
Primus Caesareis pelagi decus addidit armis.

**753** *pars* M, per $A_1$ (corr. m. 1), **755** vectores R, **757** quantus G, *planctus* M, **758** *coniunx* M, sepesiti U, **760** trunci ma, **761** *at* M, **762** l. Aldhelmus p. 530 M, 244. 7 G.

757 *Quantus* ante Oudend. legebatur.

759 „Amplexa Romanum cadaver credidit (esse) ora viri." Constructio διὰ μέσου, obiectum pertinet ad *amplexa* et *credidit*, cf. V. 694, ubi vulgo sic interpretantur: „mundi iam summa tenentem permisisse mari (sc. ea)".

762 „*Primum* — *belli* decus" Bentl. Non nimis curiose quaerendum est, num in hoc bello aliquam gloriam mari reportaverit Caesar, sed notandum poetam inscium gloriam Caesaris, adversarii, his verbis augere. At Bentleius habet alia, quae obiciat, in quibus, ut ipsius verbis utar, „non libet diu argutari."

Quae in altera huius libri parte absurda et improbabilia inveniuntur bilem iam moverunt Burmanno (Praef.). Ex manifesto ubique studio exaggerandi efficere licet hoc lectoribus poetarum placuisse, et exigenda haec sunt ad aetatem, qua exstiterunt. Ut semel migramus verum et phantasiam admiscemus, difficile est, ubi fines sint designare. Si quis credere potest deos in certamine Homerico intercedere, potest alia. Et ne pro veris quidem accipere haec figmenta lector debet; volunt sibi illudi, qui toti sunt in admirando heroe. Potius genus poesis historicum reprehendendum est quam poeta.

# M. ANNAEI LUCANI

# PHARSALIA.

## LIBER QUARTUS.

---

At procul extremis terrarum Caesar in oris
Martem saevus agit, non multa caede nocentem,
Maxima sed fati ducibus momenta daturum.
Iure pari rector castris Afranius illic
Ac Petreius erat; concordia duxit in aequas
Imperium commune vices tutelaque valli
Pervigil alterno paret custodia signo.

**3** monimēta a (s. s.) (monumenta Lips. c. Web.), **4** illis vulgo O, **6** tutela—signo (7) l. Prisc. 354.1 H, tetula $M_1$.

2 „Non multa caede *cruentum*" Peerlkamp. Aen. vol. I. p. 61. b; *rubentem* Bentleius ex Bersmanni cod. (sic Lips. b pro var. lect.). Praeferendum prius. Florus II. 13 (IV. 20) „anceps variumque sed incruentum in Hispania bellum". Sed impium bellum nocens est (ɔ: *innocens*) aut noxium. cf. I. 203, VII. 260.

3 I. q. ducibus (qui in eo vicissent) ad reliquum bellum potentiam fatalem conciliaturum.

4 Marklandus: „Afranius *unis* ac Petreius *erant*". *Illic* Schrad. De castris nihil dictum erat, itaque *illis* non aptum.

Errat Lucanus in definitione temporum, dum initium expeditionis Hispanicae, quae hoc libro enarratur, refert ad exitum hiemis a⁰ 49 (v. 48, sqq.) et inundationem Sicoris et Cingae aequinoctio verno (21 Mart. aerae rectae) factam dicit, quod per confusionem temporum a⁰ 49 incidit in diem, quem notabant sextum Idus Maias, cf. Unger Zeitrechnung der Griechen und Römer in I. Mulleri enchiridio p. 643 volum. I. Caesar non ante medium Aprilem ab urbe profectus (cf. Fischer Zeittafeln p. 272). cum Massiliae aliquamdiu moratus esset, parata expeditione in Hispaniam Pyrenaeos cum copiis superavit. itaque non potuit facile ante mensem Iunium Ilerdam pervenire. Iam parte belli profligata et remoto incommodo aquarum scribit Caesar Civ. I. 48 „tempus erat difficillimum, quo neque frumenta in herbis (? vulgo: in hibernis) erant, neque multum a maturitate aberant", fere Iunio mense exeunte (Afranius et Petreius se tradiderunt IV Non. Sext., 2 Aug., secundum Kalendd.). Videtur poeta credidisse incrementa aquae primo vere per nives liquefactas facta esse.

Alia ratione initium belli Afraniani conficitur e Caes. Civ. II. 32, ubi legimus res Caesaris in Hispania actas „diebus XL quibus in conspectum adversariorum venerat Caesar". Retro computando inde a d. IV Non. Sext. invenimus in conspectum hostium venisse a. d. IX Kal. Quinct. i. e. 22 Iunio (qui tum habebat 29 dies). Vid. Exc. in fine libri.

7 Vulgo post pervigil distinguitur, sed sic languet nudum *custodia*.

His praeter Latias acies erat inpiger Astur,
Vettonesque leves, profugique a gente vetusta
Gallorum Celtae, miscentes nomen Hiberis.
Colle tumet modico, lenique excrevit in altum
Pingue solum tumulo; super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu; placidis praelabitur undis
Hesperios inter Sicoris non ultimus amnis,
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu,
Hibernas passurus aquas. At proxima rupes
Signa tenet Magni; nec Caesar colle minore
Castra levat, medius dirimit tentoria gurges.
Explicat hinc tellus campos effusa patentis,
Vix oculo prendente modum, camposque coerces,
Cinga rapax, vetitus fluctus et littora cursu
Oceani pepulisse tuo; nam gurgite mixto,

**9** profugique — Hiberis (10) l. Serv. Aen. I. 2 (p. 8. 15 Th.), vectonesque m, vestonesque R, profugi*que a* M, **11** collectum et R, medico T, **13** hilerda R, blandis V,- **14** l. Serv. A VIII. 328, amnes MVUG, amnis Serv. A, **17** minori M (*i* ex *e*) V, ne $U_1$, **18** dirimit t. g. l. Prisc. II. 56. 26, **20** coercens MVGR, coercet mUg, coerens (*s. s.* h *et* c) A, **22** suo VUMG, tuo u.

10 App. Ibericis I. 2 *Κέλτοι μοι δοκοῦσί ποτε τὴν Πυρήνην ὑπερβάντες αὐτοῖς (Ἴβηρσι) συνοικῆσαι, ὅθεν ἄρα καὶ τὸ Κελτιβήρων ὄνομα ἐρρύη*, cf. Strabo III. 168 C. (226 Mein.) Nomen *Celtiberi*, non aptum metro dactylico, hac periphrasi primus Lucanus, tunc Silius et Martialis vitarunt, Zingerle z. spät. Lat. Dicht. II. 17, sq.

11 *Tumens* Heins. teste Burm. (*non* in Advv. p. 132); ita *que* iungeret *colle modico tumens* et *leni tumulo*, quo verbosa nascitur oratio; per *que* annectitur sententia explicativa. *Lenis* ut in „lenius fastigium" (veluti Caes. b. Civ. II. 24) et „*clemens* clivus".

13 *Blandis* pro *placidis* Heins. p. 132 cum V.

14 *Amnis* accusativus est; in codd. *amnes*, nihil probans, nam id pro *amnis* a librariis saepe substitutum.

16 *Passurus* tam validus, ut aliquando repellat hibernas aquas. Participium fut. significat istiusmodi locis non tam *τὸ posse*, quam propensionem et id quod rebus iuvantibus et opportunitate fiet. Ad exempla Hask. IV. 39, 680, VI. 456 add. „sonaturus" Hor. S. I. 4, 44, „positurus" Hor. C. III. 4. 60, „laturus" Liv. XXIV. 4, „erupturus" Tac. A. I. 28.

17 Bentl.: „colle minori | castra *locat*". Exquisitiorem lectionem non tollo, quamvis insolentem. Ceterum h. l. ut alibi verba apta sunt ad Caesarem celebrandum, nihilo inferior est Pompeii ducibus. „*Elevare* contabulationem" Caes. Civ. II. 9 fin.; saepe simplici pro composito usus est Lucanus. *Nec* iung. cum *minore*. „Medius — gurges", ex Caesare I. 41, 42 apparet flumen non interfuisse inter bina castra, cf. etiam ib. 48. Ilerda iacet in dextra ripa Sicoris, aliquanto infra urbem, exiguo spatio ante confluentes Iberi et Sicoris, Cinga in hunc (Sic.) a dextra infundit aquas; spatium inter Sicorin et Cingam erat sedes belli. Vs. 23 Sicoris erat nominandus.

20 Primus Heinsius Advv. p. 133 *coerces* propter *tibi* 23 et *tuo* var. lectionem in U, cf. V. 805. Cinga et Sicoris circumdabant castra et locum pugnae, cf. Caes. l. l. 48. Cinga absorptus ab Ibero Oceanum non attingit; A. Schaefer, diss. Monasteriensi p. 20 conicit *ad littora*, speciose; nam „littora pellit fluvius" insolitum est; mare pellit littus, non fluvius qui effunditur; durius etiam post *fluctus* (maris), ita aqua fluvialis propellere fluctus maris dicitur et retrogrado motu littora, at „Cinga vetaris cursu tuo fluctus (tuos) (pro)pellere ad littora" recte se habet. V. 23 *praestat* sc. nomen, *Hiberia*.

Qui praestat terris, aufert tibi nomen Hiberus.
Prima dies belli cessavit Marte cruento,
Spectandasque ducum vires numerosaque signa
Exposuit. Piguit sceleris; pudor arma furentum
Continuit, patriaeque et ruptis legibus unum
Donavere diem, prono cum Caesar Olympo
In noctem subita circumdedit agmina fossa,
Dum primae perstant acies, hostemque fefellit,
Et prope consertis obduxit castra maniplis.
Luce nova collem subito conscendere cursu,
Qui medius tutam castris dirimebat Ilerdam,
Imperat. Huc hostem pariter terrorque pudorque
Impulit, et rapto tumulum prior agmine cepit.
His virtus ferrumque locum promittit, at illis
Ipse locus. Miles rupes oneratus in altas
Nititur, adversoque acies in monte supina
Haeret, et in tergum casura, umbone sequentis
Erigitur. Nulli telum vibrare vacabat,
Dum labat et fixo firmat vestigia pilo,
Dum scopulos stirpesque tenent, atque hoste relicto

**23** l. Prisc. 234. 2 H et 295. 3 H. sibi U, **24** cesavit T, **28** cum Caesar ORT, olympho A, **29** noc... tem A, **30** *pre*stant M (s. s. perseverant m. ant.) VU, **31** abduxit A, **33** l. Prisc. II. 57. 1 H, castris tutam Prisc., **34** hu.c M, hunc g, versus intra lineas adscr. manu, ut vid., 1ª U, **35** caepit M, coepit VU, **37** honeratus v̂, **38** aversoque G, **39** integrum ABT in tergum a, **40** vocab*a*t M, vacavit $A_1$U, librare A, vibrare a.

23 *Sibi* Heinsio adscribit Burm., refutatus rursus (cf. ad 11) Advv. l. l.

24 *Belli* Bentl., iungens „marte belli" conferens Liv. VII. 7, ubi „communis mars belli" est „communis fortuna belli", „fortuna alternans" quae h. l. non significatur.

28 *Tum* Oudend. quod Weise—Haskins reduxerunt, contra Bentl., Burm., Cort.

29 *Occulta* pro *subita* Bentl. contra sententiam; ad praesentem usum fossa subitaria circumdabat milites, cf. Caesar I. 41, fin. De bello hoc praeter Caesarem cf. App. Civ. II. 42, Vell. Pat. II. 50, Suet. Caes. 34, Florus II. 13 (IV. 2 D.), Orosius VI. 15. 6, Plut. Caes. 36. Plurima autem L. debet Livio, ut ex fragmentis discimus.

31 *Consertis* cf. supra ad III. 575.

32 Cf. ad haec Caes. I. 44, sqq. praecipue 46.

33 „*Castra et* tutam" Cortius ad X 312, cf. Prisc.

35 „Cepit" nempe hostis. *His* (36) Caesarianis; *hic* in oppositione subinde non id quod proximum est in oratione sed quod, ut praecipuum, menti primum obversatur. *Illis*, Afranianis „locus promittit collem", nam propius aberant et prius collem occuparunt. Iniuria haeret Burm.

39 *Sequenti* ex Rott. 2 probat Heins. Assentior, sed nemo demonstrabit *sequentis* Lucanum scribere non potuisse.

42 *Scopuli* malebat Heins., nec sequentia obstant; scilicet „atque — viam" explicarent superiora: occupant (*tenent*) eos stirpes caeduntque viam; sed vulgata, in qua *tenent* est i. q. arripiunt, non minus recta est, in qua *tenent* (manu) et *caedunt* idem subiectum habent.

Caedunt ense viam. Vidit lapsura ruina
Agmina dux, equitemque iubet succedere bello,
Munitumque latus laevo praeducere giro.
Sic pedes ex facili nulloque urgente receptus,
Inritus et victor subducto Marte pependit.
Hactenus armorum discrimina; cetera bello
Fata dedit variis incertus motibus aer.
Pigro bruma gelu, siccisque aquilonibus haerens,
Aethere constricto pluvias in nube tenebat.
Urebant montana nives camposque iacentis,
Non duraturae conspecto sole pruinae,
Atque omnis propior mergenti sidera caelo
Aruerat tellus hiberno dura sereno.
Sed postquam vernus calidum Titana recepit
Sidera respiciens delapsae portitor Helles,

**44** equitem*que* M, **45** producere $M_1$A, praeducere a praecingere C (Usen. susp.) lato pr. g, cyro A (giro a) monitumque T, **47** invitus MR, **48** arvorum RG, **49** incertj $U_1$, (ex j facta ligatura *us*), **50** siccis C, **51** nuba $R_1$, **54** omnes $M_1$, proprior AT, **57** dilapsae VRG, partitor $A_1$ (corr. o), partitor a (marg.).

44 „Succedere *colli*" suspitio Burmanni.

45 „Praeducere" primus Grotius; *praecedere* placebat Heinsio. In 45–47 non sine causa haeret Guyetus, qui eos proscribit. Recedit L. in singulis a Caesare ex cuius comparatione nihil proficitur. Equitatus auxilio missus pressis militibus eos tegit et inter pedites, se recipientes, et hostes insequentes positus munitum latus suum i. e. sinistrum praepandit hostibus, Sic nullo urgente facilis receptus est recedentibus. Huic explicationi tamen obstat quod, qui se convertit ut laevum latus (*munitum*) opponat, non *laevo* sed dextro giro flectitur. Vereor tamen ne culpa sit poetae. *Girus* vox propria, cf. Paneg. Mess. 94.

47 „Inritus et *ductor*" (i. e. Caesar) Burm. suspicatur. Victores erant Afraniani, recedebant enim Caesariani. Praereptis adversariis (quos tegebat equitatus) incertus pendebat hostis fructu victoriae destitutus. Rursus contra operis institutum poeta extollit consilium Caesaris, tanquam insigni prudentia Pompeianos frustraverit, cum tamen non insigne sit artificium secundum ipsum Lucanum. Haskinsius sic interpretatur, ut munitum latus praeponatur recedentibus (to interpose before the infantry their protected side), quod cui bono? Cum „subducto marte" cf. VI. 250.

49 *Aer* est temperies, quae instabilis erat variis ventis.

50 *Horrens* Bentl., quod „certissimum" iudicat, potuit tamen bruma pro (brumali) frigore dici, quod non desinebat. Frigus retinebat pluvias quasi congelatas in nubibus. *Horrens* iam Heins., recepit Cortius. „Aquilonibus" est ablativus, quod non intellexit Burm.

52 Vulgo distinguunt post *nives*, sed non disiungenda „montana camposque iacentis". — „Non — pruinae" continent ampliationem subiecti.

54 „Propior caelo mergenti sidera", propior occidenti, qui mergit sidera oceano. Hispaniam significat ab Italia occidentem versus sitam. *Sereno* substantivum, ut *profundum* saepius apud Lucanum, adiectivum admittit.

57 Vulgo *portitor*, certatim *proditor* Scriverius ad Mart. I. 79, Heinsius, Burmannus, Oudendorpius, Bentleius, — Gronovius Obss. III. 20, p. 462 sqq. ed. Lips. docuit *portitoris* vocabulum vectorem, naviculariurn (veluti Charon est) quin etiam custodem significare; ex magnis copiis Gronovianis unus sufficit locus Columellae X. 155 „mox ubi nubigenae Phryxi, nec portitor Helles | —

Atque iterum aequatis ad iustae pondera Librae
Temporibus vicere dies, tunc sole relicto
Cynthia quo primum cornu dubitanda refulsit,
Exclusit borean, flammasque accepit ab euro.
Ille suo nubes quascumque invenit in axe,
Torsit in occiduum Nabataeis flatibus orbem,
Et quas sentit Arabs, et quas Gangetica tellus
Exhalat nebulas, quidquid concrescere primus
Sol patitur, quidquid caeli fuscator Eoi
Inpulerat corus, quidquid defenderat Indos.
Incendere diem nubes oriente remotae
Nec medio potuere graves incumbere mundo,
Sed nimbos rapuere fuga. Vacat imbribus arctos
Et notus; in solam Calpen fluit humidus aer.

**58** ad iustae p. libr. l. Isidorus III. 70. 29, aequitatis $M_1$, **60** cum primum ma, eupo $M_1$ (corr. euro) eurum m, **61** borean MAR, boream VU, in euro UG (ab ug), accepit euro A (*s. s.* in), **63** nabathei V (*var. lect.*), **64** ar*aps* M, gangeneta T, **65** exalat $U_1$, **67** chorus MARV, defenderet $M_1$, impulerat BUM, intulerat AVGETR, **68** nubesque $M_1$, **69** gravis M, **70** arcton V, nimb*os* M, **71** umidus MA, notos $A_1$.

„caput efferet undis" i. e. ubi Aries qui transvexit Phryxum, non transvexit Hellen, orietur. *Portitor* ut *ianitor funditor* brevi penultima a substantivo *portus* ductum mire olim ad *portare* relatum. — Sententia: „postquam sol (Titan) intravit arietem (mense Martio)". *Respiciens* Commentum p. 123. 8 Us.: „quod sic inter XII signa pingatur aries veluti retrorsum respiciens".

58 „Atque iterum vicere dies" i. q. longiores facti sunt quam noctes. „Iterum" iungendum cum *aequatis*, aequinoctium vernum post sex menses successit autumnali; „ad iustae pondera Librae" ad iustam adaequationem noctium et dierum, quae sub Libra fuit.

59 „Sole relicto" i. e. aliquot diebus post novilunium. In novilunio luna e regione solis posita terrae obvertit obscuram partem, dein cum paulatim recessit a sole, (eum „reliquit") exiguam partem aliquam eius („cornua") illustratam videmus; hoc est tempus illud, quo primum luce maligna („dubitanda") Cynthia cornu refulget. Cf. e. g. Mädler popul. Astron. p. 63, delineatione 20.

61 „*Excussit* b. f. *recepit in* euro" Bentl., quo illud *in* tueatur, sed collato A exstitisse videtur, postquam *ab* omissum est, ad supplendum versum. Luna effecit ut ventus orientalis succederet boreae, et sic calorem attulit. Non opus est coni. Guy. *flamenque.*

62 *Axis* h. l. pro cardine (meridiaan) et inde pro regione.

65 „Primus sol" est oriens.

67 Corus ad orientem ab occidente nebulas movens caelum Eoum obscurat. *Intulerat*, ante Oud. in quibusdam editionibus lectum; verbi *ferre* compositum, quod huic loco conveniret tantum esset *adferre.* De *inpellere* cf. ad VII. 452, Burm. ad III. 232. *Defenderat* contra ardores solis.

68 Heins. *intendere* coll. 112. V. 67 in quibusdam editt. post *Indos* oratio continuatur; omnia v. 64—67 pendent a *torsit*, v. 68 per se sententiam efficit, in qua participium, ut saepe, pro substantivo est; auxit solis ardores quod nubes oriente remotae erant, i. e. quod aurora statim clara praefulsit. Pro *perturbare* („made tempestuous") accipit Hask. coll. Verg. A. X. 895, Justin. XXXVIII. 8. Ita matutini temporis notio perit.

70 „Sed *nimium* rapuere *fugam*" Guyet, non sine causa, mirum enim quod nubes leves rapiunt procellas; contra est. Legendum puto *nimbi* (cf. M) i. e. procellae.

Hic, ubi iam zephyri fines, et summus Olympi
Cardo tenet Tethyn, vetitae transcurrere densos
Involvere globos, congestumque aeris atri
Vix recipit spatium, quod separat aethere terram.
Iamque polo pressae largos densantur in imbres,
Spissataeque fluunt, nec servant fulmina flammas.
[Quamvis crebra micent: extinguit fulgura nimbus]
Hinc inperfecto conplectitur aera giro
Arcus, vix ulla variatus luce colorem,
Oceanumque bibit, raptosque ad nubila fluctus
Pertulit, et caelo defusum reddidit aequor.
Iamque Pyrenaeae, quas numquam solvere Titan
Evaluit, fluxere nives, fractoque madescunt
Saxa gelu. Tunc qua solitis e fontibus exit,
Non habet unda vias; tam largas alveus omnis
A ripis accepit aquas. Iam naufraga campo
Caesaris arma natant, inpulsaque gurgite multo
Castra labant, alto restagnant flumina vallo.

**72** hic M, summos *corr. in*: summas R, **76** densentur GR, **77** ruunt g, *ful*mina V flumine U$_1$. cursum *s. s.* flammas U, **78** *tn marg. m.* 2, *omissis* quamvis c *et* fulgura, *quae abscisa sunt cum marg.*; *m. rec.* lgura *add. abscisis* fu M, *versum om.* RT, *m.* 2 *intra versus aut in marg.* AV, *adest tn* UG, extingunt m, extingu.i.t G, nimbi mG$_1$, fulgora G, **80** variatas A$_1$, **82** fusum de caelo M, defusum c, diffusum mVAUGB, difussum E, **85** quae *vulgo* O, **86** amnis MAU$_1$, **87** ri.pis M, e ripis T, campis VUR.

72 „Et extrema linea meridiana excludit oceanum". Cardo meridianus cf. V. 71, IV. 672. Non continuat cardines per oceanum.

74 „Involvere globos" accusativus verbalis ut „saltare Cyclopa", „Satyrum moveri", „agmina iungere", cf. ad V. 386, i. q. se condensarunt in globos. *Congestum* (= congeriem) est obiectum.

76 *Densare* (non *densere*) IV. 780, VII. 221 in omnibus est, h. l. in optimis libris.

78 Pro altera parte (*e. f. n.*) „moriuntur fulgura nimbis" invenitur in Hosii D, (Berol. saec. XIII), in Erl. m. 4a et aliis deterioribus, ante Grotium et in Weis.—Hask. Defendit Kindler in diss. Monast. a. 1832 p. 5. Versus ineptus nec defendendus ex V. 630; est antiqua interpolatio ex interpretatione, quae sensim formam versus accepit, ad „nec servant fulmina flammas", male intellectum, quasi *servant* habeat tritam significationem. Sententia: ne fulmina quidem *obtinent* naturam suam. Cf. Mnem. 1890 p. 12.

80 „Luce *colorum*" Guyet., sed cf. VI 828.

82 Bentl.: „*retulit et rursum de caelo* r. a." Nexus sententiarum postulat ut vulgatam interpretemur de aqua in terram refusa, non (cum Grotio) de aqua in caelum subducta, ut Bentl. animadvertit; sed haec sententia in vulg. inest, modo iungatur: *caelo defusum*. De arcu *bibente* cf. J. H. Voss. ad Verg. G. I. 380 p. 170, Sen. Nat. Q. I. 6. *Pўrenaeo* ut *Tarbella Pўrene* Tib. I. 7. 9.

85 *Qua* Burm. cum uno Vossiano, quod recepi. *Quae* non continet aptam sententiam: omnes rivuli exeunt solitis e fontibus, sed non semper solitis alveis, de quibus h. l. nihil. Non eo loco (*qua*) ubi effunditur alias, nunc viam potest reperire unda obstructis canalibus.

87 *A ripis*, nempe utrinque ex aliis fluviis redundantibus.

89 *Restagnant* stagnum efficiunt contra altum vallum. Vallo dativus est. Castra labant, sed ubi altius vallum, eo aqua

Non pecorum raptus faciles, non pabula mersi
Ulla ferunt sulci; tectarum errore viarum
Fallitur occultis sparsus populator in agris.
Iamque, comes semper magnorum prima malorum,
Saeva fames aderat, nulloque obsessus ab hoste
Miles eget; toto censu non prodigus emit
Exiguam Cererem. Pro lucri pallida tabes!
Non deest praelato ieiunus venditor auro.
Iam tumuli collesque latent, iam flumina cuncta
Condidit una palus, vastaque voragine mersit,
Absorpsit penitus rupis, ac tecta ferarum
Detulit atque ipsas hausit, subitisque frementis
Vorticibus contorsit aquas et reppulit aestu
Fortior Oceani. Nec Phoebum surgere sentit
Nox subtexta polo; rerum discrimina miscet

**90** messi a, peccorum U, facilis U (s. s. sc. fuit), nec pabula T, **92** occultis MVURT occultos ABE, agris MVURT, agros ABE, **94** obseptus b, **96** proh V, **97** de.est M, prolato vulgo O, **100** l. Prisc. 491, 16 H, Caper VII. 94. 15 K, absorbsit VUR absorsit T, et Prisc. VRg acM, at T, **101** depulit Mg, **102** ac (*sic*) repp. — oceani (103) l. Prisc. II. 175. 3 H, II. 308. 2 (ubi *et*), vorticibus M, verticibus AUv, gurgitibus Vag, equos $U_1$Vg aquas $V_1$, reppulit MVU, aestus O vulgo, **104** subtexta MU, subiecta AVTG, subtecta R.

retinetur. *Stagni* significatio etiam Sil. IV. 750 in composito manet. Cf. 99.

90 *Pastus* Heins. Adv. p. 133 coll. Sil. XV. 710. Significatur raptus pecorum alimenti causa.

91 *Caecarum* Heins.

94 *Obseptus* Heins. Advv. p. 133 ex Voss. uno correcto, coll. VI. 292. Sic B. pro var. lect. Exquisita et quaesita elegantia. In proximis *non* ad *toto* pertinet.

97 *Praelato* olim Heins., Schraderus. *Prolato* e scriniis vel crumena, sc. ab emtore, unum temporis momentum significat, *praelato* (i. q. praeferens aurum) ad subiectum *venditor* referendum, perpetuam condicionem ieiuni. Itaque correxi. Non ieiunus aliquis fit ostento auro, sed manet semel vendito frumento.

100 „*Tesqua* ferarum", Heins. coll. VI. 41, sine causa cf. Verg. A. VI. 8. *Depulit* placet Bentleio: mihi quoque, ut fortius, sed quomodo varient poetae in *depellere* et *deferre* apparet coll. II. 666 cum Sil. II. 523, ubi cf. Burm.

102 *Aestum* Heins. *Aestus* Oudend. nominativum putat. Perinde est; praesentiori remedio indiget vulgata: *aestus Oceani*, qua ipse Oceanus dicitur repulisse sive aquas sive equos, sed ab oceano multum aberant; *aestum* minus etiam satisfacit, nam *palus* (99) ita repellit oceanum. Correxi igitur *aestu*; oceani aestus sic tantum in comparationem adhibetur. Satisfaceret „aestus fortior *oceano*" sed lenius remedium praetuli. Subiectum est *palus*, 99. — *Equos* etiam missa auctoritate postponendum; *fremere*, iungendum cum *subitis vorticibus*, aptius h. l. de aquis; fremitus equorum non nascitur vorticibus, nec *repellitur*. Ceterum cf. Haskins ad 102, qui incrementum aquarum aestu oceani repellente bene explicat; veruntamen iunctura „*et* repulit" non ferenda. *Equos* correctio videtur ex *frementis* nata. Vid. Hosius, JJ. 1893 p. 343.

104 *Subtexta* Grotius iam coni. ex *subtecta* et Gronovius ad Stat. Diatr. p. 60 (112 Hand.), ubi agit de *subfectus* et *subtextus*, sed de priore h. l. non agitur. Cf. Stat. Theb. I. 346 „subtexit nox atra polos", infra IX. 519 „ferro subtexitur aether", Mnem. XIX. 26. „Tenebrae non sentiunt Phoebum" audax translatio, pro non experiuntur eius vim. In alio poeta desiderares *sivit*.

Deformis caeli facies iunctaeque tenebrae.
Sic mundi pars ima, iacet qua zona nivalis
Perpetuaeque premunt hiemes, non sidera caelo
Ulla videt, sterili non quidquam frigore gignit,
Sed glacie mersos signorum temperat ignis.
Sic, o summe parens mundi, sic sorte secunda
Aequorei rector facias, Neptune, tridentis,
Et tu perpetuis inpendas aera nimbis,
Tu remeare vetes quoscumque emiseris aestus.
Non habeant amnes declivem ad littora cursum,
Sed pelagi referantur aquis, concussaque tellus
Laxet iter fluviis. Hos campos Rhenus inundet,
Hos Rhodanus, vastos obliquent flumina fontis,
Rhipaeas huc solve nives, huc stagna lacusque
Et pigras, ubicumque iacent, effunde paludes,
Et miseras bellis civilibus eripe terras.
  Sed parvo Fortuna viri contenta pavore

**105** cunctaeque m, **106** sic — hiemes (107) l. Isidorus III. 40, de N. R. IX. 3, pars una G 1 ap. Is. illa u, quam O vulgo, sola G 1 ap. Is., **108** sterili — gignit l. Isidorus XX. 10. 1, Serv. Aen. VI. 265, stereli A, nec u, a frigore g, **109** glaciae $M_1$, glacies U, medios O vulgo, **110** *sic o summe p*arens M, pater AB, **112** intendas a, **113** quoscunque.. emiseris M, immiseris V, inmiseris R, **115** pela*gi referantur* aquis M, **118** rhipheas MA riphae(oe)as VUR rimpheas T, hic A, solvent $M_1$ dissolve G, effunde g, hic stagna MA (huc m), **119** palu*des* v, huc funde T.

106 *Latet* Schrad. *Pars ima* *ἀντίχθων;* vulgo: „iacet, quam", sed de situ (*iacet*) non agitur, at de condicione; porro (109) *medios*, quod frustra conati sunt interpretari. „Perpetuaeque" i. q. „et quam perpetuae". Constructio Graeca, cf. Commentationes Lysiacae meae p. 93. Eberhard-Jahn ad Cic. Brutum § 258, cf. Mnem. l. l. supra I. 260 et IV. 745.

108 „A frigore" ex deterioribus Cortius.

112 *Intendas* Heins. Advv. p. 133, sq. coll. IV. 67 (ubi *incendere* hodie), I. 530 (v. s.), VII. 477, IX. 473 („spiritus intentus"), V. 438 (falsa lectio) et 569 (pelagus intendit ventum) quae dubia sunt aut huc non faciunt. Quasi nimbi nutriri aut reparari debeant, hoc dicitur. Placet hoc Burmanno, Haskins: „devote to" quod eodem redit, nisi quod vocabulum exquisitius est. — Mihi legendum videtur *praepandas* = pandas nimbos ante aethera. Cum *p* ante *pandas* excidisset, locus male suppletus est. Eodem rediret *praetendas* sed — *tendas* in uno a est. De duplici constructione talium compositorum non est quod dicam.

113 Pluvia ex evaporatione maris nascitur, itaque mare recipit per pluviam humorem ante a se emissum. „Tu, Neptune, prohibeas, quominus de caelo descendant aquae (*aestus*), quas (ante) emiseris". Satis perplexa haec. *Aestus* evaporationes, causa pro effectu. Post *sic* *ἀνακολούθως* *et* (112) sequitur.

115 *Referantur* i. q. repellantur. *Laxet*, solvat, permittat fluviis qua velint ire.

116 Conicio: „quos campos".

117 *Fontes* pro fluctibus, cf. II. 419 „casuros in quaelibet aequora fontes". Int. in hos campos.

118 *I, solve* Heins. — *Dissolve* coni. Cortius, male. *Rhipaeas* eadem varietate scribitur qua II. 640, III. 273, ubi *Rhipaeus* scribendum esse monui.

120 Versus 98—120 interpolatos iudicat Guyetus. Eadem temeritate multa in libro III possis damnare, et alibi.

Plena redit, solitoque magis favere secundi
Et veniam meruere dei. Iam rarior aer
Et par Phoebus aquis densas in vellera nubes
Sparserat, et noctes ventura luce rubebant,
Servatoque loco rerum discessit ab astris
Humor, et ima petit quidquid pendebat aquarum.
Tollere silva comas, stagnis emergere colles
Incipiunt, visoque die durescere valles.
Utque habuit ripas Sicoris camposque reliquit,
Primum cana salix madefacto vimine parvam
Texitur in puppim, caesoque inducta iuvenco
Vectoris patiens tumidum superenatat amnem.
Sic Venetas stagnante Pado, fusoque Britannus
Navigat Oceano; sic, cum tenet omnia Nilus,
Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.
His ratibus transiecta manus festinat utrinque

**122** favore, a *forma insolita, fere langob., in spatio* 2 *litt.*, **123** clarior G (rarior g), **124** vellere T, **127** petet U, **129** rurescere $V_1$, deducere $R_1$, valles UMAg, calles V(Stht:colles)G, **131** primum — puppem (132) l. Prisc. 336. 14 H, robore Prisc. VRg, vimine v rell., **132** puppem Prisc. puppim MA cf. III. 592, induta (*ex corr., deleta* c) M, **133** l. Serv. Aen. IV. 72 victoris U *emicat* M, emicat AVGRT, enatata Uv, **134** brittannus $M_1$R, **136** l. Isid. Orig. VI. 20. 1, conficitur Isid., cumba AR, papiro R, **137** traiecta AGT.

124 Vellera sunt perspicuae nubes. Verg. Georg. I. 397. *Tensas* Bentleius; frustra.

125 *Montes* pro *noctes* Bentl. Aestate noctu lux paene caelum non relinquit.

126 *Descendit* Heins.; *discessit* melius convenit cum „servato loco rerum".

127 „Quidquid pendebat aquarum". Aqua pendens, nempe in nubibus, uno tempore et simul in effluvia solita emissa est. Notio illa τοῦ καθάπαξ elicienda est ex *quidquid*; nam de aquis dudum stagnantibus *pendere* vix recte dicitur.

129 Quamvis speciosa lectio *calles* repudianda est, ut nata e confusione; superioris versus exitus habet *colles* quod non satis intento oculo librarii cum *valles* confusum peperit *calles*. Cf. Verg. Georg. I. 72 „patiere situ durescere campum" et Aen. XI. 318 „vomere duros | exercent colles" laudat Burm.; Ecl. 8. 80 „limus ut hic durescit" (igni); sic lubricae valles solis radiis („viso die") post nebulas sempiternas exsiccatae.

132 *Inducta* vel *insuta* Heins. Advv. p. 401. *Inducta* iam Grotius pro mendoso *induta*. Cf. Val. Fl. II. 109. „inducto cratem defendere tergo". Caes. I. 54 „corpus navium viminibus contextum coriis integebatur". Ad *insuta* cf. „circumsutis navigiis corio", Plin. IV. 104, sed nihil opus coniectura.

133 *Supereminet* unus Bersmanni, melius certe quam *superemicat*, quod a poeta non potuit dici de tardo cursu horum navigiorum; *enatare* sine dubio verum est (cf. „natat uncta carina" ap. Verg. alia).

134 „Britannus"; Caes. I. 54 „cuius generis (navium) eum superioribus annis usus (usum?) Britanniae (— a?) docuerat". *Fuso* i. q. effuso, minus recte de mari, quasi hoc tanquam fluvius redundet; Haskins *fuso* fere *infuso* significare dicit, de aestuariis cogitans. Credidisse homines, Britannos vitilibus navigiis in Oceano navigare apparet e Plinio, l. l.

137 „His ratibus", rell. dicta licenter pro: „traiecta manu ab hac et altera, quae remanserat, festinatum est". *Utrinque* ex utraque ripa. Caes. I. 54: „ex utraque parte pontem institutum biduo perficit".

Succisum curvare nemus, fluviique ferocis
Incrementa timens, non primis robora ripis
Inposuit: medios pontem distendit in agros.
Ac ne quid Sicoris repetitis audeat undis,
Spargitur in sulcos et scisso gurgite rivis
Dat poenas maioris aquae. Postquam omnia fatis
Caesaris ire videt, celsam Petreius Ilerdam
Deserit, et noti diffisus viribus orbis
Indomitos quaerit populos et semper in arma
Mortis amore feros, et tendit in ultima mundi.
Nudatos Caesar colles desertaque castra
Conspiciens, capere arma iubet, nec quaerere pontem
Nec vada, sed duris fluvium superare lacertis.
Paretur, rapuitque ruens in proelia miles
Quod fugiens timuisset iter. Mox uda receptis
Membra fovent armis, gelidosque a gurgite cursu
Restituunt artus, donec decresceret umbra,
In medium surgente die. Iamque agmina summa
Carpit eques, dubiique fugae pugnaeque tenentur.
Adtollunt campo geminae iuga saxea rupes,
Valle cava media. Tellus hinc ardua celsos

**138** fluvique $M_1$, feroces $A_1$. **142** et scisso—fatis (143) l. Lactant. Theb. IV. 106. sicco g, **147** mortis MABVUE, martis uG, **149** nec carpere T, **158** cava VMABRTG, cavae U, cava $E_1$, cclos (i. e. alos, fort. ex *altos*) R.

138 „Succisum" nempe stirpes singulae (*nemus*) bipenne acciduntur, tum accisae „curvantur" funibus donec franguntur. Cf. Haskins.

139 *Robora* sunt statumina, fulcra; „primis ripis" iuxta ipsa fluenta, in margine ripae.

140 *Sed*, ut saepius, omissum.

142 cf. Caes. I. 61, 62, Sil. IV. 645. Sen. Dial. V. 21. 3 „(Cyrus) adsedit operi, donec C et LXXX cuniculis divisum alveum in CCC et LX *rivos* dispergeret et siccum relinqueret". — „Ire fatis" i. q. impelli fatis (abl.) *Scisso* i. q. diviso alveo (*gurgite*) in rivos s. canales. — „Maioris aquae", incrementi, ut Germani *gross* de aqua.

146 In Celtiberiam bellum transferre conabantur Afranius et Petreius, Caes. I. 61.

147 „Mortis amorem" quod adscribit bellantibus est exaggeratum, sed tamen de Druidis similia, I. 460, utique *Martis* languet. Nihil pulcrius iis videtur quam mortem reperire in proelio.

149 *Rapere* Cortius, de quo prudenter Burm.

150 *Ductis* vir doctus apud Oudend. i. e. extentis ad nandum coll. Gronovio Obss. I. 13 p. 86 ed. Lips. et Ov. Metam. IV. 353.

151 Sine causa *rupit* Burm. ad Val. Fl. I. 3 et Cortius, et *animis* 153 Burm.

158 *Cavae* Grotius et Cortius, et Burm. haesitabundus, mire desiderans *cava mediae*. Quod Cortius affert pro *cavae* alius est naturae; „fluvius currit per cavum saxum" intellegitur, est enim excavatum; sed non possunt propterea „continui montes, nisi quod dissocientur opaca valle" (Hor.) montes cavi dici. Saepissime *a* et *ae* in MSS. confunduntur, sed tamen consensus omnium bonorum praeter U memorabilis. Quod duo contigua nomina in ā exeunt non offendit, quod „valle" „cava", sententia cohaerentia, iuxta locata sunt. Hosius *cavae.*

Continuat colles, tutae quos inter opaco
Anfractu latuere viae. Quibus hoste potito
Faucibus, emitti terrarum in devia Martem
Inque feras gentes Caesar videt. „Ite sine ullo
Ordine, ait, raptumque fuga convertite bellum,
Et faciem pugnae vultusque inferte minaces;
Nec liceat pavidis ignava occumbere morte,
Excipiant recto fugientes pectore ferrum".
Dixit et ad montis tendentem praevenit hostem.
Illic exiguo paulum distantia vallo
Castra locant. Postquam spatio languentia nullo
Mutua conspicuos habuerunt lumina voltus,
[Et fratres natosque suos videre patresque]
Deprensum est civile nefas. Tenuere parumper
Ora metu, tantum nutu motoque salutant
Ense suos. Mox ut stimulis maioribus ardens
Rupit amor leges, audet transcendere vallum

**160** amfractu AV, **161** emittes $A_1$, **163** raptum[que]T, **165** ne VT, **166** fu. gentes M, **171** *om.* M, *post* 177 *inserunt* ABE, *in marg. manus saec.* X m, *per A et B verum locum post* 171 *ei assignavit* 1ª *m. in* A., hic frs AVUG (et g), fratris a, parentes a, **172** [est] Ag, depressum G (deprensum g), **173** motuque A.

159 „Ex hoc loco (*hinc*), post primum ingressum faucium regio montana plures sine intervallo colles nectit".

163 „Raptumque", rell. i. e. bellum quod vos fugit, e fuga retrahite. *Raptum* = ereptum vobis, *fuga* nempe hostium. Per fugam hostium bellum substrahitur Caesarianis. Similiter Haskins, *bellum* tamen sine causa pro exercitu accipiens. *Praevertite* Cortius propter 167, sed hoc diversum est, vide proximum versum: „et faciem pugnae" (minacem) speciem magni exercitus et proelii instantis obequitando ostendite cf. v. 156 et Caesar I. 64; dein (*nec* 165) reliqua belli persequitur, de quibus Caesar I. 65.

168 *Exigua—valle* Schraderus, speciose; nam exercitus non erant separati muro quodam, sed spatio aut intervallo (diversum est I. 516). Praefero tamen *campo* pro *vallo*, quod haec emendatio subsistit in ultimo versus vocabulo. *Locant*, tam Caesariani quam Afraniani significantur, ut apparet ex sqq. Cf. Caes. I. 65, in fine.

171 Om. etiam Voss. 3. Cancellis saepiunt Oud., Burm, cf. Mnem. XIX. 29 (N. S.) XVIII. 12. Quod a 1ª m. hunc versum habet A post 177, et eadem manu in alium locum remissus est, id ostendit in archetypo huius cod. non exstitisse in corpore sed in margine, post aut iuxta 177; eo enim factum est ut librarius de loco quem debebat occupare, dubitare potuerit. Confirmatur id Bernensi et Erlangensi, nec pugnat cum Montepessulano. U potuit idem exemplar describere, sed statim versum suo loco (post 170) collocare, animadversa fortasse correctione (e. g. per A et B) in suo exemplari facta. Sequitur auctoritatem versus superflui esse exiguam. Accedit quod *hic* in aliis codd. lectum speciem habet indicii loci, quo versus marginalis esset reponendus, ita enim solent librarii cf. Mnem. XVIII p. 8. Cum sententia versus cf. infra 564 et VII. 462. Versus adscriptus esse videtur a quodam lectore non indocto, qui huius posterioris (VII. 462) meminisset. Antiquior est saec. X.

172 *Deprensum* delectu non nimis felici pro *perspectum*; neque illud *tenuere ora.* Sen. Oed. 915 „infandum scelus deprehendit (Oedipus)", Claud. b. Goth. (XXVI) 103 („procul absit ut barbarus) possit—arcanum tanti deprendere regni" non conveniunt; non antea ignotum erat nefas; non inveniunt, sed reputant.

Miles, in amplexus effusas tendere palmas;
Hospitis ille ciet nomen, vocat ille propincum,
Admonet hunc studiis consors puerilibus aetas,
Nec Romanus erat, qui non agnoverat hostem.
Arma rigant lacrimis, singultibus oscula rumpunt,
Et quamvis nullo maculatus sanguine miles,
Quae potuit, fecisse timet. Quid pectora pulsas?
Quid, vesane, gemis? fletus quid fundis inanis,
Nec te sponte tua sceleri parere fateris?
Usque adeone times, quem tu facis ipse timendum?
Classica det bello, saevos tu neglege cantus;
Signa ferat, cessa; iamiam civilis Erinnys
Concidet, et Caesar generum privatus amabit.
Nunc ades, aeterno complectens omnia nexu,
O rerum mixtique salus, Concordia, mundi
Et sacer orbis Amor; magnum nunc saecula nostra
Venturi discrimen habent. Periere latebrae

**176** et amplexus m, perfusas c, **177** propinqui mAVUCEB, propinque g, propinquum $M_1$, **178** admovet AB, pueri libertas T, **179** a. gnoverat M, adgnoverat A, agnoverat VU, **183** times GT, (gemis g), **185** esse timendum U (ipse u), **186** det bello ABv, dat bello U, dent bellum MRT, dant bellum V, **187** ferat MAvU, ferant V, **188** amavit m, **190** mixti[que] R, **191** socer u, nostri R, **192** venturum c.

177 *Propinqui* in M. manus 2ae correctio est, quae tum demum recta esset, si „vocare nomen" pro „exclamare nomen" usitatum esset. Versu proximo *admonet* imperfectam habet notionem; omittitur cuius rei; obiectum videtur ex *studiis iuvenilibus* repetendum. Aetas adversariorum, suae aequalis, consors ipsius ludis iuvenilibus, eorum illum admonet.

179 Non = „nec ullus erat", sed: qui neminem in tanta turba agnoscebat, profecto Romae non nutritus erat.

182 Ne se culpa iam obligasset.

186 sq. Sic, ut dedi, Grotius; *dent bellum* Oudend.; *dent, belli tu — signa ferant* Burm.; *dent bello — signa ferant* Cort.; *dent bellum — signa ferant* Weise-Haskins. Duae sententiae condicionales, omissa particula condicionali; protases tanquam interrogationes pronuntiandae. Utrobique *Caesar* subiectum, diserte enuntiatum v. 188, postulat hoc versus quoque qui praecedit, 185; sic demum nervosa est oratio. „Classica *dare* bello" ut imperium proelio. Caesar signa *fert* i. e. infert.

188 *Privatus* breviter; Caesar (qui nullo imperio erat) id quod est, privatus erit, et Pompeio se subiciet.

191 „Sacer orbis amor". Amor latiore sensu, affinium rerum et elementorum inter se attractio dominatur in mundo; *orbis* est subiectivus genetivus; *φιλίαν* Empedocleam in mentem revocat.

192 *Venturi* sc. saeculi; magnum momentum s. vim habent in omne futurum aevum. *Saecula nostra* nec de momento hoc pacis reconciliatae (Weise) nec de aetate poetae (Haskins) potest intellegi, hoc cum nexu sententiarum, illud cum verbo *nostra* pugnat. Intellegas de utroque Iulii Caesaris et Neronis saeculo, ex quorum concordia an discidio omnis status mundi (aeternae Romae) pendebit. *Nunc* i. q. nunc apparet habere, rell. Saepe invocationes deorum ut h. l. habent apud L. aliquid acerbi.

Ib. Una erat latebra: ficta ignorantia hostium; *tot* iung. cum *scelerum*, quasi tot scelerosorum.

Tot scelerum, populo venia est erepta nocenti:
Agnovere suos. Proh numine fata sinistro
Exigua requie tantas augentia clades!
Pax erat, et castris miles permixtus utrisque
Errabat; duro concordes cespite mensas
Instituunt et permixto libamina Baccho.
Graminei luxere foci, iunctoque cubili
Extrahit insomnis bellorum fabula noctes:
Quo primum steterint campo, quo lancea dextra
Exierit. Dum quae gesserunt fortia, iactant,
Et dum multa negant, quod solum fata petebant,
Est miseris renovata fides atque omne futurum
Crevit amore nefas. Nam postquam foedera pacis
Cognita Petreio, seque et sua tradita venum
Castra videt, famulas scelerata ad proelia dextras
Excitat atque hostes turba stipatus inermis
Praecipitat castris, iunctosque amplexibus ense
Separat, et multo disturbat sanguine pacem.
Addidit ira ferox moturas proelia voces:

**196** castris miles UR, *reliqui* miles castris, **197** dura c, **198** ba*ccho* M libamine V(sic)c, **199** gramineis vg, gramin*ei* M. *luxere* A, duxere G, focis vg, **200** insomnis MA,U, **201** steterant VU, (steterint u), qua lancea O vulgo. **202** *ia*ctant M, iectant A (iactant m. 2 marg.), **204** revocata R, **205** *foe*dera M, **207** *post hunc v. duo versus et dimidius in fine pag. erasi sunt* M, **208** tuba $U_1$, **209** praecepitat A.

195 *Augentia,* nempe nunc sciunt in quos delinquant.

198 „Et *prima sacro* libamina Baccho, graminei luxere foci", Bentl. *Fluxere* Cortius ex Berol., scribens: „libamina Baccho | gramineis fluxere focis", quasi significentur altaria, sed foci sunt ignes, circa quos milites sedentes noctem terunt. Tradita nihil habet offensionis: *libamina* i. q. compotationes (pars pro toto), pendet ab *instituunt.*

200 *Insomnis* iungo cum *noctes*, ex eventu.

201 Vulgo „*qua* lancea". „*Qua* i. e. quam forti", Weise, perperam, at non sine causa haeret; sed non rectius de loco accipitur *qua exierit.* Pronomen videtur male accommodatum esse proximis vocabulis et verum esse *quo* sc. campo, per anaphoram. — *Fudere*, Hosius, 199.

203 „Et dum", rell. i. q. et quae prava, negant, cuiusmodi quid probabile est poetam positurum fuisse, si ultimam manum operi imposuisset. *Quod—patebant* ad sqq. pertinet.

205 „Amore", quem nunc scientes violaturi erant. *Foedera,* ut foedera *amoris* dicuntur, sic h. l. i. q. congressus, datas acceptasque dextras significat. Cf. *pacem*, 210.

206 „Tradita venum" cf. V. 616 „quam celsa cacumina *pessum* | tellus victa *dedit*".

207 Ut repetitum v. 208 *castra* vitetur Bentleius cum Regio uno: *cuncta.*

208 Caesar Civ. I. 75 „(Petreius) armat familiam; cum hac et praetoria cohorte caetratorum barbarisque *equitibus* paucis — improviso ad vallum advolat". Inde Bentl. v. 208: „*turma* stipatus *equestri*". Sed ipse locus Caesaris eum refellit, equites erant pauci, maior pars alii.

„Inmemor o patriae, signorum oblite tuorum,
Non potes hoc causae, miles, praestare, senatus
Adsertor victo redeas ut Caesare, certe
Ut vincare, potes. Dum ferrum incertaque fata
Quique fluat multo non deerit volnere sanguis,
Ibitis ad dominum, damnataque signa feretis?
Utque habeat famulos nullo discrimine Caesar
Exorandus erit? ducibus quoque vita petenda est?
Numquam nostra salus pretium mercesque nefandae
Proditionis erit; non hoc civilia bella,
Ut vivamus, agunt: trahimur sub nomine pacis.
Non chalybem gentes penitus fugiente metallo
Eruerent, nulli vallarent oppida muri,
Non sonipes in bella ferox, non iret in aequor
Turrigeras classis pelago sparsura carinas,
Si bene libertas unquam pro pace daretur.

**212** *signorum* M, **214** certe—potes (215) l. [Serg.] IV. 563. 7 K, **216** derit A, **219** *petenda* M, petita U (petenda u) G (petenda g), (petenda rell.), **221** non—agunt (222) l. Lact. ad Stat. Theb. II. 659, haec Lact., **222** traimur s. s. h. U, trahitur V (Steinh.), **223** calibem VU.

212 „*Lariumque* oblite tuorum" Bentl., quia *signa* sint imperatoris, non militis (IX. 579) et vocabulum paulo post sequatur; neutra sufficiens causa mutandi; de rariore genetivi forma cf. Georges lex. der lat. Wortformen i. v.

213 Cum Burm. interpunxi ante *senatus*, quod iung. cum *adsertor*; multo facilius *causae* caret epitheto quam *adsertor. Causae* absolute, sc. „quam amplexus es", tam rectum quam „causae servire". „Adsertor" in libertatem, Suet. Caes. 80 „populo adsertores flagitante". Iam Caesar dominus dicitur.

214 „Certe ut vincare, potes" iam ego „vos vincam", „certe ignavi satis estis, ut vos deturbem, eoque milites *meos* a vobis et Caesare detraham". Gestu haec adiuvanda.

215 „Incertaque *fati*" coni. Cortius, sine causa. *Incerta* „praedicative" positum aptius sententiae.

217 „Damnata" ad pestem, dedecus; signa vestra feretis, nempe *ad dominum*.

218 „Nullo discrimine" Bentleius interpretatur nullo periculo, nulla dimicatione et carpit „summum" Grotium, qui „differentiam" putat significare. Miror. Vergilius aliquoties et Claudianus (XXXVI. 411) et alii „nullo discrimine" = promiscue, et „nullo d. habere" Aen. X. 108. „Nullo discr." i. q. aeque viles omnes, tanquam attributum cohaeret cum *famulos*.

222 *Trahimur*, sqq. Haec ἀσυνδέτως adduntur, more Lucaneo omisso *sed*, quare semicolon posui; vox subsistit per momentum temporis, ut expectatio moveatur. *Trahere* vocabulum proprium est de eo qui in carcerem aut vi abducitur; nota illa „trahere aliquem vi, obtorto collo", „ecce trahebatur passis Priameia virgo crinibus." Sententia: his bellis non id agitur ut vivamus, compellimur (ad mortem), dum foedus iactatur.

223—227 Male venditur libertas otio et pace, v. 227. „Pugnandum est vobis". Haec posterior sententia, quae vinculum efficit cum superioribus (trahimur —, pugnate —, numquam libertas bene pro otio data est), suppressa est, et apodosis 223—226 rhetorico exornata est, qua nihil significatur nisi: „non esset bellum". Ferrum v. 223 tantum ad bella utile proponitur, quasi in aurei aevi descriptione versemur.

223 „Penitus abstruso metallo" (infra 293) „Fugiunt" quae frustra attingere studemus, sic Aeneam fugiebat Italia (Aen. VI. 61).

Hostes nempe meos sceleri iurata nefando
Sacramenta tenent, at vobis vilior hoc est
Vestra fides, quod pro causa pugnantibus aequa
Et veniam sperare licet! Proh dira pudoris
Funera! Nunc toto fatorum ignarus in orbe,
Magne, paras acies, mundique extrema tenentis
Sollicitas reges, cum forsan foedere nostro
Iam tibi sit promissa salus". Sic fatur, et omnis
Concussit mentes, scelerumque reduxit amorem.
Sic ubi desuetae silvis in carcere clauso
Mansuevere ferae, et vultus posuere minacis,
Atque hominem didicere pati, si torrida parvus
Venit in ora cruor, redeunt rabiesque furorque,

**228** namque U, (nempe u), **229** hoc, *s. s.* in *et deleto* est, *i. e.* in hoc M, **230** pugnabilis A, **232** funera MAGVU foedera aR, **234** fors*an*, an *in litura* 4 *litterarum*, *fuitne* forsitan? M, **237** cluso M. (a *s. s. m.* 2), et carcere V, **238** minacis G, **239** atque — pati l. Lactant. Theb. VII. 569.

228 Supple: „recusatis pugnam". *Nempe* est affirmatio irrisionis plena: „(sicine?) sane". Repetit aliquis sententiam oppositam, ut sola mentio probet absurdam, cf. Hand. ad Turs. IV. 163 et 159. 7. „Nempe hostes mei obligatos se sentiunt iureiurando, quod sceleri (i. e. Caesari) praestiterunt, vobis vilior alga est fides, quod legitimam causam vobis secutis venia parata est". Caesariani utpote rebelles, a Pompeio victi, supplicium expectabant. De *nempe* et *namque* confusis vid. Halm. l. l. p. 165.

231 *Et* (= etiam) male intellectum peperit falsam lectionem *pugnabitis,* quam probat Grotius (*pugnabitis — sed*).

232 *Munera* vel *vulnera* Heins. Adverss. p. 134. *Vulnera* Bentl. comparans VIII. 350 „pudoris hoc volnus" i. e. ignominiam hanc, quem locum Heins. quoque attulerat. *Foedera* Bersmannus ex Canteri Nov. Lect. III. 11, reliqui editores *funera*. „Pudoris foedera" pro „ignominiosa foedera" non probo. *Munera* obscurum est. *Funera* retinui quod potest explicari (= miser pudoris interitus) et auctoritate vincit. Canterus laudat ex Prudentio Perist. XIV. 73 (Obb.) „qui me pudoris funere perderet". Lectio *foedera* traheret aliam mutationem; nempe „*plena* pudoris", et obest *foedere* (234). Cf. Claud. VIII. 86 „proh damna pudoris!"

235 „Iam tibi sit promissa salus" cf. Caesar Civ. I. 53 „multa rumor fingebat, ut paene bellum confectum videretur, — multi ex Italia ad Cn. Pompeium proficiscebantur ut principes talem nuntium attulisse viderentur". Hi *promittebant* i. e. praedicebant Pompeio salutem propter fidelem operam (*foedere*) Petreii. Supple: atque interim nos (dux et milites) te prodimus. Id in hac desultoria oratione minus offendit, quam quod *foedus* vix recte de concordia ducum (non de pacto cum Caesare) dicitur. Sensit Burmannus, proponens *non tibi* aut *funere nostro* (ut pro pignore vitae Pompeii Petreius interficeretur!). Haskinsium non intellego: „sarcastic; while Pompeius is exerting himself in the East, his safety has been bargained for by us". Desiderarem certe „*tua* sit". Sententia haec requiritur: pudorem abiecistis (232), eo res adducta est, ut reges orientis parati sint ad opem ferendam, nos foedere nostro eum subvertamus, s. eius salus sit proiecta, concussa, subversa, prolapsa. Num *praecisa*? *Promissa* non infrequenti errore PROMISA fere = PRECISA.

237 Heins. teste Burm. *in carcere claustri* vel *clathri*, quae non repetivit in Adverss.; si quid mutandum esset, mallem: „*et* (V) carcere *clausae*".

239 „Si *torpida*" Heins. *Parcus*, id. *Simul horrida* Withof; *torrida* est *sicca*, nec sollicitandum. *Parvus cruor* cf. „parva tumulatus harena", Ovid. Met. VII. 361.

Admonitaeque tument gustato sanguine fauces;
Fervet, et a trepido vix abstinet ira magistro.
Itur in omne nefas et quae Fortuna deorum
Invidia caeca bellorum in nocte tulisset,
Fecit monstra Fides, inter mensasque torosque
Quae modo conplexu foverunt pectora caedunt.
Et quamvis primo ferrum strinxere gementes,
Ut dextrae iusti gladius dissuasor adhaesit,
Dum feriunt odere suos, animosque labantis
Confirmant ictu. Fervent iam castra tumultu,
[Et scelerum turba rapiuntur colla parentum]
Ac velut occultum pereat scelus, omnia monstra
In faciem promsere ducum; iuvat esse nocentis.
  Tu, Caesar, quamvis spoliatus milite multo,
Adgnoscis superos. Neque enim tibi maior in arvis
Emathiis fortuna fuit, nec Phocidos undis
Massiliae, Phario nec tantum est aequore gestum,
Hoc siquidem solo civilis crimine belli
Dux causae melioris eris. Polluta nefanda

**242** ora A (ira a), **244** [in] $M_1$, **245** mensas[que] $A_1$, **247** str*in*xere M, **249** labentis AB, **251** om. MUVAGRTE, intra versus aut in marg. AV, **253** faciem *cum rell* V (*contra Stht*), posuere O vulgo, **255** airvis U.

242 „Fervet" rell. asyndeton in expletiva sententia cf. I. 142, IX. 339.

243 Quae fortuna belli excusasset per ignorantiam, haec piacula facta sunt cum inter se cognoscerent fide in tempus restituta. Quia concordia aliquamdiu fuit, fuit scelus. Cf. supra 192, sqq. Burmannus conicit *dies* pro *fides* falsa oppositione figuratae *noctis* et veri *diei*. Bentl. *nube* pro *nocte* et cum Grotio *nostra* pro *monstra*, i. e. fecit fides nostra (neutr.) quae alias fortunae adscripta essent. *Monstrum* de facto atroci sim. X. 337: „ultricesque deae dant (Pothino) in nova monstra furorem" cf. VII. 454. Ante omnia procuranda: „deorum invidia", quae non habent unde pendeant. In Grotii lectione *quae—tulisset*, opposita *τῷ nostra*, sunt i. q. quae habuisset s. abstulisset, cum quo *invidia deorum* non potest iungi; nec minus haeremus in prius a me proposita explicatione. Esse debet aliquid cum quo iungatur ablativus ille; puto *luisset*, cf. Val. Flaccus III. 406 „Celaeneus insontes errore luit, culpamque remittens" rell. Sic *monstra* recte se habet. *Fecit* = effecit. *Luere* = absolvere, expiare.

251 Versum hunc interpolatum et ab Oudend. et Cort. inclusum defendit Burm. coniciens *paventum*, oblitus agi de militibus. Nec verbum *rapere* de mutua caede aptum est, et non parentes solum oportebat memorari. Placuit sibi interpolator in horrore belli civilis describendo, sic supra v. 171, ad quem locum Lucani ipsius simili sententia versus, fontem interpolationis contuli. Cf. Mnem. XIX. 29.

253 „In facie *movere*" Heins. Vulgo „in faciem *posuere*" insolita constructione et contra sententiam loci. *Promere* de re nova et insolita non tantum sed etiam de horrenda. „Saevissima promere" Tac. Ann. XII. 59.

259 *Eras* Bentl. mimime necessaria mutatio; *eris* ad iudicium posterorum pertinet i. q. memorabere. Sic etiam aptior est quam in lectione *eras* mentio rerum gestarum (in Thessalia et prope Alexandriam) quae post evenerunt. Scelere Petreii (*crimine*) factum est, ut meliorum partium esset tunc Caesar.

*Polluta*, sqq. *Duces* Afranius et Petreius metuebant castra locare prope Caesariana

Agmina caede duces iunctis committere castris
Non audent, altaeque ad moenia rursus Ilerdae
Intendere fugam. Campos eques obvius omnis
Abstulit, et siccis inclusit collibus hostem.
Tunc inopes undae praerupta cingere fossa
Caesar avet, nec castra pati contingere ripas
Aut circum largos curvari bracchia fontes.
  Ut leti videre viam, conversus in iram
Praecipitem timor est. Miles, non utile clausis
Auxilium, mactavit equos, tandemque coactus
Spe posita damnare fugam casurus in hostis
Fertur. Ut effuso Caesar decurrere passu
Vidit et ad certam devotos tendere mortem,
„Tela tene iam, miles, ait, ferrumque ruenti
Subtrahe; non ullo constet mihi sanguine bellum;
Vincitur haud gratis, iugulo qui provocat, hostis.
En sibi vilis adest invisa luce iuventus,

**260** om. $U_1$ (*add. in fine pag.* u), **262** *obvius* M, **265** havet m, habet ABC (avet a), **266** br*achia* M, **270** spes $A_1$, hos*t*em VRg, **272** Mendere M, **274** illa a, constat ABE, **275** l. Prisc. 501. 13 H, non gratis moritur Prisc., ha*u*d M, hostem O vulgo, **276** ensivilis MABG, (sibi a), visa $M_1$, contempta G (invisa g).

quod Caesar liberalitate sua adversarios milites facile erat ad se tracturus; hic enim Petreianos ex suis castris dimiserat, sponte remanentes honoribus ornaverat, interfecerat neminem. Cf. Caes. Civ. I. 77. Eo respexisse Lucanum puto, ut crediderit caede pollutos Petreianos, pudore et admiratione erga Caesarem motos, facile transfugere ad Caesarem paratos esse.

263 „Siccis collibus" est ablativus loci; ipsa res docet; inclusi undique collibus (instr.) in valle invenissent aquam.

265 *Pati* est infinitivus historicus, rarus apud Luc., cf. I. 132, sqq. 147, sq. „avet pati" ineptum est. Subi. ante *contingere* est *castra*; „bracchia", rell. diversa a superioribus, non sunt enim castrorum ut Oudend. in ind., sed muri fortasse exstruendi; cf. III. 387, Liv. XLIV. 35, 23.

267 Quasi *τὰς προσβάσεις*, *leti* est genet. subi. et *via* figurate, ut contra „via salutis" X. 538, Verg. A. VI. 96, „via mortis" Georg. III. 482.

270 Non satis clarum hoc: abicit spem evasionis et impetum facit in hostem; quo consilio? nempe ut evaderet. Mihi magis perspicuum esset *temptare* pro *dampnare*; coactus desperata tentare fertur miles in hostes. Secundum Lucanum nihil nisi mortem petunt hostes.

273 Recte Weise: ruenti sc. in ferrum (tuum), illud subtrahe.

274 Bentleius ex „aliis libris" mavult *vulnere*.

275 Correxi *hostis* (nomin.), quod pro accusativo plur. acceptum temere in *hostem* mutatum, ut supra 270 factum in VRg. Abstine a proelio, inquit, nam qui desperat, periculosus est hostis. Provocat hostis h. l., non Caesariani; *hostem*, i. e. nos, satis otiosum; cf. etiam sqq. „Provocat iugulo" qui proelio suam aut adversarii mortem petit. Cf. VII. 434 „(libertas) iugulo quaesita vagatur". Ib. 533. Prisciani lectio „non gratis moritur" aptior esset imperatori ad mortem incendenti (legendum tunc *hostem*) quam dehortanti, sed memorabilis, quod memoriae vitio adscribi non potest; ad coniugationem verbi *mori* probandam loco utitur.

Iam damno peritura meo. Non sentiet ictus,
Incumbet gladiis, gaudebit sanguine fuso.
Deserat hic fervor mentes, cadat inpetus amens.
Perdant velle mori". Sic deflagrare minacis
Incassum et vetito passus languescere bello,
Substituit merso dum nox sua lumina Phoebo;
Inde ubi nulla data est miscendi copia Martis,
Paulatim cadit ira ferox, mentesque tepescunt,
Saucia maiores animos ut pectora gestant,
Dum dolor est ictusque recens et mobile nervis
Conamen calidus praebet cruor, ossaque nondum
Adduxere cutem; si conscius ensis adacti
Stat victor, tenuitque manum, tunc frigidus artus
Adligat atque animum subducto robore torpor,
Postquam sicca rigens adstrinxit volnera sanguis.
  Iamque inopes undae, primum tellure refossa,
Occultos latices abstrusaque flumina quaerunt;

**277** non s. ictus l. Prisc. II. 295. 7 H, **278** gla*diis* M, **279** inpetus omnis MAT, (amens a), in pectus omnes B, **283** miscendae copia mortis M, (martis m) A (martis a), glossa in Vg, **284** *cadit* M, fugit U, **285** maioris $M_1$, **288** sic R, **289** manum g, manus *rell. vulgo*, tenuique T, **291** astringit G (-xit g), **293** obstrusaque c.

277 „Parata ad mortem propter damnum (si modo ego plectar)". Ablativus est causae moventis.

278 *Incurrent* coni. Burm., non opus; *gladiis* sc. nostris.

280 *Velle* i. q. desiderium. Sic iam ante Ovidium (Heitland p. CVI), nempe apud Plautum et Catonem. Vid. Kuehner Synt. § 123 d.

281 Copula omissa; *passus* (est) verbum primarium est, unde *deflagrare* et *languescere* pendent.

283 „Miscendae copia mortis" Grotius praefert tanquam efficacius, coll. VII. 101, recte spretus; recepit tamen Burm. Libro VII l. l. id quod durum est in dictione, mitigatur opposito; isti, inquit Pompeius, nunc eo redacti inopia, ut procul ab hoste *soli* moriantur, quam mallent *permiscere* mortes in proelio!

285 Haec comparatio per *ut*, nulla nova sequente apodosi, superioribus adhaeret. Cf. I. 118, II. 665, 715, IV. 724. Est autem bipartita: „ut pectora saucia gestant — cutem" unum, „(contra) si conscius — adligat torpor" alterum membrum constituunt. — *Conamen*, impetus, intentio iuvatur sanguine.

286 *nobile* Damsté, sed *conamen* sic non satis definitum videtur.

288 *Adducere* est contrahere (cutem, simm.), *inducere* superinicere. Adducit cutem macies (Ov. Metam. III. 397), sitis adducit artus (Verg. Georg. III. 483), sed ossa quomodo id faciant, non clarum; tamen *inducere* pro „*sibi* inducere" videtur sine exemplo. Cortius laudat Quinct. Decl. 5 (?) „haeret adstricta nudatis ossibus cutis". De nudis ossibus agitur, quae sibi adducunt cutem, aut adstrictam attrahunt, satis mire. Et praefero etiam sine exemplo *induxere*, collato *ducere colorem* et simm.

289 Bentleius: „rectius *manum*". Lectio codicis T *tenuique*, manifesto nata ex *manu*, confirmat *manum* (*manū*). Desidero exemplum ubi de *uno* homine tela ministrante pluralis usurpetur. Victoris mentio facta ut comparatio plenior esset; victor ille significat Caesarem.

291 Stat, ut saepe, in vestigiis patrui. Sen. Epist. 56. 12 „deinde cum represso sanguine sicci vulneris dolor cresceret". Similia Epist. 85. 29. Malim versum abesse; onerat nimis sententiam.

Nec solum rutris durisque ligonibus arva,
Sed gladiis fodere suis; puteusque cavati
Montis ad inrigui premitur fastigia campi.
Non se tam penitus, tam longe luce relicta
Merserit Asturii scrutator pallidus auri.
Non tamen aut tectis sonuerunt cursibus amnes,
Aut micuere novi percusso pumice fontes,
Antra neque exiguo stillant sudantia rore,
Aut inpulsa levi turbatur glarea vena.
Tunc exhausta super multo sudore iuventus
Extrahitur, duris silicum lassata metallis.
Quoque minus siccos possent tolerare vapores,
Quaesitae fecistis aquae. Nec languida fessi
Corpora sustentant epulis, mensasque perosi
Auxilium fecere famem. Si mollius arvum
Prodidit humorem, pinguis manus utraque glebas
Exprimit ora super. Nigro si turbida limo
Conluvies inmunda iacet, cadit omnis in haustus
Certatim obscaenos miles, moriensque recepit

**295** puteosque A, **296** ad — campi l. lib. Gloss. Cod. S. Gall. 905 f 344r, premït SGall, non rigui $M_1$, ad rigui $A_1$, exigui a, dirigui T, **298** assirii MUG, asirii A, assurii V, **299** tecti G, **300** miscuere $M_1$, punice T, **301** neque (*alii*: nec) MAV, **303** sic mATgB, simul G, **304** medullis $V_1$ (1 m. corr.), **305** tol.erare M, siccos possint $G_1$, possent siccos rell. vulgo, **307** susten-tant M, **311** congluvies T, inmota O vulgo, haust*us* M, **312** moriensque — aquas (3.13) l. Lact. ad Stat. Theb. IV. 757.

294 Pulcram Heinsii coniecturam *rutris* Advers. p. 135 (ubi scriptores militares affert) recepi; *rastrum* est instrumentum rusticum ad terram aequandam subigendamve aut frangendas glebas; *quadridentes* memorat Cato R. R. X. 3; *rutrum*, etiam in re metallica, ad puteum fodiendum utile, unde *rutramina* in lege Metalli Vipascensis 45, eruta terra cum scaureis, memorata et *rutabulum*; rastri *radunt* terram, rutrum *eruit*. *Rutra* habebant milites Liv. XXVIII. 45. 17, puta ad terram castris effodiendam, et nunc militi praesto erant. Alia Heins. ad Fast. IV. 843.

295 Puteus *premitur* i. q. demittitur, excavatur, usque ad fastigia („*niveau*") campi irrigui. *Fastigium* sic usurpatum frequens apud Varronem R. R. veluti I. 6. 2 et 5, I. 14. 2, I. 19. 5. Ordo verborum: puteusque montis cavati premitur ad fastigia campi inrigui.

298 *Asturii* post Dausquium et Barthium Heins. ad Sil. III. 335. Sil. I. 231: „Astur avarus | visceribus lacerae telluris mergitur imis | et redit infelix effosso concolor auro" cf. *pallidus*. et VII. 755.

303 *Superfuso* Guyet. *Super* iungendum cum *extrahitur*; cf. *superenatat* supra 113, et alia bicomposita, in quibus *super* i. q. in superficie.

304 *Medullis* Cortius refutatus a Burm. *Metallis* pro abstracto verbali est.

305 Eo minus aestum subterraneum poterant tolerare, quod perpetuo aquam cogitabant. — Siccos possent" (hoc ordine) Bentl., Cortius.

310 *Pigro* Heins.

311 „*Immunda* iacet" (quod olim mihi quoque in mentem venit) Bentl., *inmota* otiosum est; „colluvies iacens" semper est immota.

Quas nollet victurus aquas, rituque ferarum
Distentas siccant pecudes, et lacte negato
Sordidus exhausto sorbetur ab ubere sanguis.
Tunc herbas frondesque terunt, et rore madentis
Destringunt ramos, ac si quos palmite crudo
Arboris aut tenera succos pressere medulla.
O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
Fontibus inmixto stravit per rura veneno.
Hos licet in fluvios saniem tabemque ferarum,
Pallida Dictaeis, Caesar, nascentia saxis
Infundas aconita palam, Romana iuventus
Non decepta bibet. Torrentur viscera flamma,
Oraque sicca rigent squamosis aspera linguis.
Iam marcent venae, nulloque humore rigatus
Aeris alternos angustat pulmo meatus,
Rescissoque nocent suspiria dura palato;
Pandunt ora tamen, nociturumque aera captant,
Exoptant imbres, quorum modo cuncta natabant
Inpulsu, et siccis voltus in nubibus haerent.

**314** dist. sicc. pec. l. Acro epod. 2. 46, distensas AG, siccantur $R_1$, **315** sordibus U (-dus u), **316** erbos $U_1$, nunc g, **317** distringunt MAB, quis A (quos a) $BU_1$, et si G, cc si quos R, **318** tenerae $A_1$RG (-a g) VB, medullae VRg, arboris *aut tene*ra M, **319** quod T, **323** in tumidas T, **325** linquis $U_1$, **328** p*ala*to M, **329** ora siti MABE, nocturnumque O vulgo, **330** natarant c, expectant O vulgo, **331** *h*aerent M.

313 *Victurus* si credidisset victurum se esse; nunc non erat (ex ipsius opinione) victurus et propterea non cavebat a noxio potu. Sententia est absona, usus participii non abnormis. Cf. Heitland p. CVI.

317 *Stringere* proprium vocabulum est de frondibus abscidendis, et sic *destringere*, non *distringere*.

318 Bentleius ludit: „*sambuci* aut tenera". Aliud ulcus subest; propono: „ac succos palmite crudo | arboris aut tenera si quos pressere medulla". In vulgata per *si quos* structura continuatur sub eodem verbo *destringunt*, quod cum nemo admittat facile, carent verbo; sed optime: ac succos palmite pressere aut, si quos, tenera medulla (pressere). Constructio nota et ratio corruptelae in promtu. *Si quos*, *sicos* cf. I. 375 *cocumque*, *quocunque* in M.

322 *Dictaeis* dubium, quod Creta venenis non fuit famosa. Multa tentat Burmannus, iure tamen „reprimit manum". Schrad.: „pallida*que Aeaeis*" incertum, ut alia, sed propter sententiam commendandum.

324 „Non decepta" i. q. non recusans venenum.

328—331 spurii Guyeto iudice.

329 *Nocturnumque* vulgo. *Nociturum* Dorvillius e coni. Nempe de pluvia expectata agitur (cf. seqq.), non de nocturnis vaporibus; si quae guttae de caelo cadebant, hianti ore excipiebant; optime quoque superiora v. 328 explicantur. *Nociturum* etiam Bentl. Contra Hosius p. XXVIII. – *Siti* frustra explicat Dorv. „aeri sitim inducenti", sed est memorabile exemplum glossematis quod veram lectionem expulit in his antiquioribus codd. *Expectant* perquam languet; *exoptant*, mutatione paene nulla, Bentleii est, nempe quos modo odorant et exsecrati erant.

Quoque magis miseros undae ieiunia solvant:
Non super arentem Meroen Cancrique sub axe,
Qua nudi Garamantes arant, sedere, sed inter
Stagnantem Sicorim et rapidum deprensus Iberum
Spectat vicinos sitiens exercitus amnis.
Iam domiti cessere duces, pacisque petendae
Auctor damnatis supplex Afranius armis,
Semianimis in castra trahens hostilia turmas,
Victoris stetit ante pedes. Servata precanti
Maiestas, non fracta malis, interque priorem
Fortunam casusque novos gerit omnia victi,
Sed ducis, et veniam securo pectore poscit:
„Si me degeneri stravissent fata sub hoste,
Non deerat fortis rapiendo dextera leto;
At nunc sola mihi est orandae causa salutis
Dignum donanda, Caesar, te credere vita.
Non partis studiis agimur, nec sumpsimus arma
Consiliis inimica tuis. Nos denique bellum
Invenit civile duces, causaeque priori,
Dum potuit, servata fides. Nil fata moramur;
Tradimus Hesperias gentes, aperimus Eoas,
Securumque orbis patimur post terga relicti.
Nec cruor effusus campis tibi bella peregit,

**332** unde C, **334** garamant*es* M, qua nudi garam.om. A i add. a, duvi T, **335** siccorim U, depressus G, stangantem T, **336** sciens T, **337** dom*iti ces*sere M, **339** seminimes $V_1$, **342** geret $M_1$A, novos *altera* o *e corr.* AB, **345** capiendo U, **346** a*t* M, nunc causa m. e. or. sola MRG, nunc causa m. e. or. magna A (*vulg. rest.* a)B, **348** sumimus G, **351** morantur T, **352** eos $M_1$, asperrimus A (aperimus a)B, **353** orbes $M_1$, p*ost te*rga M.

332 *Miseris* Heins. teste Burm., qui recte animadvertit tunc requiri *minus* pro *magis.* Coniunctivus non est sollicitandus, etsi sententia est: idque quo ieiunia magis solvunt (debilitant), est hoc: non super, rell. Post *solvant* exigua pausa in pronuntiando facienda est. Diversum sed forma quodammodo simile *quo minus* supra 305.

339, sqq. Oratio e Livio petita, cf. ad 354; inde explicandum, quod aequabili tenore nec desultorie, ut in aliis sermonibus, sententiae decurrunt.

345 *Capiendo* praefert Bentleius, provocans ad I. 461 „animi capaces mortis", at id ipsum dubium.

346 A codd. si ubique standum esset, alter ordo *causa — sola* esset praeferendus, sed qui nunc est etiam invitis codd. esset restituendus, quoniam emphasin habet *sola.* Nititur ordo receptus Vossianis. *Credere* i. q. quod te credo, cf. ad 280. Dignum, a quo vitae beneficium accipiam (tu is es, cui vir bonus lubenter se obligatum sentiat). Haeret Burm.

353 „Securum *te*" tersa oratio requireret: neglegentia haec videtur Lucano adscribi posse.

354 Commentum: „Livius [lib. CX]: et duces (= habebis) ulli usui in bello milites, per quos tibi licuit sine sanguine vincere?

Nec ferrum lassaeque manus. Hoc hostibus unum,
Quod vincas, ignosce tuis. Nec magna petuntur:
Otia des fessis, vitam patiaris inermis
Degere, quam tribuas; campis prostrata iacere
Agmina nostra putes; neque enim felicibus armis
Misceri damnata decet, partemque triumphi
Captos ferre tui; turba haec sua fata peregit.
Hoc petimus, victos ne tecum vincere cogas."
Dixerat, at Caesar facilis voltuque serenus
Flectitur, atque usum belli poenamque remittit.
Ut primum iustae placuerunt foedera pacis,
Incustoditos decurrit miles ad amnis;
Incumbit rivis, permissaque flumina turbat.
Continuus multis subitarum tractus aquarum,
[Aera non passus vacuis discurrere venis,]

**357** *da* M, victis UV (*in ras.*), defessis GT, inermim M, inermem AG (*e corr*), inermes VU, **358** tribuis O vulgo, **362** victos M, *versum bis ponit* A, tectum $A^2R_1$, cogi $A^2$, **363** at caesar — serenus l. Lact. ad Stat. Theb. II. 655, caesar facilis (hoc ord.) Lact., vultum mentemque serenus Lact., **364** usus MV, usum m, visum T, **367** incubuit G, incumbunt R, turbant R, ripis O vulgo, **368** continuus — animam (370) l. Eutyches V. 483. 24 K, **369** decurrere U, (discurrere u), *versum uncinis saepsit editor.*

quod Caesari pulcrum est petimus: quibus armatis pepercisti, deditis consulas."

356 „Hoc unum remitte hostibus quod tibi opportunitatem (armis) vincendi demunt, remitte, quod armis non vincas. (noli armis nos vincere). Cf. 364 „atque usum belli poenamque remittit" de Caesaris responso. *Ignoscere* nove dictum. Haskins: „pardon thy enemies this solitary crime — that thou art conqueror". Languida sententia. Nolunt rursus ad arma compelli et Caesarem gloria belli cumulare. Attende ad coniunctivum *vincas*, nempe si resistamus.

357 Ut *defessis* explicet Burm. sine causa: „otia *defessos*, vitam patiaris inermes | degere" *Tribuas* (358) Heins., quem secutus sum, cf. *vincas* 356. Nondum dederat Caesar.

361 Captos, nos si tecum bellum gesserimus.

362 „Victos tecum ne" Bentl., recte si offendere voluissent Caesarem.

364 *Usus*, pluralis, placet Bentleio. Si sententia esset: „ut utantur bello", perinde esset, cf. IX. 905. Interpretandum tamen: morem militiae, ut pro victis habeantur, et victorem sequantur. Non convenit Sil. XI. 607, ubi „belli usus" i. q. necessaria belli.

365 *Iussae* Heins. Advv. p. 261, quod non optime convenit cum *placuere.*

367 *Rivis* Bentl. comparans Stat. Theb. IV. 318 in siti „incubuere vadis". Idem incum*bunt, turbant* ex cod. Trinitatis. Ad *rivis* cf. Curtius IV. 16. 12 „omnibus rivis prostraverant corpora praeterfluentem aquam hianti ore captantes". Et ad totum locum Curtius VII 5. 15 „sed qui intemperantius hauserant intercluso spiritu extincti sunt". *Intercludere* pro quo h. l. *clausit* (370) vocabulum proprium, Lucr. VI. I. 265 „corpora — strata iacebant | interclusa anima nimia ab dulcedine aquarum". Liv. XXIII. 7. 3 „aestu anima interclusa — expirarent", Tac. A. VI. 50. Hoc loco non de suffocatis agitur, ut seqq. docent: perstant bibendo, et mox „robora rediere viris". Is qui me iudice interpolavit versum 369 suo modo interpretatus est „*inter*cludere animam", quasi de anima (aere) inclusa venis et sic fatali ageretur; non discurrebat, inquit, anima per vacuas venas sed constipabatur. „*Moris* egens" Bentl. (371); ut morbus caducus, morbus intercus, sic morbus egens, i. q. eius qui eget sive indigentiae.

Artavit clausitque animam; nec fervida pestis
Cedit adhuc, sed morbus egens iam gurgite plenis
Visceribus sibi poscit aquas. Mox robora nervis
Et vires rediere viris. O prodiga rerum
Luxuries, numquam parvo contenta paratis,
Et quaesitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, et lautae gloria mensae,
Discite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Non erigit aegros
Nobilis ignoto diffusus consule Bacchus,
Non auro murraque bibunt, sed gurgite puro
Vita redit. Satis est populis fluviusque Ceresque.
Heu miseri, qui bella gerunt! Tunc arma relinquens
Victori miles spoliato pectore tutus
Innocuusque suas curarum liber in urbes
Spargitur. O quantum donata pace potitos
Excussis umquam ferrum vibrasse lacertis
Poenituit, tolerasse sitim, frustraque rogasse
Prospera bella deos. Nempe usis Marte secundo
Tot dubiae restant acies, tot in orbe labores;
Ut numquam fortuna labet successibus anceps,
Vincendum totiens, terras fundendus in omnis
Est cruor, et Caesar per tot sua fata sequendus.

**370** clusitque AGE. amnem Eut. **372** sibi cepit MRc coepit VG querit m (*rec. m*), poscit mUvAgBE, **374** paratis A (*m.* 2 paratu *in marg.*) VGC, paratu *rell. vulgo*, **376** lutae $M_1$, **378** agros $M_1$, egerit A (erigit a), **379** bachis R. (s. s. u), **380** sic gurgite — redit, (381) l. Lact. Theb. V. 4, sed M, murraque MAVUGR (*sine* h), murrave g, gemmave u (Stht.), **382** quod bella AB, quid T, **383** *inter versus ant. m. add.* U, **384** ad urbes G, **385** petitos T, **386** vibrasse O, (librasse g), inquam T, **387** sit*i*m (i *altera in ras.* 2 *litt.*) M, **388** usi $A_1$, **390** *fortuna* M, **391** vincendum st $M_1$ (s. s. ·/. ē), *toties* M.

372 „*Cepit* aquas" probat Heins. Advv. 136, sq., nec improbat Hosius JJ. 1893 p. 343, sed *capere* hac sententia positum (fassen, ertragen) non admittit dativum *sibi*. „Gurges" aqua cf. 380.

373 „Rediere *animis*" Markl. ad Stat. Silv. III. 1. 90. Hunc et sqq. versus usque ad 382 („o prodiga — gerunt") proscribit A. Schaefer, diss. p. 20—23. Haesit iam Burm., sed merito Lucano haec adscripsit.

374 „Parvo *paratis*" probat Heins.; *parvo paratis* non intellegebant librarii et accommodabant: *paratu*.

375 Contra J. Obermeierum „Sprachgebrauch des Luc." p. 50 genetivum *quaesitorum* (i. e. exquisitorum) ab *ambitiosa* (= ambiens) pendere puto, quocum iungo „terra pelagoque".

377 Plane aliena ab h. l. γνώμη, ambitiosum ornamentum; captat opportunitatem declamandi.

380 „Murrha*ve*" probat Bentl. moris Annaeani oblitus. „Gurges" cf. 371.

386 „Excussis lacertis" cf III. 567.

Felix, qui potuit mundi nutante ruina
Quo iaceat iam scire loco. Non proelia fessos
Ulla vocant, certos non rumpunt classica somnos;
Iam coniunx natique rudes et sordida tecta
Et non deductos recipit sua terra colonos.
Hoc quoque securis oneris fortuna remisit,
Sollicitus menti quod abest favor: ille salutis
Est auctor, dux ille fuit. Sic proelia soli
Felices nullo spectant civilia voto.
  Non eadem belli totum fortuna per orbem
Constitit: in partes aliquid sed Caesaris ausa est,
Qua maris Hadriaci longas ferit unda Salonas,
Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader.
Illic, bellaci confisus gente Curictum,

**393** natante $U_1$, **394** fessas $A_1$, **396** coniuncx M, **397** diductos VRg, repetit G, **399** pavor aV (favor v) RT, **405** im $M_1$, immoles A (margo: molles), tepidus V, [in] V, discurrit R, hiades G, **406** illinc $M_1$, illac m, curitum G, curetum (corr. ex curictum) M, corectum V.

393 „Mundi nutante ruina" (i. q. mundo per ruinam nutante), verba Stoica (de mundi conflagratione) adhibuit ad imp. Rom. discrimen, ut Hebraei sui capitis interitum confundunt cum mundi interitu.

394 *Lateat* coni. Burm., non male ut Veianius ille apud Hor. armis positis „latet abditus agro", sed notionem quietis fortiter per *iaceat* expressit. ut miles ille apud Xenophontem Anab. V. 1. 2 post labores nihil potius optat quam ἐκταθεὶς εἰς τὴν πατρίδα ἀφικέσθαι. De sepultura noli intellegere.

396 Ad *sordida* cf. Verg. Ecl. II. 28 „o tantum libeat mecum tibi sordida rura atque humilis habitare casas."

397 *Repetit* Burmannus elegantius putat. Aptius ad *tecta* et *terra* est *recipit*, quod per zeugma etiam accommodatum est subiectis *coniunx* et *nati* pro excipit.

398 Cf. Gronovius Diatr. Statiana II. 7 p. 126 (p. 219 Hand). *Favor*, non *pavor*, paene postulatur epitheto *sollicitus*. Sententia: „quod in suam terram reduces nemini gratiam debent (ut debent coloni deducti beneficio aliquo)." *Menti*: perpetuo animum explet aucupium favoris beneficio affectis. „Hoc oneris" iungendum, ut Handius et Burm. ostendunt.

399 Exsequitur superiora; neutri se emanciparunt, *ille*, Caesar, salutem dedit, *ille* alter, Pompeius, dux fuit; dum utriusque sunt, sunt neutrius.

402 sqq. Apud Caesarem huius eventi historia excidit inter c. 8 et 9 libri III. Schol. Voss. apud Weberum: „sciendum secundum Iul. Celsum [i. e. I. Caesarem], quod Caesar habuit a principio tres provincias, scil. Galliam Cisalpinam, Transalpinam et Illyricum. Ad Illyricum miserat duces Antonium et Basilum [MS. *Basilium* h. l. et infra] ad occupandas fauces maris Adriaci, et semotim castra metati sunt, Antonius in Illyricum (l. littore Curictum?) et Basilus prope Iadrum". Lucanum ob oculos habuit Florus II. 13 p. 97 Jahn (IV. 2. 30 D) „aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricam et Africam oram", rell. ubi pro Antonio Dolabella nominatur. Antonii militumque deditionem ad Curictum memorat Caesar c. 10. 5, cf. Orosius VI. 15. 8, unde scimus Dolabellam ad Antonium fugisse, cf. Comm. ad 483.

404 *Longas* malim late extentas in littore quam remotas interpretari. Cf. Haskins.

406 *Illic* in Illyrico, nam Curictum sive insula sive littus, Salonae et Iader non exiguo spatio separantur. Curictae (Currictae Plin. III. 139) in angulo boreali Adriatici habitant, Iader et Salonae meridiem versus aliquot dierum itinere remota. Iader Lucano fluvius est, reliquis auctoribus urbs. —

Quos alit Hadriaco tellus circumflua ponto,
Clauditur extrema residens Antonius ora,
Cautus ab incursu belli, si sola recedat,
Expugnat quae tuta, fames. Non pabula tellus
Pascendis submittit equis, non proserit ullam
Flava Ceres segetem; spoliarat gramine campum
Miles, et adtonso miseris iam dentibus arvo
Castrorum siccas de caespite volserat herbas.
Ut primum adversae socios in littore terrae
Et Basilum videre ducem, nova furta per aequor
Exquisita fugae. Neque enim de more carinas
Extendunt, puppisque levant, sed firma gerendis
Molibus insolito contexunt robora ductu.
Namque ratem vacuae sustentant undique cuppae,
Quarum porrectis series constricta catenis
Ordinibus geminis obliquas excipit alnos.
Nec gerit expositum telis in fronte patenti
Remigium, sed quod trabibus circumdedit aequor,

**407** quos tenet V (alit v), **408** resedens A, extremis U (a u) g, oris U (a u) g, **411** proserit s *in ras.* 2 *litt*) M, **412** spoliavit g' *rell*: spoliabat *sic vulgo*, **414** l. Prisc. 526, 26 H, **414**, **416**, **415** $A_1$ (416 *loco suo restituit* a), **419** mollibus A (molibus a) **420** *cupae* MAU, cuppae VG, culpae T, **423** egerit a, **424** ratibus a.

*Confisus* rell. haec sic supplenda: et deceptus ab iis, eo quod confidebat, claudebatur; ex insula (446) aut peninsula in continentem effugere non poterant, intercluserant Curictae eos et Basilum, quem in adverso littore adspicere poterant sed non nisi per mare attingere. Aestuaria (428) eos a continente separant. Peninsulam fuisse, quae, ut fit, altiore mari separaretur a continente, fidem facit quod equi adsunt. — „Proserit" i. q. emittit; de *serere* cf. ad II. 543 et V. 598, IX. 438, al.

412 *Spoliarat* pro *spoliabat* Guyetus, Bentleius, ut paulo post *volserat*, quod metro tutum erat; non *erant* pabula, non *erat* frumentum, non gramen, nam id *spoliarat* miles (e campis) et tum quod in aridis caespitibus castrorum supererat *vulserat*. *Mulus* pro *miles* Dee., diss. Leid. 1891.

414 *Volserat* quod minus rectum pro *vellerat* dicit Burm. confirmat Prisc. l. l.

415 Non probandum videtur, quod Weisius Dolabellam hic admovet sine auctore; nam sic Basilum potuisset L. omittere.

417 „De more", nempe longas, sive in longum, extendunt vulgo carinas, nunc asseres, loco carinae, obliqui sive in latitudinem porrecti, fundus sunt navis, „Insolito *ductu*", directione, ut nos dicimus. *Ducere* de eo quod aequabiliter extenditur usitatum est, ut „murum" simm. Puppes et prorae in antiqua navi exstant, inde *levare* i. q. „erigere".

420 Simile inventum Maximini ad flumen traiciendum memorat Grotius, cf. Iulius Capitolinus, in Maximinis c. 22 med.: „ponte cupis facto fluvium transiit" et Herodianus VIII. 4. 9, sqq. — *Nam cratem* Heins. docte defensum Advv. p. 401. sed sine causa.

421 „Ordines gemini" sunt cuparum non alnorum. *Tortilibus* pro *porrectis* Heins. teste Burmanno.

424 „Remigium" i. q. remiges ut „nos remigium vitiosum Ulixi" ap. Hor. al. „Sed", rell. explica: sed (remigium) ferit hoc aequor (i. e. eam aquam marinam), quod trabibus circumdedit (cinxit, remigium h. l. et in proxx. subiect.), et praebet miracula cursūs, quod (quia), rell. In mediis illis ratibus erant aperturae, per quas remos vel trabes agebant, quibus pro-

Hoc ferit, et taciti praebet miracula cursus,
Quod nec vela ferat, nec apertas verberet undas.
Tunc freta servantur, dum se declivibus undis
Aestus agat, refluoque mari nudentur arenae.
Iamque relabenti crescebant littora ponto;
Missa ratis prono defertur lapsa profundo,
Et geminae comites. Cunctas super ardua turris
Eminet, et tremulis tabulata minantia pinnis.
Noluit Illyricae custos Octavius undae
Confestim tentare ratem, celeresque carinas
Continuit, cursu crescat dum praeda secundo,
Et temere ingressos repetendum invitat ad aequor
Pace maris. Sic dum pavidos formidine cervos
Claudat odoratae metuentis aera pinnae,
Aut dum dispositis adtollat retia varis
Venator, tenet ora levis clamosa Molossi,

**425** hac taciti A (et a) ac BT, **426** verberat R (verberet r), **427** decli*v*ibus (*v* e corr. rec.) M, declinibus u, cum gR, **428** agrat A, **431** turres U, cunctasque T, **432** pennis $U_1$, **434** *ra*tem M, celerisque V, **436** repetundum G (s. s. e), **440** clamore molosi G.

pellerentur navigia; sane „miraculum"; sic explicatur „apertas undas", feriebant undas sed non conspicuas; apertura erat inter geminos ordines cuparum (v. 421). *Trabibus* abl. est 424. Hoc tantum dubium, num *aequor* sit nominativus (id, quod aequor circumdedit) an accusativus (ut subiectum sit *remigium* vel *dux*). Alterum praestat. *Hoc* postpositum antecedens est relativi.

427 „Freta servantur, dum se – agat" observatur tempus, quo aestus decrescit. *Servare* i. q. observare, gr. *τηρεῖν*, ut in „servare de caelo". Quod in universum dicitur „freta servantur" per epexegesin (*dum*, sqq.) illustratur. „Se agere" i. q. moveri. *Declinis* non exstitisse videtur (nam Stat. Theb. V. 297 *declivis* est restituendum), et est absurda compositio, quod comparatio *τοῦ acclinis* docebit = corpore contra aliquam rem nisus firmamentum quaerens. De clivo littoris cessante aestu quasi rotantur in altum fluctus. *Relabenti* est dativus comm.

431 „*Iunctas* super" Heins. p. 137, non recte, cf. v. 452, sq. Si *iunctas* nihil sibi vult quam *propinquas,* abundat; positum est autem *cunctis* pro „omnibus s. singulis". Tabulata pinnis, ne quis transscenderet, instructa tegebant remiges. Ceterum v. 430 „prono profundo" iungendum tam cum *missa* quam cum *lapsa* cf. V. 694.

434 *Celeresque* s. s. in M: „sed" (vulgari compendio). „Crescat", rell. ut secunda et tertia ratis primae accederent. Apparet ad suas naves accedere non potuisse Octavium, propter brevia et aestuaria, ut videtur; ceteroquin catenae (451) nullius usus fuissent.

437 „Pace maris" dum nihil hostile ostendit. Ad *formidine* G s. s.: indagine.

438 *Aer* i. q. odor, cf. X. 167 „cinnamon externa nec perdidit aera terra;" odoratae ex pennis ustulatis, cf. intpp. ad Grat. 80.

439 *Vari* sunt furcae bicornes ex quibus retia nectuntur, cf. Vlitius ad Gratii Cyneg. 87, ubi *ancones* vocantur. „Adtollat", nempe funis, quo retia suspenduntur, per brachia bicipitis vari adducitur.

440 Cohibet latratum et impetum. Molossi ad venationem adhibiti Stat. Ach. I. 747 „muto legit arva Molosso | venator videat donec sub frondibus hostem". Eadem genera canum Seneca Hipp. 32, sqq. cf. Thyest. 497. – „Presso rostro" cf. Sil. X. 77 „tacitoque premens vestigia rostro."

Spartanos Cretasque ligat, nec creditur ulli
Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro
Colligit et praeda nescit latrare reperta,
Contentus tremulo monstrasse cubilia loro.
Nec mora; conplentur moles, avideque petitis
Insula deseritur ratibus, quo tempore primas
Inpedit ad noctem iam lux extrema tenebras.
At Pompeianus fraudes innectere ponto
Antiqua parat arte Cilix, passusque vacare
Summa freti, medio suspendit vincula ponto
Et laxe fluitare sinit, religatque catenas
Rupis ab Illyricae scopulis. Nec prima, nec illa,
Quae sequitur, tardata ratis; sed tertia moles
Haesit, et ad cautes adducto fune secuta est.
Inpendent cava saxa mari, ruituraque semper
Stat, mirum, moles, et silvis aequor inumbrat.
Huc fractas Aquilone rates submersaque pontus

**444** laxasse ug (2ª m.). lustrasse G, monstrasse g (1ª m.), **445** mor*a* M, **446** quo — tenebras (447) l. Prisc. II. 278. 20 H et II. 297. 6, **447** impe.dit *corr. in*: impetit A (impedit a *marg.*). impulit U, **450** freta $U_1$, **451** laxe MAVURTgB, laxas G, **454** abducto R, **455** ruitura — moles (456) l. Prisc. 505. 13 H. et 559. 14 H.

443 „Nescit latrare" i. q. scit *non* latrare, latratum cohibere. Loro tantum, quo tenetur, moto significat feram investigatam.

447 Supra *impedit* V: „impellit, incipit". Grotius *impulit*, Bentleius *impedit* „h. e. detinet, tardat, demoratur" et sic Prisc. interpretatur (ἐμποδίζει), Heins.: *impulit* aut *tenditur*. Hosius tentaverat *temperat*. *Impedit* Gronovius Diatr. Stat. c. 48 p. 320 (495 Hand) explicat „implicat, detinet, miscet" adhibens Stat. IX. 592 „et viridem ferri nitor impedit umbram", longe diversum, sententia Statii est: ferrum tam splendebat, ut illustraret umbram arborum, sive impediret ne offuscarent locum arbores. Sententia manifesto requiritur: cohibet, densat, condensat. Id novo vocabulo significasse mihi videtur. *Impedire* *συμποδίζειν* potius quam ἐμπ., inde (varia) retinere, colligere. Non maiore audacia quam alia significatione „caput impedire myrto" Hor. I. 4. 10, i.e. vincire. Sol *mutat* umbras Hor. III. 6. 42, vesper cohibet, conglomerat. *Impe'it* alienum. Cf. ad VI. 223.

449 Schol. Voss. ad 402, ex Livio, ut videtur: „Octavius pirata Cilix, devictus olim a Pompeio, venit ad has (Pompeii) partes cum maxima classe et illos deduxit ad magnam extremitatem, et potissime Antonium". At M. Octavius, quem rerum scriptores memorant, qui aº 704/50 aedilis curulis fuit, per aetatem in bello piratico aº 687/67 non potuit notabiles partes habere. Fortasse antiquus aliquis a Pompeio olim in illa ora collocatus pirata (cf. ad II. 579) arma cepit pro Pompeio et Octavio strategema monstravit. Utique errores, qui huic relationi admixti sunt, non possunt Livii esse, cf. Periocha l. CX Florus II. 13 p. 97 Jahn, (IV. 2 82 D.), qui missas a Basilo rates dicit, in reliquis convenit cum Lucano. „Summa freti" = extrema angustiarum, mediis impendebat rupes v. 455, quo versu situs loci ἐπεξηγητικῶς illustratur. Ab illa rupe clam demittunt catenas in locum medium inter insulam et continentem.

451 *Laxe* recte Oudend.; *vincula* (funes) laxe fluitabant, non catenae, quae laxe per aestuarium delatis funibus annectebantur et trahebantur in locum angustiis constitutum.

454 „Secuta est" sc. funem. Adducere, *inpalmen*.

Corpora saepe tulit, caecisque abscondit in antris;
Restituit raptus tectum mare, cumque cavernae
Evomuere fretum, contorti verticis undae
Tauromenitanam vincunt fervore Charybdim.
Hic Opiterginis moles onerata colonis
Constitit; hanc omni puppes statione solutae
Circueunt; alii rupes ac littora conplent.
Volteius tectas sensit sub gurgite fraudes;
Dux erat ille ratis, frustra qui vincula ferri
Rumpere conatus poscit spe proelia nulla,
Incertus qua terga daret, qua pectora bello.
Hoc tamen in casu, quantum deprensa valebat,
Effecit virtus: inter tot milia captae
Circumfusa rati et plenam vix inde cohortem
Pugna fuit, non longa quidem, nam condidit umbra
Nox lucem dubiam, pacemque habuere tenebrae.
  Tunc sic adtonitam venturaque fata paventem
Rexit magnanima Volteius voce cohortem:

**458** ca.sisq; A, caesisque B, caessisque c, **459** *tec*tum (tec *in ras 6 litt.*) M, **460** evomuere... fretum M, verticis OR *et sic plerumque* (*non* vort.), **461** karybdim M, carybdim (rib) AVURG, taurominitanam aVT, **462** opet.erginis A (opit a), **464** circumeunt MAG, aliae $G_1$, **465** sen*sit* M, sentit U (Stht.) *gurgite fr*audes M, de $U_1$ tacitas O vulgo, **466** rates A (ratis a), ferri VRg, ferro *rell. et vulgo*, **469** de*pr*ensa M, dep̄sa $A_1$, **471** [et] R, **472** condidit umbra ORT, iam U, **473** dubiam lucem R.

458 A et c monstrant variam lect.: *cassisque.*

459 Inepte scholion in V „raptus est ea quae rapit et melius *ruptus* quam *raptus* legendum est" nisi vero *rupes* pro *ruptus* in schol. scribendum. *Rupes* coni. Grotius, sed in 2a ed. revocavit, *raptus* (= rapinas) restituens. „*Rapto* tectum" Handius ad Gron. Diatr. Stat. p. 182. „Bentleius si versum hunc fecisset, dedisset „*iustum* mare". „Tectum mare" est cui scopuli imminent, in quo miror haesisse Handium, cum caeca antra et cavernae in proximis memorentur.

465 *Tectas* correxi, iuxta *sub gurgite* paene necessarium, quis loquitur sub gurgite? Nec quidquam huc facit „tacitum vivit sub pectore volnus", Aen. IV. 67. Dido poterat eloqui dolorem.

466 Vulgo „dux—ratis" parenthesi includitur, sed tolerabilior est iunctura per *qui* cum *dux* quam cum *Volteius*. „Ferri vincula" apte catenae dicuntur; *ferro* vulgo lectum absurdum est, an tentavit gladio rumpere catenas?

468 *Daret* non est deliberativus (ex *dem*) sed modus obliquus ex *dabat*, nesciebat, undique cinctus, ubi frons, ubi tergum hostium undique circumstantium esset. Nesciebat quando se opponeret aut averteret ab hoste. *Bellum* ut saepius acies.

471 „Inde" ab altera parte. „Plenam vix cohortem" Florus l. l. „vix mille iuvenum manus."

472 „Umbra | *mox* lucem" Heins. *Umbra* rest. Oudend., in Argentinensi est *atra* (Regius rec. et Ox. pro var. lect.), unde Burm. et Weis. et alii *atra*, quod merito reicit Bentleius. Per crepusculum etiam pugnatum est, sed eam lucem dubiam condidit nox sua umbra.

475 *Magnanimam erexit* Heins. Advv. p. 138, antea etiam *flexit*. „Erexit magna V. voce cohortem" Schrader probante Jee-

„Libera non ultra parva quam nocte iuventus,
Consulite extremis angusto in tempore rebus.
Vita brevis nulli superest, qui tempus in illa
Quaerendae sibi mortis habet; nec gloria leti
Inferior iuveni est admoto occurrere fato.
Omnibus incerto venturae tempore vitae
Par animi laus est et quos speraveris annos
Prodere et extremae momentum abrumpere lucis,
Accersas dum fata manu. Non cogitur ullus
Velle mori. Fuga nulla patet; stant undique nostris
Intenti cives iugulis; decernite letum,
Et metus omnis abest: cupias quodcumque necesse est.
Non tamen in caeca bellorum nube cadendum est,
Ut cum permixtas acies sua tela tenebris
Involvunt, conferta iacent cum corpora campo,
In medium mors omnis abit, perit obruta virtus.

**476** quam parva $G_1$, **480** occurr*ere fato* M, **482** l. Prisc. 223. 1 H, superaveris T Prisc., annus a, **483** *per*dere M, prodere A, perdere a *c. rell*, **484** accersas MaVU, arcessas A, **485** latet V (s. s. patet), **486** *intenti* M, cives M, **487** ab*est* M, abit AT, abest a *rell*, **489** aut ORT vulgo, permixtas $M_1$ T, -tis *rell vulg.*, **490** involvent AT, conferta AU, conserta, *rell. vulgo*, **491** indomitum $T_1$, medio V *e corr.*

pio. *Flexit* non est aptum, reliquae mutationes nimis magnae. Simplex pro composito verbo saepe Lucanus ut *regere* pro *dirigere* VII 350, 515; pro *erigere* hoc uno loco.

478 „Vita, quae superest, nulli brevis est (satis longa est), si quis sibi mortem consciscere potest". Ergo: „quod consecratis (vita) magnum est". Permanet poeta in morte *iuvenibus* subeunda in sequentibus: iuveni non est gloria inferior quam seni, si mortem avide subeat. Haec sententia est in emendatione Bentleii *iuveni est* pro *iuvenes*, a me recepta. In vulgata *iuvenes* transitur ad genus mortis, relinquitur nota aetatis, quae tamen continuari debet, ut apparet e seqq.

482 Emphasis est in *annos*, verba *quos speraveris* poterant salva sententia omitti; opposita sunt *annos* et *momentum*.

483 *Perdere* (vulgatum) esset amittere, quod excludit proprii arbitrii factum, *prodit* vitam qui sponte abicit. – „Non cogitur" cogimini obire fortasse, sed arbitrium s. voluntas non imponitur. Et velle, ita fere pergit, facilius est, cum mors urgeat.

486 „Intenti *Cilices*" Rutgersius V. L. I. 12 acutius quam verius. „Intenti *en*, cives! iugulis" Heins. nescio cur; Opitergini non erant cives. Alia apud Burm.: „vestris | intenti Cilices iugulis" et „stant undique nostris | intenti iugulis. Cives —". Hoc est vulnus creditum certo vulnere curare. In *Cilices* praeter Rutgersium incidit Bentleius, sed hanc manum e Cilicibus constitisse nemo prodidit et per se incredibile, nec sequitur e v. 449 nec e Floro l. l. ad quem Oudend. provocat. Ubique illud infercit Lucanus *cives* esse, qui pugnent. An: „stat — intentus miles"?

487 „Cupias — est" generalis sententia, ut ex singulari apparet, ad praesentem casum adhibenda.

489 *Ut* Grotius; *commissas* Bentleius, eatenus recte, quod vidit adiectivum cum *acies* iungendum; idem 490 *conferta*. Cf. III. 575; *conserta* omnino hoc loco ferri non potest.

491 Val. Fl. VI. 200: „mixta perit virtus", Liv. VI. 6 fin. „laudem conferentes potius in medium (i. e. in commune) quam ex communi ad se trahentes" faciunt pro *laus* potius quam pro *mors*. Sententia: singulorum (omnis) mortes (cadavera) communi strage admiscentur et proinde in oblivionem abeunt.

Nos in conspicua sociis hostique carina
Constituere dei. Praebebunt aequora testes,
Praebebunt terrae, summis dabit insula saxis:
Spectabunt geminae diverso e littore partes.
Nescio quod nostris magnum et memorabile fatis
Exemplum, Fortuna, paras. Quaecumque per aevom
Exhibuit monumenta fides servataque ferro
Militiae pietas, transibit nostra iuventus.
Namque suis pro te gladiis incumbere, Caesar,
Esse parum scimus, sed non maiora supersunt
Obsessis tanti quae pignora demus amoris.
[Abscidit nostrae multum sors invida laudi,
Quod non cum senibus capti natisque tenemur.]
Indomitos sciat esse viros, timeatque furentis
Et morti facilis animos, et gaudeat hostis
Non plures haesisse ratis. Tentare parabunt
Foederibus turpique volent corrumpere vita.
O utinam, quo plus habeat mors unica famae,
Promittant veniam, iubeant sperare salutem,
Ne nos, cum calido fodiemus viscera ferro,

**495** [e] ARGT, **496** memor*abile fatis* M, **498** monumenta, *supr.* nu *scr*: m U, **499** transisset CMVg, transibit Schol. Berol. ad 574 ap. Weber, mvUAGE, **502** *obsessis tan*ti M, qua u, **503** abscindit M, a nostrae c, fors Prov. UG (M Stht) (sors ug) laudis Prov. UG, (laudi g), **504** te*nemur* M, **505** furentis V, **510** prom*ittant* M, vitam U (veniam u), **511** valido g.

495 Guyeto suspectus: *Diverso* i. q. adverso (proprie: remoto), nempe e continente, adversa insulae; in eodem littore erant duae partes, Octavii et Basili. In insula nunc nemo supererat.

496 „Nescio *quid — exempli*" Heins. teste Burm. Cur *exempli*, non apparet, sed *quid* rectius opinor, modo distinguatur post *quid*: paras nescio quid, certe exemplum.

498 „Quaecunque monumenta exhibuit *militiae pietas*" sancta disciplina militaris, quale est mors Leonidae comitum in Thermopylis, simm. — *Momenta* voluit sine dubio u.

499 *Transisse est* vel *transibis* Heins. Transibit = superabit, ut saepe. Cohaerent haec sic: transibit nostra iuventus, nam damus quod habemus maximum, vitam. Interposita „esse parum scimus" praeparant sequentia.

501 Per attractionem *pignora* tractum est ad membrum relativum: „sed non maiora sunt pignora, quae demus".

503 Qui *abscindit* dedit desiderabat fortius verbum quam *abscidere*; sed praesens illud minus aptum quam perfectum *abscidit* = demsit. Ambigi potest de *laudis*, sed *laudi* utroque pertinet tam ad *invida* quam ad *abscidit*. Sed versus 503 et 504 huc non pertinent; impediunt nexum, sunt tam frigide meditati ut nil supra, denique pugnant ex parte cum v. 562, ubi in mutua caede natus parenti incurrisse dicitur.

509 „Unica" i, e. unice, magis quam ulla consecratio, gloriosa.

511 *Gelido* pro *calido* F. H. Bothe Philol. XI. 4; idem iam Trillerus, refutatus a

Desperasse putent. Magna virtute merendum est,
Caesar ut amissis inter tot milia paucis
Hoc damnum clademque vocet. Dent fata recessum
Emittantque licet, vitare instantia nolim.
Proieci vitam, comites, totusque futurae
Mortis agor stimulis: furor est. Agnoscere solis
Permissum est, quos iam tangit vicinia fati, —
Victurosque dei celant, ut vivere durent, —
Felix esse mori". Sic cunctas sustulit ardor
Nobilium mentes iuvenum: cum sidera caeli
Ante ducis voces oculis humentibus omnes
Adspicerent, flexoque Ursae temone paverent,
Idem, cum fortis animos praecepta subissent,
Optavere diem. Nec segnis mergere ponto

**512** desperare U (u: – asse), **513** [ut] $U_1$, **516** pro*ieci* M, tutusque m, **517** adnoscere A, **518** per missum [est] M (s. s. · | . ȇ) G (add. m. 1), leti M (fati m) UvG, mortis A, (fati a), **519** victuros – mori (520) l. Prisc. II. 342 . 9 H, dii V, victores U (victuros u), **520** sustulit MAU, si A, extulit VR, **524** iidem V. **525** mergere M (*s. s.* v *m.* 2) Aug, vergere VURTG.

Cortio. – *Fodiamus* Bentl. de lectione codd. male edoctus. „Desperasse" de venia impetranda, praetulisse mortem, quae certa esset, quasi coactos.

512 Ne Caesar dicat: e tot millibus paucos tantum amisi, facilis iactura!" sed „paucos amisi, sed fortissimos iactura irreparabili".

514 „*Recursum* Cortius ex deterioribus. Si sententia esset: „reditum", fortasse hoc praestaret; sic VIII. 767, Ovid. Her. VI. 59 „si dent modo fata recursus" [olim: *recessus*] et Metam. VI. 450 eadem varietate. Sed *recessus* i. q. evasio, exitus, cf. Caes. BG. V. 43.

516 *Fauturi martis* Heins. teste Burm., Advv. p. 138 vulgatam habet.

517 „Furor ista agnoscere solis, | permissi quos iam tangit vicinia fati" Heins. Advv. p. 183; ipse interpretatur: „furor est ista agnoscere solis his, quibus permissum est mori". Immo his ipsis non est furor, hi non putant tale quid esse furorem. „Furor est" arte cohaeret cum praegressis; ab *agnoscere* pendet „felix esse mori". Structuram (intricatam) adiuvi signis parenthesis. Secluso versu illo 519 sententia plana est. Philosophorum effatum: „vita, per se aerumnosa, peior est quam mors" egregie enuntiatur: si quibus impositum est vivere scirent quam dulcis sit mors, hanc sibi consciscerent, propterea dii celant. Quae sententia Stoae, cui subinde sponte excedere de vita permissum erat, hoc loco infercienda videbatur cum detrimento perspicuitatis.

521 *Mobilium* Bentl.; non apta haec levitatis mentio.

523 „Temo": nota „plaustra bootae" „Flexo" post mediam noctem. Grotius confert notum Anacreontis locum: *Μεσονυκτίου ποθ᾽ ὥραν Στρέφεται ὅτ᾽ ἄρκτος ἤδη Κατὰ χεῖρα τὴν βοώτεω.*

525 *Vergere* probare videtur Bentl. Observat Burm. *vergere* transitivum non usitatum esse nisi ubi de infundendo agitur. Cf. ad I. 55. Scilicet *vergere* natura intransitivum accusativum effectus sive verbalem adsciscit, ut si quis diceret Graece *ῥέπειν ῥοπήν*, sic *pondera* VII. 504, *nisūs* fortasse VI. 482; hinc explicandum „vergit patera vinum" et simm. cum quo cf. usum verbi „explodere aliquem", et inde quasi de fluido ageretur Lucretius II. 212 solis ardor vergitur in terram i. e. funditur; improprie paterae non vergunt, sed *verguntur* apud Stat. Theb. VI. 211 (196 K.). Solitum transitivum *vergere* est, si sanum, Sen. Oed. 887 „(aura) non vergens latus" ratis). Ubi autem sidera tingui oceano

Tunc erat astra polus, nam sol Ledaea tenebat
Sidera, vicino cum lux altissima Cancro est,
Nox tum Thessalicas urgebat parva sagittas.
Detegit orta dies stantis in rupibus Histros,
Pugnacesque mari Graia cum classe Liburnos.
Tentavere prius suspenso vincere bello
Foederibus, fieret captis si dulcior ipsa
Mortis vita mora. Stabat devota iuventus
Damnata iam luce ferox securaque pugnae
Promisso sibi fine manu, nullique tumultus
Excussere viris mentes ad summa paratas,
Innumerasque simul pauci terraque marique
Sustinuere manus: tanta est fiducia mortis.
Utque satis bello visum est fluxisse cruoris,
Versus ab hoste furor. Primus dux ipse carinae
Volteius, iugulo poscens iam fata retecto,
„Ecquis, ait, iuvenum est, cuius sit dextra cruore

**526** ladaea R, laedaea $A_1$, **528** thesalicas M, cum VRTG, Cū U, tum A, **530** libernos U, maris $T_1$, **531** tentare $M_1$, **534** vita ferox m, **535** manus u, **538** martis (*ex* mortis *corr.*) U, **542** et quis MU, en quis T.

dicuntur male *vergere*, ut apud Germanicum Arat. 314, cf. supra I. 55. Exempla confusionis verborum *mergo* et *vergo* peti possunt ex Heinsio ad Ov. ex Ponto I. 9.52. Vid. infra ad VII. 504, VI. 482. *Segnis* non erat nox, quoniam brevissima erat; nam Sol erat in Geminis 21 $\frac{\text{Mai.}}{\text{Iun.}}$ (Ledaea sidera i. q. Castoris et Pollucis), „vicino cum lux altissima Cancro est" i. e. sol alte in caelum adscenderat, Cancro vicino (abl. abs.) sidere aestivo; significatur igitur prior pars mensis Iunii. Lux altissima secundum Haskinsium est sol meridianus; ita „vicino Cancro" abl. abs. est pro praedicato, quod non probandum. *Altissima* est superl. relativus (non absolutus).

528 Guyeto suspectus „Thessalicae sagittae" i. q. Sagittarii sidus, Chironem Thessalum ad sidera relatum. *Urgebat* = pellebat, metaphora sumta ab hoste, qui adversarium e vestigio sequitur. Sagittarius, e regione Geminis oppositus, lucet mense Iunio, sed nox tum brevissima. Tempore concidunt haec cum initio belli Afraniani, cf. ad initium huius libri.

530 „Liburnicae atque Achaicae classi (cum Caesar traiciebat) Scribonius Libo et M. Octavius (praeerant)", Caes. Civ. III. 5. Liburnarum quod magnae partes fuerunt in pugna Actiaca causa fuisse videtur cur Liburnos potissimum nominaret. Liburni in Dalmatia habitabant.

535 Recte Burm.: „quem sibi ipsi promiserant" coll. Ov. Metam XIII (Ulixes) „et iam promissa poteram cum laude reverti". — V. 533 idem initium quod Liv. II. 5. 6: „Stabant deligati — iuvenes". „Luce" vita iam interdicta.

538 *Morti* Cortius non male, sed *mortis* est genet. subi. = quam mors proposita dabat. Secus est „fiducia fati" VII. 75, „veneni" VIII. 388. Est fiducia sui nata inde quod nihil peius morte accidere potest. Laudat Sil. X. 218 Oudendorpius: „atque animos iam sola dabat fiducia mortis".

542 „Ecquis *io*" Peerlkamp. Aen. vol. II. p. 158, sine causa. Mirum, Burmannum non „alienum" esse ab *et quis*, quod hoc loco ineptum est; librariis multis ignotum fuit compositum, ut ex perpetua fere confusione apparet. Sufficit libros inspicere, ubicunque *ecquis* legitur.

Digna meo, certaque fide per volnera nostra
Testetur se velle mori?" Nec plura locuto
Viscera non unus iamdudum transigit ensis.
Conlaudat cunctos, sed eum, cui volnera prima
Debebat, grato moriens interficit ictu.
Concurrunt alii, totumque in partibus unis
Bellorum fecere nefas. Sic semine Cadmi
Emicuit Dircaea cohors ceciditque suorum
Volneribus, dirum Thebanis fratribus omen,
Phasidos et campis insomni dente creati
Terrigenae, missa magicis e cantibus ira,
Cognato tantos inplerunt sanguine sulcos,
Ipsaque, inexpertis quod primum fecerat herbis,
Expavit Medea nefas. Sic mutua pacti
Fata cadunt iuvenes, minimumque in morte virorum
Mors virtutis habet: pariter sternuntque caduntque
Volnere letali, nec quemquam dextra fefellit,
Cum feriant moriente manu. Nec volnus adactis
Debetur gladiis: percussum est pectore ferrum,
Et iugulis pressere manum. Sic sorte cruenta
Fratribus incurrunt fratres, natusque parenti.

**544** locut*o* (ras. 2 litt.) M, **547** mories T, **548** totum — nefas (549) l. Prisc. II. 414. 19 H, **549** *fecere ne*fas M, **552** vasidos M, **553** mixta u, omissa G, **554** tantus M, complerunt V, **555** fixerat m, **556** neca.. $M_1$, **557** minimumque MAUVG, nimium vT, **558** ocadunt, *post* o *s.s.* l M, **560** feriat O vulgo, **562** iugulos G, manus RGV, sic sorte G, (cum g), cum *rell. vulgo*, **563** incurr*u*nt M, incurrunt AVUTRBE, incurrant G.

545 *Iamdudum* i. q. quam primum, cf. ad II. 524.

548 In bellis caedit vulgo pars una, caeditur altera; nunc caedentes et caesi erant in eadem. *Fecere* i. q. effecere ut esset omne genus nefas in una parte. *Alii* ut saepe = reliqui.

552 *Insomni* indefesso, translatum a serpente ipso. *Missa* i. q. immissa. Hor. C. IV. 14. 24 „et frementem | mittere equum medios per ignes". Prop. III. 1. 13 „missis in me — habenis". Sic *ducere*, *trahere* pro *de*d., *de*tr. et alia passim, cf. VI. 539.

554 Bentleius: *latos* pro *tantos*, admodum speciose. Oudend. *totos* vel *cunctos*.

557 Cortius *nimium*, nescio qua sententia. Receptam intellego: minimam laudem habet mors ipsa, plus ratio qua moriuntur. Parum est quod moriuntur, multum quod intrepide et pugnantes.

560 Vulgo *feriat*; admoniti, spero, sentient lectores, quam inscite dicatur *dextra* ferire *manu*, nec apte: „nec quemquam, cum feriat". Amphibolia certe erat cavenda. Confusio admodum frequens in codd.

561 Ferrum quasi vulnerabatur et iuguli adacti sunt in ferientis manum.

563 *Incurrant* Grotius, sed libri paene omnes indicativum tuentur. Vulgo Grotium sequuntur; at pugnat ea lectio cum 503, sq. (mihi tamen suspectis), sed sentit quisque quam improprie haec ad forte congestam manum referantur, quae pertinent potius ad urbem inclusam. Melius G *sic*. Horror captae urbis ubi cognati internecivo vulnere cadunt in comparationem adhibetur, cf. II. 21, I. 72, IV. 437.

Haud trepidante tamen toto cum pondere dextra
Exegere enses; pietas ferientibus una
Non repetisse fuit. Iam latis viscera lapsa
Semianimes traxere foris, multumque cruoris
Infudere mari; despectam cernere lucem,
Victoresque suos voltu spectare superbo
Et mortem sentire iuvat. Iam strage cruenta
Conspicitur cumulata ratis, bustisque remittunt
Corpora victores ducibus mirantibus ulli
Esse ducem tanti. Nullam maiore locuta est
Ore ratem totum discurrens fama per orbem.
Non tamen ignavae post haec exempla virorum
Percipient gentes, quam sit non ardua virtus
Servitium fugisse manu. Sed regna timentur
Ob ferrum, et saevis libertas uritur armis,
Ignoratque datos, ne quisquam serviat, ensis.
Mors, utinam pavidos vitae subducere nolles,

**564** haut V, **565** *exegere en*ses M, ex enses (s. s. egere) A, **566** *non repe*tisse M, **567** semanimes G, cruorem MU, cruoris VBGAE, **568** despectans $M_1$ (*ult. littera deleta et* t *s. s.*), despectant (*ex corr. m* 2) UT, **571** con*sp*icitur M, cummulata A, **572** ullis c, **573** nulla AB, **575** vivorum T, **576** q. od m (*supra* quam), **577** sed — ob ferrum (578) l. Prisc. 391. 9 H., manus MB manu. A (manu *marg.*) manus R, **578** quaeritur g, **579** ignorantque VR, servat R, **580** pavidis M (o *s.s. m.* 2).

565 Exigere i. q. ad capulum usque protrudere ut VIII. 656 et saepius, etiam apud Verg., Ovid. Metam. V. 171, Valerium IV. 390. *Non repetisse* (566): tam fortiter ferire, ut unus ictus sufficeret. *Iam* iung. cum *lapsa.*

567 Collatis codicis M affinibus apparet hos alium fontem quam M habere. *Cruorem* potuit ex correctione aut casu existere, non *cruoris.*

568 Heins. tentabat teste Burm. *defectam* vel *deceptam spernere,* quorum neutrum in Advv. Oxymoron sic corrumpitur.

575 „Post haec exempla virorum" traiecto pronomine pro: post exempla horum virorum. Structura parum elegans, quod prioris partis exitus (ante caesuram) non de more cum ultimo versus vocabulo iungitur (non: „ignavae — virorum"). V. 576 Num *mentes*? iungendum cum *virorum.*

577 *Manus* non potest verum esse, quod eo admisso significatio violentae mortis non satis aperta est. Sententia: quam sit facile libera morte servitutem effugere. Stoicum, sed ex intima animi persuasione.

578 Pro *uritur* Heins. Advv. p. 138 coni. *vertitur* vel *perditur*, Burm.: „*at* saevis libertas *utitur* armis | *imploratque* datos". Nihil mutandum. *Uritur* est pro vexatur, compescitur, verbum de diro supplicio usurpatum. Libertas, i. e. liberi homines, ignorat ferrum non tyrannidi sed libertati stabiliendae creatum esse. *Ignorantque* Oudend. et Heins., quod, si *perditur* in superioribus recipitur, commendandum, sed si *uritur* intactum manet, minime opus est; perdita libertas non est persona, sed res, quae *ignorare* non potest dici; sed Libertas, quae uritur, stimulatur, cruciatur, manet sui compos et cogitat. In toto loco sic Libertati adscribitur id quod hominum liberorum est. A futuro *percipient* (576) ad praesens *timentur*, *uritur*, *ignorat* transiens sua tempora cogitat poeta. „Regna *petuntur*" Heins. l. l. sine dubio memoriae vitio.

580 Invidet hominibus pavidis gloriam mortis; eo gloria mortis multis communis elevatur.

Sed virtus te sola daret!
Non segnior illo
Marte fuit qui tunc Libycis exarsit in arvis.
Namque ratis audax Lilybaeo littore solvit
Curio nec forti velis Aquilone recepto
Inter semirutas magnae Carthaginis arces
Et Clupeam tenuit stationis littora notae;
Primaque castra locat cano procul aequore, qua se
Bagrada lentus agit, siccae sulcator harenae.
Inde petit tumulos exesasque undique rupes,
Antaei quae regna vocat non vana vetustas.
Nominis antiqui cupientem noscere causas
Cognita per multos docuit rudis incola patres:
„Nondum post genitos Tellus effeta gigantas,
Terribilem Libycis partum concepit in antris.
Nec tam iusta fuit terrarum gloria Typhon
Aut Tityos Briareusque ferox, caeloque pepercit,
Quod non Phlegraeis Antaeum sustulit arvis.
Hoc quoque tam vastas cumulavit munere vires
Terra sui fetus, quod cum tetigere parentem,
Iam defecta vigent renovato robore membra.
Haec illi spelunca domus; latuisse sub alta

**581** isto m, longior illo c, **582** armis R, **585** *inter semirutas* M, car*thaginis arces* M, **586** clipeam MAU$V_1$G, clepeam maB. ciypeam VR, clepetim g, **590** qua M (e *add. m.* **2** *in ras.*) a quas T, anthei V, vocant R, **592** l. Serv. Aen. VII. 206, **593** gen*itos* M, e*f*feta M, effecta $U_1$ *gig*antas M, gigantes m VUE, **595** pyton a, python V (typhon v), **596** tityon M, ex corr. titios V, *bri*areu-que M, **600** defecta M.

583 Ut imperatum erat a Caesare, Civ. I. 30 „mittit in Siciliam Curionem pro praetore cum legionibus tribus, eundem cum Siciliam recepisset, protinus in Africam traducere exercitum iubet". Cf. porro ib. finem capitis, et 31, II. 23, sqq.

588 Silius VI. 140 „turbidus aventes lento pede sulcat arenas | Bagrada".

592 *Ruris* ex cod. Turriano Burm. proponens *ruris docet.* Haesisse eum non miror, nam aliquid offendit in hoc versu, non *rudis* (et „ruris incola" pro „rusticus" non satisfacit), sed *per patres* nemo sic dixit; *per* sic insolitum est non minus quam *patres*; desidero *gentes*, „cognita per multas gentes" (i. q. late. *Gens* pro regione est ut „multas per gentes" apud Catullum) aut „*tradita* per — patres".

594 Temere Bentl. „*conceperat* antris" quasi *nondum* cum *concepit* sit iungendum. Idem: „*fecundae* gloria Typhon". Sane personae Terrae notionem seponit poeta = „et nusquam terrarum fuit tam nobile monstrum". *Python* serpens Terrae filius (cf. Hyg. fab. 140) hoc loco ferri posset, nisi auctoritate cederet (quamquam „typhon" in V est a m. rec.).

597 „Quod non, in campis Phlegraeis natus, cum reliquis gigantibus potuit coniurare". *Foetus* (599) codd. tam constanter quam *loetum*, utrumque contra etymon.

600 *Revocato* Burm.; alterum aptius, non abierunt sed defecerunt vires. Haec spelunca (601) cf. 589. Si libri faverent lectioni *revocato* defenderem cum Hosio JJ. l. l.

Rupe ferunt, epulas raptos habuisse leones:
Ad somnos non terga ferae praebere cubile
Adsuerunt, non silva torum, viresque resumit
In nuda tellure iacens. Periere coloni
Arvorum Libyes, pereunt quos adpulit aequor,
Auxilioque diu virtus non usa cadendi
Terrae spernit opes; invictus robore cunctis,
Quamvis staret, erat. Tandem volgata cruenti
Fama mali terras monstris aequorque levantem
Magnanimum Alciden Libycas excivit in oras.
Ille Cleonaei proiecit terga leonis,
Antaeus Libyci. Perfudit membra liquore
Hospes Olympiacae servato more palaestrae,
Ille parum fidens pedibus contingere matrem
Auxilium membris calidas infundit harenas.
Conseruere manus et multo brachia nexu.

**603** cubili UvR, **604** resumpsit VR, thorum u, **606** *aequor* M, libyae AVRTG, (-yes g), **610** terras — levantem Alcidem (611) l. Acro Hor. C. III. 3. 9 sine nomine auctoris levandum codd. Acronis aliquot, terram Ag, **611** alcidae codd. Acronis aliquot, quaesivit m, **612** ille — libyci (613), l. Lact. ad Stat. Theb. IV. 160, v. 612 l. Servius D. Aen. VIII. 295, Lact. Theb. I. 355, *cle*onei M., pro*iecit* M, **613** antheus Lact., perfundit $M_1$AGT, libico ARTVE, lybiae U, libyci MG, **614** hosspes A, **616** infudit MAV, (infundit a).

602 *Captos* Heins. teste Burm.

606 Pro *aequor* Helmst. *error*, quod sub rasura in M potest latere, et arridet Cortio coll. Ov. Her. XV. 29 „neque nos huc appulit error". Non tamen praeferendum.

607 Tanta erat virtute ut ope Terrae non indigeret. Per λιτότητα „non utor" i. q. *sperno*, ut in nota formula „condicione tua non utor". *Opem* fortasse dixisset si metrum ferret, cf. Hor. Epist. I. 10. 35 „imploravit opes hominis".

612 Omissum est quod facile a lectore suppletur: lucta certarunt. Prima lex luctae, ut nudi certent, itaque proiciunt pelles, quibus teguntur, Hercules Nemeaei leonis Antaeus Libyci. Cf. Stat. Theb. VI. 835, quo loco usque ad 910 imitatur Lucanum.

613 Heinsius Advv. p. 139 probabat *Libyos*, genetivum a *Libys*. Cf. „Libys lectulus" Ciris v. 440, „mons Libys" Stat. Silv. IV. 2. 27, „Herculeis pressum, sic fama, lacertis | terrigenam sudasse Libyn" Stat. Theb. VI. 869 (894). At *libyco*, quod est in bonis libris, substitutum pro *libyci*, id enim (male) ad *liquore* accommoda um.

614 „More palaestrae" cf. Bentl. ad Hor. C. I. 10. 4.

615 *Pedibus* tam pertinet ad *fidens*, quam ad *contingere* (sc. *eos* subi.) aut „quod contingerent". Non sola terra tutum se putabat.

616 Heins. teste Burm. *validos*, vix credo. Ceterum mythus ex parte aetiologicus est; Antaeus arenam infundit corpori, quoniam pars erat terrae unde vires sumebat, mansit mos arena utendi. Sed summa fabulae est symbolica; Antaeus ob oculos ponit causam roboris, quo resistunt aggredienti gentes Libycae: valent notitia regionis; deserti auxilio sublato vincuntur. Luctae descriptionem a Scaligero impugnatam defendit docte Gronovius Diatr. Stat. cap. XXV.

617 „*Mutua* brachia nexu". Heins.; cf. Stat. Theb. VI. 862 (837) „interdumque diu pendent per mutua fulti | bracchia". „Multo nexu" i. q. saepius, identidem nectentes. *Nexus* est vocabulum technicum, et sunt plures, Quinct. II. 8. 13 „non nexus modo atque in his certos aliquos docebit". Graece *συμπλοκή*.

Colla diu gravibus frustra tentata lacertis,
Inmotumque caput fixa cum fronte tenetur,
Miranturque habuisse parem. Nec viribus uti
Alcides primo voluit certamine totis
Exhausitque virum, quod creber anhelitus illi
Prodidit et gelidus fesso de corpore sudor.
Tunc cervix lassata quati, tunc pectore pectus
Urgeri, tunc obliqua percussa labare
Crura manu. Iam terga viri cedentia victor
Adligat, et medium compressis ilibus artat,
Inguinaque insertis pedibus distendit, et omnem
Explicuit per membra virum. Rapit arida tellus
Sudorem; calido conplentur sanguine venae,
Intumuere tori totosque induruit artus
Herculeosque novo laxavit corpore nodos.
Constitit Alcides stupefactus robore tanto;
Nec sic Inachiis, quamvis rudis esset, in undis
Desectam timuit reparatis anguibus hydram.

**618** frustra gravibus U, **619** tenentur V, **620** miratur AUV (*deleta* n) G (*corr. ex* mirantur), **623** fesso gelidus R, fessus T, gelide c, **624** tum (*corr. ex* tunc) M, tunc A, **625** labari R, **627** ibilus $M_1$, **628** et — virum (629) l. Lact. Theb. X. 271, **630** valido *supra* calido A, **631** totusque ind. art. l. Prisc. 397. 14, totasque codd. Prisc., **632** robore V, **634** *sic* in acheis M, inundis M, arvis m a.

619 *Tenentur* sine causa Cortius, Burmannus. Oratio post *lacertis* continuatur et *tenetur* pertinet ad utrumque subiectum. Tum *mirantur*, pro quo Heins. *miratus* volebat, quamvis singularis *parem* sequatur, referendum ad duos pugnantes; nemo offendat in „*dextra* pugnant", simm. nec *dextris* requirat. „Habent pares" vitiosum esset.

623 „Et fesso gelidus" Bentl. commendat ut suavius cum „codicibus suis" (et R.).

624 *Luxata* Heins. quod propria vi positum non aptum esset nec defenditur loco VI. 567, ubi *laxare* est aperire ut in „laxare fores", „terram" II. 456.

625 „Obliqua manu percussa crura" ut Antaeum subplantet et subsidio terrae privet. Haskins. putat luctam et cestum h. l. confundi. Stat. l. l. 851 ubi de lucta: „fictumque (*ictumque* deteriores) in colla minatus | crura subit". Ib. 861 „et iam alterna manus frontem — et vitantia crura lacessit". Attendas ad hephthemimerin et spondeos graves.

627 *Duplicat* suggessit Scaliger coll. Stat. l. l. v. 859; mallem, ut similius traditis *inplicat* (ADLIGAT IPLICAT), cf. tamen ad I. 49 quodammodo apta ad vulgatam defendendam.

629 „Explicuit" humi fudit. *Omnem* = totum. Humi reparat vires: terra bibit avide sudorem et contra novum affudit sanguinem; Antaeus solvit amplexum Herculis „nodos laxat", Graece *ἅμματα, δεσμούς*. cf. Gronovius l. l. p. 237 H.

634 „Inachiis in undis" *'Ινάχου Ἀργείου ποταμοῦ παισὶν βιοδώροις*, poeta ap. Plat. Rpbl. II, non procul a palude Lernaea. Ad primos labores refertur hydra Lernaea („quemvis *rudis* esset") Val. Fl. I. 34 „(Hercules ante Argonautas) Cleonaeo iam tempora cinctus (Peerlkamp MS. in meo exemplari, vulgo *clusus*) hiatu | Alcides; iam Lernaeo (sic lego pro *olim Lernae*) defensus ab angue | Arcas". Hydrae pro capitibus angues dant poetae aliquot ut Sil. It. III. 33, cf. Oudend. „In arvis" Bentl.

Conflixere pares, telluris viribus ille,
Ille suis. Numquam saevae sperare novercae
Plus licuit. Videt exhaustos sudoribus artus
Cervicemque viri, siccam cum ferret Olympum.
Utque iterum fessis iniecit bracchia membris,
Non expectatis Antaeus viribus hostis
Sponte cadit, maiorque accepto robore surgit.
Quisquis inest terris in fessos spiritus artus
Egeritur tellusque viro luctante laborat.
Ut tandem auxilium tactae prodesse parentis
Alcides sensit, „standum est tibi, dixit, et ultra
Non credere solo, sternique vetabere terrae.
Haerebis pressis intra mea pectora membris,
Huc, Antaee, cades". Sic fatus, sustulit alte
Nitentem in terras iuvenem. Morientis in artus
Non potuit nati tellus submittere vires.
Alcides medium tenuit; iam pectora pigro
Stricta gelu terrisque diu non credidit hostem.
Hinc aevi veteris custos famosa vetustas

**636** confixere M (l. *s. s. m.* 2) conflexere A, **638** *intra versus adscripsit m.* 1 A, **640** menbris M, fessus m, **643** infossus M, **644** erigitur uTg, que fero a, **645** tandem .... auxilium M, tacitae R, **647** sterniqu*e vetabere terra* M, terram T, isternique c, terra O *vulgo* **648** *in A post insertus* 1ª *m*, **649** cadis c, **651** permittere ABVRG, **652** alcides —gelu (653) l. Comm. ad IV. 50: medium, medio AG *ia*m M, *pi*gro M, **654** l. Lact. ad Stat. Theb. IV. 32, et in veteres. Lact. (inventis Hos.), fam. veritas Lact., fomosa T.

639 *Ceu* Heins., „*sicut* cum ferret" V. D. ap. Cort. Recta distinctione ante *siccam* posita elucet vera interpretatio: Iuno vidit exhaustos Herculis artus et cervicem (sudantem), quae sicca erat tum, cum Olympum ferret. Gravius igitur nunc laborabat. — Herculem aliquando pro Atlante caelum sustinuisse notum est, etiam e monumento ante viginti annos Olympiae invento.

644 *Egerere* et *erigere* confusa etiam VI. 295; Sil. It. IV. 278 „horrisonis ululatibus erigit iras" tenuit Bauer, dubito an non recte, „querellas egerere" Luc. supra II. 64. Stat. Silv. IV. 4. 79 „Vesvius egerit iras" coniectura recte restitutum est. *Erigere* habet accusativum rei quae recta fit, comas, iubas, *egerere* eius, quae sursum emittitur, veluti evomere aut effundere: „lacrimis egeritur dolor" Ov. Trist. IV. 3. 38 aut rei quae exoneratur, *cavernas* infra VI. 295. *Egeritur* (= effunditur, exhauritur) defenditur h. l. sequentibus: „tellus — laborat". Bentleius *ingeritur*, quo nihil lucramur.

647 *Terrae* Heins., Gron. l. l. p. 246 H. Burmannus satis constare dicit etiam *terra* dici; dubitantem me confirmavit Bentleius, *terrae* praeferens.

648 Schrad.: „contra mea pectora" aut „intra mea brachia (robora)". Prius probat Jeepius. Si neglegentis sermonis venia non posset dari, praeferrem tamen *intra mea bracchia*; „haerere contra" insolens.

649 „*Sic*, Antaee cades" Burm. coni.

654 In Lactantii Parisino (ut opinor) quod exstat *et inventis* corruptum est ex *et in veteres* (ut est apud Lindenbrogium) in quo rursus *&in* natum ex *aeui* (*eui*).

Miratrixque sui signavit nomine terras.
Sed maiora dedit cognomina collibus istis,
Poenum qui Latiis revocavit ab arcibus hostem,
Scipio. Nam sedes Libyca tellure potito
Haec fuit. En, veteris cernis vestigia valli,
Romana hos primum tenuit victoria campos.
  Curio laetatus, tamquam fortuna locorum
Bella gerat, servetque ducum sibi fata priorum,
Felici non fausta loco tentoria ponens,
Indulsit castris, et collibus abstulit omen,
Sollicitatque feros non aequis viribus hostis.
  Omnis Romanis quae cesserat Africa signis,
Tunc Vari sub iure fuit; qui robore quamquam
Confisus Latio, regis tamen undique vires
Excivit, Libycas gentis extremaque mundi
Signa, suum comitata Iubam. Non fusior ulli
Terra fuit domino; qua sunt longissima regna

**659** ves*tigia valli* M, **660** victori*a campos* M, **662** regat EMU, gerat ABVG, **663** l. Serv. A. XI. 590, **665** feros MAVU (*sic*), *vulgo* ferox, **666** affrica A, **669** libycae (lybicae) MVURAGE, gentis MU, **671** quae $V_1$, regni UAg, regna MGV.

655 „Miratrixque sui" glossa in A: *nati.* Non recte; „miratrix sui" i. q. se ipsam admirans (res vetustas extollens). Respicitur ad v. 590. Schrader sine causa *viri* pro *sui.*

656, sqq. „Castra Cornelia" (non *Corneliana*) locus appellatur et describitur a Caesare Civ. II. 24, qui eum distinguit ab eo, in quem Curio appulerat, Anquillaria, l. l. 23. Is aberat bidui itinere a Castris Corneliis. „Regna Antaei" et „Castra Cornelia" a Lucano non distinguuntur.

661 „Fortuna locorum" sorte oblata locorum opportunitas. *Gerat* verum est, non *regat*; „tanquam non ipse bellum gerat, sed fortuna". „Fata priorum" nempe Cornelii Scipionis. *Regat* Oudend., Cort., Hosius, JJ. p. 343, *gerat* Weise. *Regit* semper situs locorum bellum; non inepte sic Curio cogitasset.

664 „Quieti indulsit et quod bonum omen erat corrupit". Locus a Caes. l. l. *iugum* appellatur. Prohibuit colles ne bonum omen darent, abstulit iis famam nominis, quod castra etiam in plano posuit, desiderans lata et stativa. Schol. non male: „lata castra posuit". Ita correctione *agmen* non opus est.

669 *Libyae gentes* Grotius, *Libycas gentes* Bentl. coll. Verg. IV. 320 „te propter Libycae gentes", rell., sine dubio recte. modo antiqua accusativi forma, ut semper, restituatur *gentis*, quam non intellegentes librarii genetivum putarunt et huic accommodaverunt: *Libycae.* Ita etiam rarior (cf. ad I. 642) productio in arsi tollitur.

671 Cardo est meridiana, quam nos dicimus. Ducebant meridianos in tabulis geographicis tantum per cognitam terram; tabula mundi complectebatur regiones inde a Gadibus usque ad Indiam, extremus cardo includebat ab occidente Africam, ab oriente Gangem; rudi definitione adhibita medius inter hos cardo dici potest Ammonium transire: „a medio cardine terminat regnum Ammon confinis Syrtibus". Tabulae geographicae Ptolemaei illustrare possunt quod dixi; nimirum non continent duo hemisphaeria, sed unum notum et cardines non ultra terras ducuntur, sed desinunt ab Atlante et ab India. Ita non necessaria est Madvigii Advv. Crit. II p. 131 coniectura *eoo* v. 673 pro *a medio.* *Regni* probat Heins. Advv. p. 139, recepit Cortius, reliqui *regna*, quod praeferendum propter 674.

Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas
Terminat, a medio confinis Syrtibus Hammon;
At qua lata iacent, vasti plaga fervida regni
Distinet Oceanum, zonaeque exusta calentis
Sufficiunt spatium. Populi tot castra secuntur:
Autololes, Numidaeque vagi, semperque paratus
Inculto Gaetulus equo, tunc concolor Indo
Maurus, inops Nasamon, mixti Garamante perusto
Marmaridae volucres, aequaturusque sagittas
Medorum, tremulum cum torsit missile, Mazax,
Et gens quae nudo residens Massylia dorso
Ora levi flectit frenorum nescia virga,
Et solitus vacuis errare mapalibus Afer
Venator, ferrique simul fiducia non est,

**672** athlans A, **673** a medio M. e m (2[a] m) G, communis c. **674** *lata* M. iacent V, iacet rell. vulgo atque valatae R, vastis $T_1$, **675** destinet $MU_1$, destinat VG, exausta T, **676** spatium Cg, spatio rell. vulgo, **677** autoloples M, autolopes VUR, aut. olopes (s. s. d) A, aut dolores T, autholopes G, *semperque paratus m.* 3 *in ras* M, *in marg* U, *om.* R, **678** versum add. in marg. M (m 3) U, inculto gaetulus equo om. R, **679** ino*ps* M inops U, mixt*i garama*nte M, parato VR, **680** aequa*turus*que M, **681** maedorum RG, contorsit T, mazan $R_1$, **682** mas*sylia* M, massilia VUG, masyllia A, marsilia T, **684** vacuus T, affer R, **685** ferique T, nulla est g.

674 Distinguendum post *iacent* et post *Oceanum,* non post *regni*; „qua – iacent" i. q. qua in latum porriguntur s. qua latissima sunt, oppositum verbis „qua sunt longissima" (671), quare recepi *iacent* e Voss. 1, vulgo *iacet.* Latitudinem (a sept. ad mer.) uno termino designat oceani meridionalis, quo Africam finiri putat, alterum terminum (maris Medit.) supplendum relinquens. „Distinet", arcet, separat. Versum (674) expellit Guyetus.

676 „Sufficiunt spatio" vulgo, sine apta sententia, recipiendum erat quod C monstrat: „sufficiunt spatio] subministrant. ut est sufficit umorem" in quo manifestum est lemma alienum, ut saepe (cf. Verg. Georg. II. 424). In Gemblacensi *spatium* est varia lectio a 1[a] m.

677 Sidonius Apollinaris C. 5. 336 „Gaetulis, Nomadis, Garamantibus Autololisque, | Arzuge, Marmaride, Psyllo, Nasamone timetur" easdem Africae gentes, Lucanum sequens, recenset, Claudianus cons. Stil. (XXI) 255, sqq. 354 sqq, similiter, manifestum vestigium imitationis Lucaneae offerens v. 259 coll. cum Luc. 683, unde effici potest utrumque verba in MU omissa *semper—equo* legisse, quae etiam in Comm. in B et E adsunt, contra in Regio quoque omittuntur. In textu abesse non debent. eorumque omissio repeti potest ex proprietate libri a poeta relicti, in quo in margine fuerint adscripti. In U *indo* scribitur sic ac si monachus I. N. DO voluerit (INDO). Qui factum sit ut U totum versum 678 1[a]. m. omiserit, non apparet. Cf. Mnem. XVIII p. 13, 21. Sententia: equites Gaetuli semper parati, quoniam infrenis et non instratis equis utuntur.

683 Cf. Sidon. C. V. 259, Grat. Cyn. 517 Burm.: „tota levi Nasamonia virga | fingit equos", Nemes. Cyn. 264, ubi Mazax, et 261 ad q. l. cf. Burm., Claud. XXI. 356.

684 „Vacuis mapalibus" cf. II. 89 „vacuis mapalibus actus", IX. 945 „congesto *non culta* mapalia culmo". *Vacuus* i. q. sine necessariis. De vocabulo cf. J. S. Speijer, Kon. Ak. Versl. 1891 p. 243. Notus est locus Salustii Iug. 18, et Verg. Georg. III. 343. Vacuis map. est abl. qualitatis; *pauper* Afer, tectum (Verg. l. l.) et nihil praeterea secum portans, simul ac defecit ferrum strangulat leonem vestibus tanquam laqueis iniectis. Gronovius diatr. Stat. p. 140 (241 H) miscet aliena. Claud. XVII. 293: „audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum | arte ligent". Laxis i. q. laxatis.

Vestibus iratos laxis operire leones.
Nec solum studiis civilibus arma parabat,
Privatae sed vela dabat Iuba concitus irae.
Hunc quoque, quo superos humanaque polluit anno,
Lege tribunicia solio depellere avorum
Curio tentarat, Libyaque auferre tyrannos,
Dum regnum te, Roma, facit. Memor ille doloris
Hoc bellum sceptri fructum putat esse retenti.
Hac igitur regis trepidat iam Curio fama
Et quod Caesareis numquam devota iuventus
Illa nimis castris nec Rheni miles in undis
Exploratus erat; Corfini captus in arce
Infidusque novis ducibus dubiusque priori
Fas utrumque putat. Sed postquam languida segni
Cernit cuncta metu nocturnaque munia valli
Desolata fuga, trepida sic mente profatur:
„Audendo magnus tegitur timor: arma capessam

**686** laxos $M_1$. **688** conscius u, bella O *vulgo*, **690** solo R, **691** libyamque O *vulgo*, tiranus R, *hinc* tyrannos *editor pro vulg.* tyranno O vulgo, **692** regem *aut* regum a, **693** recenti T recentis Langerm. Burm., **694** tristis trepidat u, **695** caesaries (corr.: -eis 3[a] m) M, **696** omissum add. m. 1 U, **697** confini T, **699** parat $V_1$, linguida $U_1$, **700** mu*nia* M, munera $A_1$ (e *in* i *mut.*) G, munia g.

688 *Bella* vulgo, Bentleius: nec solum studiis *communibus* arma parabat | privatae sed *vela* dabat Iuba concitus irae". „Bella dare" h. l. insolens est, cum non significare possit *recedere a* siue „remittere, condonare" sed „bellum instituere". Praeferrem *frena*, nisi *vela* propius ad traditam lectionem accederet perpetua litterarum B et V confusione. Larga manu exempla formulae *vela dare* suppeditat Peerlk. ad Hor. C. IV. 15. 4. De confusione cf. intpp. ad Prop. II. 1. 28.

689 sqq. De Curione cf. I. 269 sqq., Caes. Civ. II. 25 med. „huic (Iubae) et paternum hospitium cum Pompeio et simultas cum Curione intercedebat, quod tribunus plebis legem promulgaverat, qua lege regnum Iubae publicaverat". Dio XLI. 41 (Iuba) *Κουρίωνα — ὅτι τήν τε βασιλείαν αὐτοῦ δημαρχῶν ἀφελέσθαι καὶ τὴν χώραν δημοσιῶσαι ἐπεχείρησε, μισῶν.* Lex a°. 50 (quo Curio trib. erat Cic. Fam. II. 7. 4), promulgata eventum non habuit. Curio tribunus (10 Dec. 51/50) legem *viariam* „non dissimilem agrariae Rulli" meditabatur m. Febr. 50 (Caelius Cic. Fam. VIII. 6. 5). *Lex* de regno Iubae nusquam nisi Caes. l. l. memoratur.

691 I. q. „Libyam liberare tyranno", hoc certe oppositum postulat: „in Libya tyrannum pellit, Romae instituit". Clarior haec oppositio esset sic: Libyaque auferre tyrannum, pro expellere tyrannum. Cf. 664. Quod dedi palaeographiae magis satisfacit. In fine versus vetustissimi codd. habent ligaturam *os* (ô); vide etiam *quoque* v. 689.

693 Gaudet sceptro retento se parem bello et vindictae exercendae. *Fructus* h. quoque l. in bonam partem. „Hac fama regis" i. e. de hostili regis animo (694). *Tristis* pro *regis* (in u) sine causa elegantius Cortius dicit. *Iam* (694), huc refertur *sed* 699.

695, sqq. Cf. II. 477 sqq. potissimum v. 507. Non militaverant sub Caesare ut transfugae alii, cf. ad II. 474, „Rheni in undis" non duraverat iuventus illa corpus, quod pro belli labore omni ponitur. — *Utrumque* (699), neutrius partis erat. Iunge: nec erat miles exploratus (attributive) in undis Rheni.

702 Non sine causa metuit ne se deserant milites. Caesar Civ. II. 28. „erat in exercitu Vari Sex. Quintilius Varus, quem fuisse

Ipse prior; campum miles descendat in aequom,
Dum meus est; variam semper dant otia mentem.
Praeripe consilium pugna. Cum dira voluptas
Ense subit presso, galeae et texere pudorem,
Quis conferre duces meminit? quis pendere causas?
Qua stetit, inde favet, veluti fatalis harenae
Muneribus non ira vetus concurrere cogit
Productos: odere pares". Sic fatus, apertis
Induxit campis acies, quem blanda futuris
Deceptura malis belli Fortuna recepit.
Nam pepulit Varum campo nudataque foeda
Terga fuga, donec vetuerunt castra, cecidit.

**703** miles campum VR. **705** eripe O vulgo, pugnae mT, dum G (cum g), voluptas AMVEGTR voluntas $U_1$vG, **706** pressum U, presso MAVERT, galea m, [et] O vulgo, **707** *p*endere M, prendere AB (pendere a), **710** odore $M_1$, **711** induxit G, instruxit *rell. vulgo*, **712** decepit $R_1$, **714** donec—cecidit l. Prisc. 515. 1 H, cicidit $A_1$ $U_1$ G Prisc. codd.

Corfinii supra demonstratum est [I. 23. 2]; hic dimissus a Caesare in Africam venerat. — Quinctilius circumire aciem Curionis atque obsecrare milites coepit, ne primi sacramenti, quod apud Domitium atque apud se quaestorem dixissent, memoriam deponerent", rell. cf. c. 29. *Fuga* (701), defectu ad hostes.

704 Heins. teste Burm.: „*varias enervant* otia *mentes*", contra mentem poetae. Otia parere solent nova consilia, nunc proditionis.

705 „Eripe consilium pugna" Bentleius, *praeripe* Heins. vel *arripe*, quod aptius: *eripit* consilium qui iam deliberantes impedit; *praeripit* qui antevertit. Id h. l. requiritur: non vult otia, quae afferrent variam mentem; *antequam* otia corrumpant milites, pugnam suscipe. Unam litteram mutare, praesertim initio versus, non dubitavi. Pugnandum, inquit, *antequam* consilia conferant. Caes. l. l. 30 latet eadem sententia sed corrupta: „quod huiusmodi militum consiliis otium maxime con-<ducat et cavend>um esse arbitrarentur"; talis sententia fuit, verba incerta (codd. „contrarium esse arb."). Quae apud Lucanum Curio secum reputat Caesar consilio ducum adscribit. *Pugnae* ante Grotium legebatur. Idem Bentl. sed iungens „pugnae voluptas". Multo significantius „dira voluptas" nudo ponitur, intellegitur enim trucidandi voluptas. *Voluntas* Cortius, discedens ab Oudendorpio, Burmannus, Weisius. Melius cum *dira* iungitur *voluptas*, quod etiam propter libros praeferendum. Etiam *presso* melius quam *prenso* quod Burmannus defendit, non in prendendo tam ense, quam in ipsa pugna prospera ardor belli existit, Hom. *ἔνθα κεν οὔτις ἀνὴρ ἔργον ὀνόσαιτο μετελθών* (ubi multi caeduntur Il. *δ* extr.); infra VII. 562 „quae presso tremat ense manus". Ante *tenere* cum Bentleio inserui *et*: „galeaE et Texere". cf. Trampe p. 16. Oppositi Varo et reliquis Pompeianis, a quibus defecerant, lubenter faciem tecturi erant Curionis milites.

708 Adverbium motus *inde* traxerunt verba *qua stetit*, quia „stare ab aliquo" dicitur. „Fatalis arenae muneribus" (festis publicis) rell. Tertium comparationis est in pugna *sine offensione* gesta. „Veluti" sine apodosi in comparatione V. 336. VI. 65, VII. 568. „Odere pares" *sed*, ut saepe, suppressum. *Odere* cf. „iratus pugno" gladiatoris verbum apud Lucilium, Coniect. Luc. I. p. 22.

711 *Instruxit* minus aptum in celeri impetu et festinato paratu quam *induxit*. Verbum *recepit* quoque commendat *induxit*. *Instruere aciem* a primo actionis momento alienum; eductas esse copias non potuit omitti. Cf. Verg. A. XI. 620, Ge. I. 106.

713 *Foedae—fugae* maluit Heins. Proximo versu memorabilis est forma *cicidit*, quae non forte in Prisc. codd. illata est, ut ex var. lect. apparet.

Tristia sed postquam superati proelia Vari
Sunt audita Iubae, laetus quod gloria belli
Sit rebus servata suis, rapit agmina furtim,
Obscuratque suam per iussa silentia famam,
Hoc solum metuens, incautus ab hoste timeri.
Mittitur, exigua qui proelia prima lacessat
Eliciatque manu, Numidis a rege secundus,
Ut sibi commissi simulator Sabbura belli.
Ipse cava regni vires in valle retentat,
Aspidas ut Pharias cauda sollertior hostis
Ludit, et iratas incerta provocat umbra,
Oblicusque caput vanas serpentis in iras
Effusae tuto conprendit guttura morsu
Letiferam citra saniem; tunc irrita pestis
Exprimitur, faucesque fluunt pereunte veneno.
　Fraudibus eventum dederat fortuna, feroxque,
Non exploratis occulti viribus hostis,

**715** *pro*elia M, **719** incauto MAVGRT, incausto U, (s *del.*), ab MGVUEc, ex AgB, videri g, **721** elice atque R, **722** sabbura AVU, sabura *rell. vulgo*, **724** solertior A, pharidas $R_1$, **725** ludet M (e corr.), **726** obliquumque ABE, obliquosque a, obliquusque MG, obliquatque U, oblicusque RT, auras O *vulgo*, **727** conprendit A, conprendat B, toto G (tuto g), **728** inrita R, **731** hostes $M_1$.

719 „*Incauto et ab* hoste" vel „*et cautus* ab hoste timeri" Heins. „tentabat". Grotius „incautus ab hoste" i. e. „improvisus hosti hactenus", quod latinum esse negat Bentl., ipse: „incauto ex hoste". Obscure. Oxymoron est; vulgo dux gaudet, si metuitur ab hoste; Iuba contra, metuit ne timeatur, i. e. ne hostis sui rationem habeat et impetum suum (Iubae) praevideat. Accedit iam *incautus* i. q. si ipse non satis cavisset, non se texisset. Hosius, qui *incautus* interpretatur *sorglos* (sic verbo uno dicere licet) legit „incauto ex hoste videri"; sic „incauto ex hoste" est „quamvis hostis incautus sit" quod cum *ex* pugnat. *Non* iungenda sunt *incautus* et *hostis*. Guyetus legit „incauto *abs* hoste". Nihil vero impedit eum *incautum* dicere, qui incuriosus sit, ut *esset* Iuba (*incautus* condicionem continet) si animadverteretur. Aliud exemplum oppositorum *metuere* et *metui* Paneg. XII. 35 B. „qui (exercitus) nihil magis timuerat quam timeri" et alia apud Hosium J.J. l. l. p. 343. Qui factum sit, ut plerique libri habeant *incauto* facile explicatur e studio accommodandi; *ex* pro *ab* metrica est emendatio.

722 „Sabbura" Sil. XV. 441, stridentem Sabbura cornum" (militis Afri nomen), Caesar (quinquies) *Saburra*, Appianus (ter) *Σαβούρρας*, Civ. II. 45. Cf. Prisc. II. 567. Mutavit igitur Lucanus quantitatem alterius syllabae, et compensavit, ut videtur, prima per duplicem consonam producta.

725, sqq. Bentl.: „*irritans* inc. pr. u. | *obliquus*que — in *iras*". Antiqua orthographia *obliquos* (nominativus) mansit in a, et non intellecta peperit *obliquas* (auras) et hinc *obliquās*, *obliquat*. *Iras*, palmarem Bentleii coniecturam, recepi, optime accommodatam vocabulo *effusae* et *vanas*, quod ipsum ad *auras* appositum vanum est, iuxta *iras* tam perspicuum est quam elegans. Confert „effusus in iras" Statius VIII. 322, „tali effunditur ira" Val. Fl. VII. 34, „in iram exardescere" supra III, 133, „effundi lacrimis" Verg. A. II. 651. Ichneumon (hostis 724) dum caudam obtendit aspidi, obliquo capite et oculo pone se irruentem observat hostem, dumque ille venenum parat in caudam, morsu eius fauces sine periculo (citra saniem) arripit. Res memorata Plinio VIII. 88 et aliis egregie ad comparationem adhibita. *Obliquansque* ante Oudend. lectum et Trampio probatum sententia ab *oblicus* nihil differt.

Curio nocturnum castris erumpere cogit
Ignotisque equitem late discurrere campis.
Ipse sub aurorae primos excedere motus
Signa iubet castris, multum frustraque rogatus
Ut Libycas metuat fraudes infectaque semper
Punica bella dolis. Leti fortuna propinqui
Tradiderat fatis iuvenem, bellumque trahebat
Auctorem civile suum. Super ardua ducit
Saxa, super cautes abrupto limite signa,
Cum procul e summis conspecti collibus hostes
Fraude sua cessere parum, dum colle relicto
Effusam patulis aciem committeret arvis.
Ille fugam credens, simulatae nescius artis,
Ut victor medios aciem deiecit in agros.
Tunc primum patuere doli, Numidaeque fugaces
Undique completis clauserunt montibus agmen.
Obstipuit dux ipse simul perituraque turba.
Non timidi petiere fugam, non proelia fortes,
Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum
Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos

**733** decurrere AMg, **736** et a, **739** civil*e suum* M, **740** milite RC, **741** conspexit VR, versus 741—745 hoc ordine in V: 741, 744, 745, 742, 743 (ordo vulg. v rest.), **742** cessare c, **744** simul*atae* nesc. artes $M_1$, **745** mersos MaVRG, medios AUBE, deiecit MRGVU, proiecit ABE, **746** ut primum VU, cum pr. G, **747** complexis Heinsianus, complectis T, **748** o*b*stipuit OR, (obstupuit u), **750—753** l. Prisc. II. 341. 16 H, **750** quippe . ubi M, ibi v.

738 *Prodiderat* Heins. „Leti *sors dura* propinqui" Bentl. Exspectes potius praesagium leti memorari, Bentleius (confert VIII. 568) certe non satisfacit. Deus perdere studens Curionem eum amentavit. Iungitur fortasse melius: „fatis leti propinqui" furiis, deabus mortis instantis, quae caput eius morti admovent. Fata κῆρες.

740 „Abrupto limite" Num *abrepto?* oblitum itineris, quo profectus erat. *Abrupto lim.* abl. qual. ad *cautes. Limes* ut saepe via.

742 „*Monte* relicto" vel *montibus* in superiore versu propter repetitum *collis* Bentl.

745 „*Victor ut adversos* aciem" aut „*ceu* victor *medios*" Heins. *Mersos* probat Bentl. incertum qua sententia; *medius* et *mersus* in antiqua forma litterarum DI et RS facile confundi potuerunt cum S maiuscula forma admodum angusta scribatur; R et D autem omisso prioris litterae ductu inferiore dextro vix differunt. Alibi quoque M postponendus est Vossiano U. *Acies* quia *aciem* praecessit v. 743 Bentl.; si vulnus esset, sic non sanaretur. *Ceu* (Heins.) non opus; *ut* ex mente Curionis. *Deiecit* Grotius, rell., *proiecit* Weis.

747 „Undique *complexi*" Burm.; probabile sed non certum. Per *completis* res ob oculos posita, subito quasi e solo ortis hostibus complentur montes, hi prius conspiciuntur, quam valles.

751 „Pulsu — terens" (752) spuria censet Guyet. — V. 750 causa superioris („non — petiere fugam" —) continetur: nam ibi ne equi quidem „procurrere poterant, mollis arena validum ingressum non permittebat. De equis et equitibus usque ad 769, tum de pedite.

Ora terens, spargitque iubas, et subrigit aures,
Incertoque pedum pugnat non stare tumultu.
Fessa iacet cervix. Fumant sudoribus artus,
Oraque proiecta squalent arentia lingua,
Pectora rauca gemunt, quae creber anhelitus urguet,
Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus,
Siccaque sanguineis durescit spuma lupatis.
Iamque gradum neque verberibus stimulisque coacti
Nec quamvis crebris iussi calcaribus addunt.
Volneribus coguntur equi. Nec profuit ulli
Cornipedis rupisse moras; neque enim inpetus ille
Incursusque fuit: tantum perfertur ad hostis,
Et spatium iaculis oblato volnere donat.
At vagus Afer equos ut primum emisit in agmen,
Tunc campi tremuere sono, terraque soluta,

**752** terens V (sed ant. forma litterae r fere = n) s. s. n̄, U (s. s. nec), tenens Prisc., (spargitque s. s. et non V, s. s. non A iubas s. s. nec U, et s. s. nec UA, non erigit v, **753** *pedum* M, stante g, **755** porrecta g, ardentia T, **756** urget Mv, anhelitus illis AB, **757** defec...gravis M, illia M, **758** lupatis l. lib. gloss. cod. San Gall. 905 p. 532, **762** cornuped*i*s M, cornupedes V, cornupedis v, *vulgo* illis, ille U (M Stht) illi AG, ulli a (illis a), **763** hostem (ex corr.) MUG (hostes g), perfertur VUARGE (M Stht) profertur MG (M habet *p*fertur, secus Stht), **765** misit U.

753 De infinitivo post *stare* cf. J. Schmidt diss. de usu infinitivi p. 76. *Non* ante infin. ut „enses non reddere perstat" Sil. XI. 598, „perstat non pandere portas" Sil. XIV. 118.

754 *Armi* Grotius, Guyetus qui „*armi*, inquit, confirmant *lassa cervix, oraque, pectora* et *ilia*". At poeta non potuit dicere tantum *armos* sudasse. — *Oraque proserta* aliquando Heins.; de lingua *exserere* (*exerere*) proprium est.

757 *Longe*, ex imo (diep ophalen) cf. Stat. Theb. VI. 450 „nec iam integer illis (equis) | impetus et longi suspendunt ilia flatus".

758 *Durescit* offensioni fuit Scaligero, coniecit: „*rara*que s. *arescit*". De liquore non dicitur *durescere*, sed de spuma quamvis duriuscule dictum explicari potest: grumis sanguinis stipatur. Ceterum cf. Claud. Raptu II. 203 „infectae spumis vitiantur arenae" XXII. 250, alia.

760 *Clamoribus* pro *calcaribus* Bentl. At *calcaria* (equites unum calcar habebant sinistro pedi fixum) et *stimuli* et *verbera* diversa. *Fossi* pro *iussi* Burm. „Addere gradum" i. q. accelerare Livio frequens.

762 *Ille* Guyetus, Bentleius, recepit Hos. Firmatur Vossiano U et lectione *illi* in AG. Egregium esset *illud. Cornupedes* ex V et (M), iungendum cum *moras* tanquam attributum recepissem nisi singularia *profertur*, *donat* sequerentur; est = cornupedis sui. — Disyllabum ut h. l. *enim* post elisionem deminutionem passum apud Lucanum rarissimum.

763 *Profertur* ex deterioribus Oudend., rell. praeter Hosium. *Proferre* est cum ostentatione, *perferre* aegre protrahere.

764 „Donat" sive remittit iaculis motum (spatium), exiguum intervallum, quo equus ab hoste removetur, efficit, ut hasta non debeat longe volare. Cf. Gron. Obss. p. 492, sq. Infra IX satelles Ptolemaei caput Pompeii Caesari offerens IX. 1016 „rex tibi Pellaeus belli pelagique labores | donat", cf. VI. 58, VII. 784 et 850. *Impetus* verbalem sign. habet.

766 „Soluta" „in pulverem" glossa s. s. M. Sil. V. 57 *diluere* i. q. *solvere*, Verg. Ge. I. 44.

Quantus Bistonio torquetur turbine, pulvis
Aera nube sua texit, traxitque tenebras.
Ut vero in pedites fatum miserabile belli
Incubuit, nullo dubii discrimine Martis
Ancipites steterunt casus, sed tempora pugnae
Mors tenuit. Neque enim licuit procurrere contra
Et miscere manus: sic undique saepta iuventus
[Cominus obliquis et rectis eminus hastis]
Obruitur, non volneribus nec sanguine solum:
Telorum nimbo peritura ac pondere ferri.
Ergo acies tantae parvom spissantur in orbem,
Ac, si quis metuens medium conrepsit in agmen,
Vix inpune suos inter convertitur ensis,
Densaturque globus, quantum pede prima relato

**769** pedit*es* M, impedites R, **770** nulli dubio $A_1$, **771** an*cipi'es* M, stetere mR, steterant Vu, et U, *steterant* A, **772** *mors* E, **774** conminus A, comminus M, **775** nec volneribus G, sol*ii* M (Stht), **776** l. Serv. A. IX. 805, ac V, et GMU, **778** at si T, **779** ensis (s. s. e) M, **780** densatur — acies (781) l. Prisc. 444. 10 H.; quantum — acies (781) l. Serv. A. X. 432.

768 *Aera* pro *aethera* ut saepe.

771 *Steterunt* ut vitarent prava correctione *stetere* aut *steterant* librarii; correptio apud dactylicos rara et fere necessario adhibita, si brevis duabus longis includeretur ut in *profuerunt*, *miscuerunt* aliquoties a Vergilio, raro a Lucano diligentiore metrico est adhibita. Hoc ipsum *steterunt* Vergilius ter, *profuerunt* Sil. V. 264, ubi cff. Heins. et Drakenb.

*Tempora pugnae* Schol. Vratisl. ap. Weberum: „non plus temporis fuit hic consumptum, „quam quanto tempore trucidati sunt". Sed cur *tenuit*? Reliqua scholia etiam minus satisfaciunt; intpp. tacent. Intellegerem *pondera*; bilances tenuit, metaphora iam inde ab Homero usitata. Verg. A. XII. 727, quem damnet labor et quo vergat pondere letum". Infra VII. 504 „nec fortuna diu rerum tot pondera vergens". Paulo diversum VIII. 280 „mentisque meae quo pondera vergunt" et alia in quibus pondera i. q. momenta.

774 Conatur hunc versum explicare Burm.: „*obliquis* ex transverso vel caesim, ut *rectis* est de mucrone". Sic *hasta* pro ense quoque positum esset, nam quis hasta *caesim* vulnerat? Et est putida in tam gravi momento talis distinctio. Si quis irridere Lucanum voluit, optime rem egit. Guyetus legendum putat bis *comminus* (pro *eminus*: *comminus*) „*obruitur*, inquit, et a fronte et lateribus comminus hastis confoditur". Addit tamen „Vide codd. vett." quod solet addere ubi sibi diffidens rem differt. Prorsus alienum est quod Burm. affert de securi positum *obliquus* Ov. Met. VIII. 757. Hic interpolator omnes interpretes naso suspendit adunco.

776 Bentleius distinguit „nec sanguine solum | telorum nimbo peritura ac pondere ferri". „Prior distinctio (volneribus, nec sanguine, solum nimbo telorum), inquit, negat vulneribus perituros". Vero, sed cur *solum* contra proprietatem metri a *sanguine* separatur? Rhetorica omissio adversativae, si quid sequitur grave et vix credibile, tam Graecis quam Latinis usurpata: voce subsistitur paulum et sequentia cum emphasi proferuntur, quare istius modi locis semicolon (:) posui. Comprimitur pondere telorum quasi suffocata iuventus.

778, sq. versus plane supervacanei, eisque remotis reliqua melius cohaerent. Sententia (si quis clam in medium se recepit, animadversus dat poenas confossus a suis) aliena; aliter explicatus versus ineptus est.

780 *Densatur* (1ª) diserte testatur Prisc. Densatur tantum, quantum prima identidem acies recedit, s. quoties extremi recedunt, toties spissatur turba. Proximo versu omnino „*ad*stringere" aptum est i. q. artare; hoc habet angusti, *constringere* firmitatis significationem, sed Lucanus priore significatione etiam *constringere* usurpat.

Constrinxit gyros acies. Non arma movendi
Iam locus est pressis stipataque membra teruntur,
Frangitur artatum conliso pectore pectus.
Non tam laeta tulit victor spectacula Maurus,
Quam fortuna dabat; fluvios non ille cruoris,
Membrorumque videt lapsum, et ferientia terram
Corpora: conpressum turba stetit omne cadaver.
Excitet invisas dirae Carthaginis umbras
Inferiis fortuna novis, ferat ista cruentus
Hannibal et Poeni tam dira piacula manes;
Romanam, superi, Libyca tellure ruinam
Pompeio prodesse nefas, votisque senatus.
Africa nos potius vincat sibi. Curio fusas
Ut vidit campis acies, et cernere tantas
Permisit clades conpressus sanguine pulvis,
Non tulit adflictis animam producere rebus,
Aut sperare fugam, ceciditque in strage suorum
Inpiger ad letum, fortis virtute coacta.
Quid nunc rostra tibi prosunt turbata forumque,

**781** constrixit $AU_1C_1$ adstringit Prisc., constringit Serv., **782** superataque G (stipate g) pres*sis stipataque* M, tenentur VRg, **783** armatum O vulgo, **785** fluvios — lapsus (786) l. Prisc. II. 341. 22 H., Serv. D. A. VII. 464; fluvios videt ille cruoris l. Serv. A. VII. 464, **786** vidit $M_1$, lapsus Prisc. g, ferentia T, **788** invisos $M_1$, **791** teli. cruenam $B_1$, **793** africanus $M_1$, **797** suarum $R_1$, **798** laetum $A_1$, et fortis O vulgo.

783 *Artatum* Heinsius et Bentleius suo marte uterque. Burmannus *armatum* sic defendit ut egregia tela contra suam ipse sententiam suppeditet. Arma i. e. lorica impediunt ne collidantur corpora potius quam contra. Silius IV. 555 (553) „nec artatis locus est in morte cadendi". Id. IX. 322, supra II. 203.

785 Speciose Cortius ex cod. quodam suo: „fluvios non *ire* cruoris", coll. Heinsio et Burm. ad Val. Fl. 233, sed concinnitas, cum alter infinitivus ad *lapsum* non sequatur, et emphasis in *ille* non commendant correctionem.

787 Cf. ad 783.

788 Sine necessitate Peerlkamp. ad Hor. C. I. 2. 28 „*Tyriae* Carthaginis", cf. e. g. I. 38 „diros Pharsalia campos inpleat." — Exclamatio satis a consilio Pharsaliae aliena; acerbum est sane Pompeio, crescere victoria inimicorum P. R., sed quis nisi Pompeius ipse huius rei causa, dum Iubam fovet? Incusatio deorum Lucano dilecta, etiamsi homines delinquant.

791 *Cruenam* in B exstitit manifesto ex *cruenta* interpretamento *τοῦ dira* aut confusione cum 789.

794 „*Tutas* Heinsius a m. sec." Burm. Imo Heinsianus.

795 „Conpressus sanguine pulvis" nisi mente captus quis sit, haec sic volet intellegi: e solo sanguine humectato pulvis non amplius evolans. Qui vero pulverem non pro arena omnino sed propria vi accipit, ei verba ridicula videbuntur. Debebat me iudice hanc ambiguitatem vitare poeta.

798 *Et*, quod libri habent post *letum*. delevi, ut quo diversa, tanquam res eiusdem naturae male iungerentur; intrepidus animus mortis contemtor laudabilis, „virtus coacta" parum decora; rhetorici scriptores et poetae quoties diversa copulant non iungunt, sed opponunt.

Unde tribunicia plebeius signifer arce
Arma dabas populis? quid prodita iura senatus,
Et gener atque socer bello concurrere iussi?
Ante iaces, quam dira duces Pharsalia confert,
Spectandumque tibi bellum civile negatum est.
Has urbi, miseri, vestro de sanguine poenas
Nempe datis; luitis iugulo sic arma petentes?
Felix Roma quidem, civisque habitura beatos,
Si libertatis superis tam cura placeret
Quam vindicta placet. Libycas, en, nobile corpus,
Pascit avis nullo contectus Curio busto.
[At tibi nos (quando non proderit ista silere,
A quibus omne aevi senium sua fama repellit,)

**800** arce MAVUG, **801** proditura MA, s. s. ta *super* tu A, ia, s. s. M., al. prodita iura a rec., **803** phassalia $U_1$, **804** expectandumque c, **805** urbis $A_1$, (urbi a), ur*bi*. M, miserae O vulgo, **806** ferre datis MAUvG, nempe datis V, *nempe* B, potentes *s. s.* o *supra* te (*signum vocativi*) M, corr. in pet G, potentes *corr. in* pet V, **807** cives m., **810** contectus M.

800 *Arte* defendit Haskins: skill in speaking; sed haec ars non est κατ' ἐξοχήν tribunicia; contra habitant fere in rostris tribuni, eoque aptior est comparatio, quod rostra eminebant. Post *ibi* et *unde* ablativus nudus poni potest, de quo dubitat Burm. sine causa: „unde domo" „ibi in Etruria" et simm. quis nescit?

801 *Populis* τοῖς λαοῖς, multitudini; populi i. q. greges, turba; populi nepotum = posteri VIII. 871, VII. 207, I. 511.

803 „Pharsalia" i. q. regio circa Pharsalum, I. 38: „diros Pharsalia campos | impleat".

804 *Negatur* [est] Heins. *Spectandum* pro *spectare*. Gerundivum ponitur post *negare* ut post verba contrariae significationis *dare, concedere*. Infra V. 305 „non illis urbem spoliandaque templa negasset". „Dare spectandum" i. q. ut spectes, „negare spectandum" i. q. prohibere *ne* spectes. Primus hoc sibi permisit Ovidius (ut videtur, nihil Draeger Hist. Synt. II. 794): „neget ipse videndum | se mihi". Metam I. 771. Cf. supra ad I. 147.

806 Stht: „nempe $V_1$" Enotavi „nempe, s. s. m. 2 ferre V". Quod VB praebent (*nempe*) non sapit interpolatorem; contra *ferre*; id interpretamentum veram lectionem pepulit. *Nempe* i. q. ni mirum (sine vi ironica); cecidistis, *nam* poenae luendae erant. *Nempe* Cortius, Weisius, Haskins; *ferre* superiores et Hosius sine interrogatione; „dare poenas" a consueta notione sic contorquetur, aut (nec melius) verba sic expediuntur: „datis urbi ferre poenas", offertis ut ferat, ubi *ferre* insolitum est. — Nullo modo abruptus ad pluralem transitus defendendus hoc loco est; vulgo legebatur *miserae*, solum Curionem per *vestro*. *datis* compellare poeta non potuit; ergo aliquo modo ad alios transitus est significandus, quare correxi *miseri*; id vocabulo *urbi* a librariis videtur accommodatum. Emphasis est in *urbi*.

Recepi *petentes* ex Vg (V corr. ex *potentes*). „Sicine belli moti poenas luitis, telum iugulo recipientes?" Luitis arma, petentes (arma) sic, iugulo. *Arma* aeque ac *iugulo* utroque pertinet. Cf. IV. 275, VII. 434, I. 376, VII 533. Potentes I, 271, quo provocatur, huc non faciunt.

808 Heins. „tentabat": „*iura placerent*".

811 „*At* tibi nos" verbum gravis affectus *at* Hor. C. I. 28 „at tu nauta vagae", rell. Lucr. III. 906 „at nos horrifico cinefactum te prope busto | insatiabiliter deflebimus". Ov. Metam. XII. 367 „at inferias, iuvenum gratissime, Crantor | accipe". Saepe in imprecatione: „at o deorum quidquid in caelo regit" Hor.

„Non proderit ista silere" excusatio est cum vitia quaedam proferuntur; hoc loco culpam fatetur auctor, quod virtutes non premat; sed quis aegre erat laturus, quod laudaret?

812 Bonus versus, sed non aptus ubi memoratur qui sua fama post mortem premebatur. Cf. Vell. Pat. II. 48. 3. V. 814 quoque praeconium dignum Catone.

Digna damus, iuvenis, meritae praeconia vitae.
Haud alium tanta civem tulit indole Roma,
Aut cui plus leges deberent recta sequenti.
Perdita tunc urbi nocuerunt saecula, postquam
Ambitus, et luxus, et opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt,
Momentumque fuit mutatus Curio rerum,
Gallorum captus spoliis, et Caesaris auro.
Ius licet in iugulos nostros sibi fecerit ense
Sulla potens, Mariusque ferox, et Cinna cruentus,
Caesareaeque domus series: cui tanta potestas
Concessa est? Emere omnes, hic vendidit urbem.]

**814** haut VU, aut T, **816** nunc ag, **819** multatus a, **820** l. Serv. A. VI. 621, **821** iugulis nostris V, iugulo nostro G, ensis MABVU, **821** nostris M, nostri R, fecer*it* M, **822** Sylla O *ut semper*, **823** Caesaraeaeque R.

813 „*Primae* praeconia vitae" Bentleius huius poetae existimationi consulens, qui eundem Curionem proditorem Urbis dixit versu 824. Sed non sufficit *primae* tantum vitae laus, ut magnifica illa: „haud alium" rell. praedicare de eo possis. — *Praeconia formae* et *famae* Ovid. Am. III. 12. 9 et Her. XVII (XVI). 207 (Burm.).

815 „Recta sequenti" part. praes. pro pl. q. erfecto: „leges deberent, si secutus esset".

815—818. Haec apta essent (et fortasse debentur) declamationi in morum corruptelam; omnino cf. I. 160, unde apparet initia luxuriae et avaritiae, quae civitatem pessum dederint, anteriora bello civili a Lucano statui, et quis post Sallustium aliud contenderet?

816 *Nunc* Burm. recepit provocans ad I. 217 et V. 625, in quorum priore est ipsius coniectura. Debebat potius explicare: „nunc, cum Curio recta non est secutus" quo modo *nunc* ferri posset, sed sic ultra modum exaggeratur Curionis in pravum vis. Cui occurrens difficultati idem *urbis* coniecit; sic de civitatis commodo non agitur, de quo versu superiore, sed de Curionis, quasi vero per eius aetatem (*postquam*) morum corruptela ingruerit et non multo ante. Damstéus: *iuveni* pro *urbi* coni., sed quid *saecula*?

819 *Momentum* was that which turned the scale of history. Recte Hask. Sed ridiculum.

820 Vell. Pat. II. 48 „(Curio) pro Caesare stetit; id gratis an accepto centies sestertio fecerit, ut accepimus, in medio relinquemus". Alii quadragies sestertio referunt cf. praeter rerum scriptores Serv. Aen. VI. 621 „Curio Caesari XXVII HS. Romam vendidit". Duo haec *spoliis* et *auro* ad praedam Gallicanam Caesaris referuntur, unde Curionem corrupit.

821 *Ensis*, iudice Burmanno, penderet a *potens*, quod summo iure improbat. Omnes per vim regnaverant, *ense* ad omnes refertur. Cur *Sulla* praecipue *potens* vocetur, nihil est, nisi quod epitheton breve est, ut *ferox* et *cruentus*. Dorvillius *potens* explicabat per *impotens*!

824 „Emere omnes" nempe ludis, visceratione, frumenti distributione, omnino liberalitate etiam erga nobiles. „Vendidit" Curio Caesari urbem. Hoc nimium, non omnia poterat Curio; sed postulabat antithesis. Lusus est indignus re gravi sed aptus epigrammati cavillatorio. Et adversis frontibus haec pugnant cum 811. „Nemo prohibebit, inquit, quominus ego pro merito Curionem laudem" et paucis versibus post: „patriam hic vendidit auro".

Guyetus 816—824 spurios putat, ego totum hoc epiphonema (811—824) fetum puto inepti continuatoris qui. vere an falso, aliquid, dum edebatur, libro deesse ratus ingenium suum male sedulus exercuerit. Curionem quamvis e gente Scribonia male audivisse sub Tiberio efficimus e Velleio Pat. l. l., sed num auctor gratificari his versibus voluerit nec ne Imperatori, definiri non potest, nam quae dicit pugnant non tantum inter se, sed cum tota narratione, qua Curio proponitur tanquam temerarius miles et turbator rei publicae, in neutram partem magnus.

# EXCURSUS AD INITIUM LIBRI IV.

Computatio sic se habet. Quaeritur in quem diem Kalendarii tum usurpati incidat aequinoctium vernum anni 49 a. C. Cf. Unger, Zeitr. in Iw. Müllers Handb. I p. 643, secundum quem

10 Ian. 49 veri temp. = Kal. Mart. ex Kalend. tum usitato (falso).
21 Mart. = 10 Ian. + 70 dies, = Kal. Mart. + 70 d.

| | | | |
|---|---|---|---|
| intersunt enim d. Ian. | 21 | dies Martii | 31 |
| Febr. | 28 | „ Aprilis | 29 |
| Mart. | 21 | „ Mai | 10 |
| | 70 | | 70 |

21us Martii = A.D.VI Id. Maias (10 Mei).

CAESAR ROMAM RELIQUIT non ante medium Aprilem, ut recte Fischer l. l. Statuamus Idus Apriles, sec. falsum tum usitatum Kalendarium. Cum eo die convenit quod secundum O. E. Schmidt l. l. 17 Martii Caesar Brundisio est profectus. Ab eo die (Id. Apr.) usque ad A.D. VI Id. Mai non sunt amplius 26 dies.

BELLUM FINITUM secundum Kalendarium Maffeanum, Antiatium, alia. Afranius et Petreius se tradiderunt IV Non. Sext. = 2 Aug. (falsae computationis).

IN CONSPECTUM HOSTIUM VENTUM EST (Caes. Civ. II. 32) *quadraginta* diebus ante bellum confectum.

Hi 40 dies antecedentes IV Non. Sext. (2 Aug.) sic se habent:

| | |
|---|---|
| Dies Mensis Augusti (Sext.) | 2 |
| „ „ Iulii (Quinct.) | 31 |
| „ „ Iunii | 7 |
| | 40 |

Itaque 7 dies postremi mensis Iunii deducendi sunt. Iunius tum habebat 29 dies, 29—7 = 22 Iunii s. A. D. IX Kal. Quinct. Ergo post discessum ab urbe praeterierant amplius 2 menses antequam in conspectum hostium ventum est.

Quatenus hoc conveniat cum maturitate frumenti Caes. Civ. I. 48 non possum diligenter definire. Statuamus tamen significari ibi postremam partem m. Iunii aut primam Iulii, tum recte maturitas convenit cum supra scripta temporum notatione. Lectio tamen apud Caesarem incerta. Suspicor: „neque frumenta in *horreis* erant, neque <non> multum a maturitate aberant", i. e. neque paulum aberat quin colligi possent. Libri: *in hibernis.*

# M. ANNAEI LUCANI

# PHARSALIA.

## LIBER QUINTUS.

---

Sic alterna duces bellorum volnera passos
In Macetum terras, miscens adversa secundis,
Servavit fortuna pares. Iam sparserat Haemo
Bruma nives gelidoque cadens Atlantis Olympo,
Instabatque dies, qui dat nova nomina fastis
Quique colit primus ducentem tempora Ianum.
Dum tamen emeriti remanet pars ultima iuris,
Consul uterque vagos belli per munia patres
Elicit Epirum. Peregrina ac sordida sedes
Romanos cepit proceres, secretaque rerum
Hospes in externis audivit curia tectis.

**1** ducis $M_1$, volnera AR, **2** macedum VG, im mac. T, **5** qui – fastis *l.* Acro Hor. Carm. III. 17. 4 et 21. 5, das *altero loco aliquot codd.*, **9** epyrum U, improba b, **11** l. Prisc. 157. 1 H, 316. 25 H, 342. 18 H, Servius Aen. III. 539, XII. 519, C. ad VIII. 748, hos*pes* $U_1$, hesternis G.

1 „Sic", Schol. Voss.: „vicerat enim supra Caesar Massilienses, nunc [lib. III. sub. fin.] Pompeianus Iuba superavit Caesarem". „In Macetum terras" = bello, quod in Macedonia aliquando futurum erat. Caesar erat etiamtum in Italia, ut ex reliquo libro apparet, cf. 403, sqq. Macedonia et Thessalia (ubi Pharsalus) saepe a poeta confunduntur.

3 Haemus longe remotus in septentrionalibus confiniis Thraciae sic memoratur quasi in conspectu esset. Pleiades (Atlantis, collective) occidunt ex computo Romanorum inde ab A. D. III. Id. Nov. Sic Plinius et Varro, cf. J. H. Voss. ad Georg. I. 223 p. 111 et de Graecis (quamquam non multum interest) Goettling ad Hes. O. et D. 383. „Instabat dies" qui est Kal. Ian. a. 48. Parum definit, cum intersint septem hebdomades. Ex v. 7 „emeriti pars ultima iuris" apparet tamen postremum actum magistratu abeuntium consulum (Marcelli et Lentuli) significari.

9 „Elicit Epirum". Pompeius non in Epiro, sed in Macedonia, Thessalonicae, hiemem transegit secundum Dionem C., LI. 44.

Nam quis castra vocet tot strictas iure securis,
Tot fascis? Docuit populos venerabilis ordo,
Non Magni partes, sed Magnum in partibus esse.
Ut primum maestum tenuere silentia coetum,
Lentulus excelsa sublimis sede profatur:
„Indole si dignum Latia, si sanguine prisco
Robur inest animis, non qua tellure coacti,
Quamque procul tectis captae sedeamus ab urbis
Cernite, sed vestrae faciem cognoscite turbae,
Cunctaque iussuri primum hoc decernite, Patres,
Quod regnis populisque liquet, vos esse senatum.
Nam, vel Hyperboreae plaustrum glaciale sub ursae,
Vel plaga qua torrens claususque vaporibus axis
Nec patitur noctes nec iniquos crescere soles,
Si fortuna ferat, rerum nos summa sequetur,
Imperiumque comes. Tarpeia sede perusta
Gallorum facibus Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit. Non umquam perdidit ordo
Mutato sua iura solo. Maerentia tecta

**12** scriptas b, **15** cetum U, **16** ecelsa UTG, e celsa M, **17** indoles dignum $M_1$, **19** urbes $M_1$, **22** vos V, **23** iperboreae T, **24** clasusque (clusus que?) T, **26** rerum — comes (27) Prisc. 157. 21 H, sequentur T Prov., **28** vehiosque UAT.

12 Fasces cum securibus consularis et praetorii iuris insignia speciem securis habebant.

13 Scilicet Pompeius vocatus aderat et ipse sine fascibus imperio paret. Ceterum hic senatus sollemnis, quo sane opus fuit, ut magistratus proximi anni designarentur (urbem enim ante comitia reliquerat senatus cum conss.) nusquam alibi commemoratur, Appianus II. 50 huc non pertinet. Potius cf. Dio XLI. 44, unde probabile est, hunc senatum Thessalonicae habitum esse.

15 „Sancti tenuere silentia coetus" coni. Bentl. propter insuavem sonum.

16 „E celsa" probat Bentl., Hos. Iungas: „sublimis sede" ut saepe, cf. Burm.

22 Fortasse: „quod regnis populis liqueat", tam asyndeton in sollemni formula, quam coniunctivus de proposito recte se habent. *Vos* e V adscivi, quamvis v. 26 *nos* sequatur.

24 „Ustusque" Heinsius aliquando, „densusque" Guyet. Zona torrida describitur tanquam caelum (*axis*) negatum hominibus (*clausum*) propter calores, id enim *vapores*, cf. IX. 843 „calidoque vapore adliciunt gelidas nocturno tempore pestes" i. q. calidi corripiuntur nocturno frigore et febri. X. 449 „tecta — longis rapuere vaporibus ignem" siccitate ex calore. „Iniquos" = inaequales, idque ex eventu positum. Noctes et dies ibi non crescunt, semper sunt aequales inter se.

28 „Veiosque habitante Camillo". Imo Ardeae exulabat, cf. Liv. V. 46. 7. Florus tamen 1. 22. 4 (I. 22 Jahn) de Camillo: „sed hic melior civis (quam Coriolanus) in capta urbe consenuit", quemadmodum optime emendavit Baehrens pro *sed haec melior vis*, Veios significat.

29 „Illic Roma fuit" ne hoc quidem cum Livio convenit, apud quem Romae in capitolio Camillus dictator dicitur. Dio XLI. 43 *ὥστε καὶ τὸν δῆμον δι' αὐτῶν* (propter auspiciorum quandam imaginem) *τήν τε πόλιν ἅπασαν ἐνταῦθα εἶναι νομίζεσθαι*, quamquam consules non crearunt, vid. ib. Hariolatur Baier, „de Livio Lucani auctore" p. 4.

Caesar habet, vacuasque domos, legesque silentis,
Clausaque iustitio tristi fora. Curia solos
Ista videt Patres, plena quos urbe fugavit.
Ordine de tanto quisquis non exulat, hic est.
Ignaros scelerum longaque in pace quietos
Bellorum primus sparsit furor, omnia rursus
Membra loco redeunt. En, totis viribus orbis
Hesperiam pensant superi, iacet hostis in undis
Obrutus Illyricis, Libyes squalentibus arvis
Curio Caesarei cecidit pars magna senatus.
Tollite signa, duces, fatorum inpellite cursum,
Spem vestram praestate deis, fortunaque tantos
Det vobis animos, quantos fugientibus hostem
Causa dabat. Nostrum exhausto ius clauditur anno,
Vos, quorum finem non est sensura potestas,
Consulite in medium, Patres, Magnumque iubete
Esse ducem". Laeto nomen clamore senatus
Excipit, et Magno fatum patriaeque suumque
Inposuit. Tunc in reges populosque merentis
Sparsus honor, pelagique potens Phoebeia donis
Exornata Rhodos, gelidique inculta iuventus
Taygeti, fama veteres laudantur Athenae.

*Versus* **31–91** *adsunt in Pv.*, **31** Caesar habet [Prob.] IV. 2. 39. 33 K., silentis Pv. silentes reliqui, **33** „ista" adscriptum in A, illa, rell. vulgo, **34** exolat Pv c, **37** menbra U, **38** Hesperiem MA. **39** Illiricis M, Libies UT, Libyes AE. Lybiaes m, Lybiae V, Libie R, Lybae M, Lybia pro libya semper codd. sqalentibus Pv, **41** inpellite AR, imp. Pv et reliqui, **42** vestram Pv, deis PvVMA, diis U, **43** vobis VM, nobis PvE UAT, **44** causa Pv et rell.. exacto Pv Rg, exhausto VUMA, **46** patresq. magnumq., sed prius que deletum Pv, **49** imposuit PvVU, inp. MA, merentis Pv, merentes rell, **50** honor Pv VUM, honos AbE, pelagoque Pv, — gique reliqui et vulgo, Phoela Pv Phebeio VUR, **52** taigeti V, tageti U, taygete corr. in -ti M, taugeti A.

31 „Caesar amet" coni. Freund laudatus a Keilio ad Probi l. l. cf. Hor. „hic ames dici pater atque princeps". Non opus.

33 Post Sulpicium recte Oudend. explicat; subiectum ante *fugavit* est *curia*. Britanni fere: this your *House* knows only the members, which it has expelled from the house there. Obscurum quod *curia* ante *fugavit* senatores indicat, *curia ista* locum. Recepi *ista* i. e. ubi *vos* estis.

38 Pensant, compensant, iacturam Italiae possessione reliqui orbis. Sequentia pertinent ad Vulteium in Illyrico mari, Curionem in Africa suppressos, de quibus libro IV.

43 *Vobis* rectius quam *nobis*, utpote oppositum voc. *nostrum*, (i. e. consulare) et lenem continens reprehensionem, quae apte convenit cum proximo *exhausto* = exantlato; gaudet quod iam huic senatui regendo possit valedicere. *Exacto* Heins. p. 139 et Oudend., qui tamen ipse *exhausto* recte explicavit.

50 *Pelago* defendit Detlefsen, quoniam Rhodos a prisco splendore remisisset; at si id reputasset poeta, ne *pelago* quidem *potens* dixisset.

52 „Famae veteres" vir Doctus, fortasse Heins., *famae veteris* Cortius.

[Massiliaeque suae donatur libera Phocis.]
Tunc Sadalam, fortemque Cotyn, fidumque per arma
Deiotarum, et gelidae dominum Rhascupolin orae
Conlaudant, Libyamque iubent auctore senatu
Sceptrifero parere Iubae. Pro tristia fata!
En tibi, non fidae gentis dignissime regno,
Fortunae, Ptolemaee, pudor crimenque deorum,
Cingere Pellaeo pressos diademate crinis
Permissum. Saevum in populos, puer, accipis ensem,
Atque utinam in populos! — donata est regia Lagi,
Accessit Magni iugulus, regnumque sorori
Ereptum est, soceroque nefas. Iam turba soluto
Arma petit coetu. Quae cum populique ducesque
Casibus incertis et caeca sorte pararent,
Solus in ancipitis metuit descendere Martis
Appius eventus, finemque expromere rerum
Sollicitat superos, multosque obducta per annos
Delphica fatidici reserat penetralia Phoebi.

**53** Omittit $P^v$, 53 et 54 a manu 2 in rasura M, inverso ordine in AE, sed cum nota in marg., focis AU, **54** tum $P^v$, tunc reliqui, sodalum $P^v$, sadalem V, sadalam CUMRT, sadalen A, cothin M, cotin C, **55** gelae $P^v$, gedilae s. s. id M, rhascypolin $P^v$A, trascipolin V, . . rascupolin M, trascypolin U, rhascypolin BG, raycipolin T, tracinpulin C, orae supra scr. h G, **56** conlaudant V$P^v$, **57** proh VU, **58** et tibi AC, **59** ptolemeae $P^v$, pholomeae R *littera t suprascr*, phtholomee *ut saepius* G, ptolomaee C, **60** cinge $P^v$, pelleo VU, crinis $P^v$A, **61** perm. est AET, [est] $P^v$, saevum $P^v$ cum reliquis praeter Uc: serum, puer acc. ens. abscissa in $P^v$, accipis ex accipit corr. M, **62** donate $P^v$ *ex corr., antea vocabulum, dessen Züge Aehnlichkeit hatten mit* PYIRACĊ *Detlefsen.* **64** eruptum T, **66** parerent A, forte, in sorte corr. M, **67** ancipites $P^v$ *cum reliquis, sed* incertos G, (ancipites g), **68** aeventus U, finemque expr. r. l. Lact. Theb. III. 451, exprome $P^v$, **69** mu . . . . q. $P^v$ 4 *litteris in fine paginae evanidis*, obducta VUM ($P^v$ abducta).

53 Dio XLI. 25: *ἀνθ' ὧν ἡ Φώκαια ἡ μητρόπολίς σφων (τῶν Μασσαλιωτῶν) ἐλευθέρα ὑπὸ τοῦ Πομπηίου ἀφείθη* (inter res gestas a. 705). Versus hic prima specie *αἰνιγματώδης*, cuius sententia: „Phocaeae libertas conceditur propter virtutem Massiliae, ipsius coloniae", convenit cum Lucani genere dicendi, sed propter $P^v$ suspectus; quod Phocis et Phocaea confunduntur, gravis error est, sed saepius commissus, de quo iam Oudend. ad III. 340.

55 Rhascupolin dedi cum M, in quo recte litterae duae, sine dubio *th*, a prima manu deletae sunt convenienter nummis, in quibus *PAC(PAIC)KOYΠOPIC* dicitur non *Ῥασκύπορις*, nec *Θρασκ.*, et sic vulgo post Oudend. qui conferatur, etiam ad Caes. b. Civ. III. 4. In primae syllabae $\bar{a}$ (= *ᾳ*) et in ultimae *l* omnes Lucani libri, Velleius, II. 129 (Rhascupolim) consentiunt; Tacitus: Rhescuporis; cf. Ritter ad Ann. II. 64. L pro r ex vulgari pronuntiatione nata. — *Geticae* Heinsius pro *gelidae*.

58 *Non fidae* propter metrum pro *infidae*, ut passim: „non sanus" VII. 834, „non iustus" IX. 50, cf. „non asper" = obtusus VI. 186.

62 *Populus* in plurali numero saepius de una gente sive barbara sive Romana (VII. 436) i. q. *homines*, quo modo h. l. *regiae* opponitur. Ptolemaeus, Pompeio interfecto, a *socero*, Caesare, caedis culpam removit.

Hesperio tantum, quantum summotus Eoo
Cardine Parnasus gemino petit aethera colle,
Mons Phoebo Bromioque sacer, cui numine mixto
Delphica Thebanae referunt trieterica Bacchae.
. Hoc solum fluctu terras mergente cacumen
. Eminuit, pontoque fuit discrimen et astris.
ɔ : Tu quoque vix summam seductus ab aequore rupem
ɔ : Extuleras, unoque iugo, Parnase, latebas.
Ultor ibi expulsae, premeret cum viscera partus,
Matris adhuc rudibus Paean Pythona sagittis
Explicuit, cum regna Themis tripodasque teneret.
Ut vidit Paean vastos telluris hiatus
Divinam spirare fidem ventosque loquaces
Exhalare solum, sacris se condidit antris,
Incubuitque adyto, vates ibi factus Apollo.
Quis latet hic superum? quod numen ab aethere pressum

**71** summotus $P_v$MRTE, semotus VUe, **72** cardine – sacer (73) l. schol. Persii prol. 2, parnassos $P_v$ Schol. Pers. parnasos A, parnasus ER, collem M$_1$, **73** pater cui $P^v$, phebo U, bronioq. T, nomine G, numine g, *cum rell. et Servio*, **74** fatidicae A in marg. m. 2, triatherica Ug tri... bacchae M, trieth. R, tiet. T, bachae U. 73 cui – bacchae (74) l. Servius Aen. VI. 78 et inde Comm. ad 71, 75 et 76 l. Lactantius ad Stat. Theb. I. 118, **76** emicuit Lact., ponto fuit T, **77–91** in $P^v$ partim legi non potuerunt, **77** seductus g, sublevatus M (non apparuit in $P^v$), **78** unoque – latebas l. Lactantius Theb. I, 62. Parnasse $P_v$MA, Parnase VUG, **79** ibi g, **80** phytona VM, phitona U, sagittis $P^v$ cum reliquis, sag$^{i}$ittas A$_1$, **84** exalare $P^v$U, sonum v, **85** adyto $P_v$ *et reliqui*, adito U, Apollo est $P^v$, **86** hic *ex* huc *corr.* M, here pressum *supra scr. minoribus litteris* $P^v$.

73 „Quis numine mixto" Schrader. Cf. Iuv. VII. 64 „dominis Cirrhae Nysaeque feruntur". Non attendit Schrader ad *Bacchae*; hae colunt Dionysum solum et tertio quoque anno (trieterica) bacchantur hieme in nivoso Cithaerone et Parnaso, cf. Preller Gr. Myth. 2r Abschn. C. 3 p. 429. Cum numen mixtum sit in Apollinis monte Dionyso operantur mulieres; non est: Apollinem et Dionysum communi cultu colunt. *Quo* non recte se haberet propter ablativos sequentes.

76 *Emicuit* probat Heinsius in Cortio-Web. et Cortius provocans ad Stat. Theb. IX. 247, ubi *emicare* de piscibus, ut alibi de delphine.

77 *Seductus.* Non apte Cortius comparat VIII. 291, cf. Stat. Theb. III. 460: „mons erat audaci seductus in aethera dorso". Interpretamentum in M *sublevatus* favet lectioni *subductus*, et sic in Statio Heinsius. Aliam offensionem hic versus habet quod post superiora, in quibus iam de Parnaso sermo est, *tu quoque* male usurpatur, ac si ad novum subiectum transeatur. Cui vitio frustra mederi conatur Schraderus scribendo *tum quoque* (sic iam Micyllus), nam hoc quoque tantum aptum est ad *alia* simul facta transeunti. Non magis probanda *sic* (Withof) et *hanc* (Burm.). Manifesto hi versus 77 et 78 ab hoc loco alieni et cum duobus superioribus 75 et 76 consociari non possunt; destinaverat eos poeta alii loco aut alii conformationi huius, eosque hic omissos voluit.

85 *Est* palimpsesti debilitat locum; *factus* est attributum; cum emphasi *Apollo* in fine ponitur. Similiter Hor. Od. III. 4. 64. „Delius et Patareus Apollo". *Vates sibi* Heinsius et Steinhart de Schedis p. 18, qui refert in U ante *ibi* litteram *s* deletam esse, mihi non notatum, nec assequor quid sibi velit.

86 Heinsius *lapsum. Pressum* (pro depressum, demissum, deiectum?) coniungi non

Dignatur caecas inclusum habitare cavernas?
Quis terram caeli patitur deus, omnia cursus
Aeterni secreta tenens mundique futuri
Conscius ac populis sese proferre paratus,
Contactusque ferens hominis magnusque potensque,
Sive canit fatum, seu quod iubet ille canendo
Fit fatum? Forsan terris inserta regendis,
Aere libratum vacuo quae sustinet orbem
Totius pars magna Iovis, Cirrhaea per antra
Exit et aetherio trahitur conexa Tonanti.
Hoc ubi virgineo conceptum est pectore numen,
Humanam feriens animam sonat oraque vatis
Solvit ceu Siculus flammis surgentibus Aetnae
Undat apex, Campana fremens ceu saxa vaporat
Conditus Inarimes aeterna mole Typhoeus.
Hoc tamen expositum cunctis nullique negatum
Numen ab humani solum se labe furoris
Vindicat. Haud illic tacito mala vota susurro

**89** alterni A in marg. m. 2, mundoque AM (*sed corr. in* -di) EG, di g, **91** que *post* cont. *addidit m.* 2. M, contactus $P^vAG$, contactum VUMT, hominis $P^v$ O. Desinit $P^v$, cf. v. 152, **92** sive—fatum (93) l. Lact. Theb. I. 213, quod canit G, iubet g *c. rell.*, **93** sit Lact., **94** qui m, **95** totius—tonanti (96) l. Lact. Theb. VIII. 331, **96** aethere*o* M, convexa $M_1A$, conexa (*per unam* n) VU, **99** surgentibus a, urgentibus rell. vulgo, aetnam O vulgo, **100** ferens m, **101** l. Prisc. 73. 21 H, inarmis a, aeterna in mole $M_1$, (aeternajmole), **102** nulli cunctisque M, **104** tacit*o* M.

potest cum sequentibus et a vocabulis *ab aethere* separari (Heyne), itaque recte dubitasse videtur Heinsius, sed mutatio incerta. Propius accederet *mersum*, cf. IX. 577 et *missum — summo* satisfaceret sententiae cf. v. 132.

88 *Omina* cursus" Heinsius in Cortio-Weberiana. Magis suspecta priora. „Terram patitur" est i. q. terram subit; ut accidit Plutoni et omnino diis inferorum, quibus *caeli deus* opponitur, quales sunt Iupiter caeli, Apollo lucis, reliqui dii Olympi.

91 „Contactusque — hominis" Cortius. *Hominis* omnes libri; inde librarii, *contactum*, sed ante collectivum *hominis* etiam pluralis recte se habet.

92 *Ipse* Grotius. *Canendo* cum *iubet* iungendum, quod non tenens Burm.: *quod canit*.

93 Divina natura totum permeat mundum; pars Iovis latet abscondita in antro Delphico et studet cum ipso iungi, cf. IX. 578 sqq., Verg. Aen. VI. 724—754.

94 sq. Conicio: „Totius pars magna Iovis, qua sustinet orbem Aere libratum, terris inserta regendis". Cf. ind. vol. II. v. hemistichia.

99 „Flammis torrentibus Aetnae" Heinsius; „Siculae flammis surgentibus Aetnae Undat apex" familiaris Burmanni. *Surgentibus Aetnae* verum puto et recepi; in „flammis *urgentibus* (*torrentibus*) *Aetnam*" *Aetna* et *Siculus apex* diversa viderentur.

101 Pindaro Typhoeus sub Aetna iacet, Vergilio, Aen. IX. 713 sub Aenaria (Inarime); Campania quo tempore haec scribebantur, terrae motibus vexabatur, a⁰ 63, tum cum Pompeiis multa aedificia corruerunt.

102 *Expositum* Iuvenalis VII. 54 „qui nil expositum soleat deducere".

103 Schol. Voss. „quia, cum omnibus respondeat, homicidis non respondet". Aliud scholium: „quia non audit iniustas preces".

104 Cf. Hor. Epist. I. 1. 59. „Iane pater clare, clare cum dixit Apollo, labra movet

Concipiunt. Nam fixa canens mutandaque nulli
Mortalis optare vetat, iustisque benignus
Saepe dedit sedem tutam mutantibus urbes,
Ut Tyriis, dedit ille minas inpellere belli,
Ut Salaminiacum meminit mare, sustulit iras
Telluris sterilis monstrato fine, resolvit
Aera tabificum. Non ullo saecula dono
Nostra carent maiore deum, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges timuere futura
Et Superos vetuere loqui. Nec voce negata
Cirrhaeae maerent vates, templique fruuntur
Iustitio. Nam si qua deus sub pectora venit,
Numinis aut poena est mors inmatura recepti,
Aut pretium; quippe stimulo fluctuque furoris
Compages humana labat, pulsusque deorum
Concutiunt fragilis animas. Sic tempore longo
Inmotos tripodas vastaeque silentia rupis

**107** sedes R, sedem r c. rell., totas O vulgo (notas V Stht)., **110** steriles MG. **111** nonnullo $M_1$, **112** maiora AB, **114** ac superos a, ventura $M_1$. **115** vatis AB, **116** *p*ectora M, **117** innatura AMR, **118** qui*ppe* M quiq; A (quippe a) qui*p* B, **121** inmotas U, *tripodas* *v*astaeque M, rupes $A_1$.

metuens audiri: pulcra Laverna da mihi fallere" rell. Pers. 2.6 „haud cuivis promptum est murmurque humilisque susurros tollere de templis et aperto vivere voto".

106 Iustisque — tabificum (111) eicit Guyet, v. 111 *ullo* omittens.

106 Nulli quidquam concedit Apollo, sed fata canit, favorem igitur Dei nemo sperare debet. Non hoc optime convenit cum sequentibus: „iustisque benignus", rell. Cum deterioribus quibusdam Burmannus commendat: *sedes tutas*. Vulgata: „sedem totas mutantibus urbes" non potest defendi. „Mutare locum" significat migrare e loco. Supra II. 137 „mutavit translata locum". Notum Horatianum: „caelum, non animum, mutant qui trans mare currunt" (Epist. I. 11. 27), frustra quis taedium post se *relinquit* ut patriae solum. Haec si est significatio verbi *mutare*, absurdum est *totas* adiicere. Ipse autem per *Tyriis* quid velit poeta indicat; indicio oraculi Cadmus et Dido Phoenicen *reliquerunt*. Sed pluralis in Burmanni lectione ambiguus est et longius a fide librorum recedit quam a me recepta, nata ex *tutamutantibus*, quod librarii pro ingenio suo suppleverunt. (Heitland Class. Journ. 1895, p. 195a defendit *totas* ut sit i. q. *prorsus*; usus incertus (cf. ad VIII. 336) et h. l. certe ambiguus esset).

108 *Inpellere* male Burm. explicat: depellere. „*Inpellere* notat propellere, vs. 41: „fatorum inpellite cursum". Adde vs. 330, 757, VI. 36, VII. 576". Oudendorp. Sic dictum ut: „incitare furorem", „stimulare iram". Pythia hortata est ad bellum navale. Schraderus sine causa: *moras* vel *vices belli*.

113 *Reges*, Nero, inquit Scholiastes Voss. sed iam Plutarchus quaerit, cur desinant oracula, in libello de Defectu Oraculorum.

115 *Templique*, contra morem Lucani negatio non pertinet ad alterum membrum. *Si qua*, quarundam pectora capere deum non possunt.

118 *Flatuque* coni. Burmannus, quamvis iam Oudendorpius *irae*, *curarum fluctus* et „mente incendi fluctibus" e Catullo 65, 97 comparasset. Simile est etiam Graecum *κλύδων*. Schraderus: „quippe stimulis ictuque furoris".

Appius Hesperii scrutator ad ultima fati
Sollicitat. Iussus sedes laxare verendas
Antistes, pavidamque adytis inmittere vatem,
Castalios circum latices nemorumque recessus
Phemonoen errore vagam curisque vacantem
Corripuit, cogitque foris inrumpere templi.
Limine terrifico metuens consistere Phoebas,
Absterrere ducem noscendi ardore futura
Cassa fraude parat. „Quid spes, ait, improba veri
Te, Romane, trahit? Muto Parnasus hiatu
Conticuit, pressitque deum, seu spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter, seu barbarica cum lampade Pytho
Arsit, in inmensas cineres abiere cavernas,
Et Phoebi tenuere viam, seu sponte deorum
Cirrha silet, farique sat est arcana futuri

**122** ultima s. s. fastu M, fasti $M_1$, **123** solicit*a*t A, iussu a, **124** antistis A, paviduque V, inmittere U, deis (pro adytis) O et vulgo, **126** phoemonoen V, vacantem M, **127** inrumpere AR, **130** cassa — perit l. Prisc. II. 222, sq. H *sed fort. interpolatus*, **131** tr*ah*it M, multo T, parnasos $M_1$, parnassos A, **132** pressit [qua] T, **133** indebita AB, in devia (i) m. 2 cum rell., **134** seu — arsit (135). Mythogr. Vatic. III. 85 p. 202 B, phoeton (*adscr.* musa apollinis) V, pyton U, python MA, phyton G, pithon T, **135** inmensas A, **137** cyrra VG, chyrra U, fatique O vulgo, (farique VStht.) archana VUAB.

122 „Ad ultima *rerum* scrutator fati" interpretor, nempe usque ad interitum liberae reip. et suum. Scilicet hic Appius semper augurali disciplinae operam dederat. Est A. Claudius A. f. Pulcer cons. a. 700, censor acerbus a. 704, *Censorinus* inde a Schol. l. l. dictus, a Pompeio, quem ex Italia erat secutus, Achaiae praepositus. Ceterum cf. Val. Max. I. 810, Oros. VI. 151, unde Schol. Bern. ad 68. Ambiguitas oraculi erat in verbo *ἔχειν*, *possidere* aut *cadavere suo occupare* (vid. Val.); eam obscuravit Lucanus; cf. Aesch. Sept. 800 *ἕξουσι δ' ἣν λάβωσ' ἂν ἐν ταφῇ χθονός* de Eteocle et Polynice.

124 *Adytis* Schrader. Quae ad *deis* defendendum affert Oudendorp, non similia sunt. Seneca HO. 95 „Bacchus et Perseus deis iam se intulere" i. q. immortalitatem meruerunt. „Intrare mentes superum" Sil. It. I. 124 est „penetrare" in mentem deorum. Stat. Achill. I. 508 „heia irrumpe deos", si sic legendum, est extorque nolentibus verum. Reliqua quae Drakenborchius ad Silii l. l. affert minus etiam similia. Sententia manifesto requiritur: coge adire specum. Deis inmittere significaret deorum coetum intrare iubere, aut deis aequiparare, quod alienum. Bentleius: „placitamque deis immittere vatem".

130 *Quae* probat Bentleius; hoc est obiurgantis, *quid* interrogantis.

134 *Python* tuentur Cortius, Weise, Haskins, sed *Pytho* *πυθώ* (ἡ) est nomen loci, *Python* aut *Pytho* nomen draconis *πύθων, ωνος* (ὁ). Librariis ea in re exigua fides est, nec maior Cortio ad Plin. Epist. VI. 31 imperite omnia in *-o* confundenti. Scholion in V: „flamma Gallorum Brennone duce".

136 *Tenuere* = obstruxere hiatum. cf. X. 275 „illos subeunda perusti zona poli tenuit", VI. 201, V. 205. Ovid. Her. VI. 126 „sed tenuit coeptas saeva noverca vias".

137 *Fati—Carmina* Bersmannus et Oudendorpius, quamvis haesitans, reliqui usque ad Burmannum, qui *fari—carmina* proposuit, prius vocabulum ex coniectura. Verba cohaerent: „satis est carmina longaevae Sibyllae vobis (Romanis) commissa fari arcana futuri". Carmina fantur ea, quae, tanquam

Carmina longaevae vobis commissa Sibyllae,
Seu Paean, solitus templis arcere nocentis,
Ora quibus solvat nostro non invenit aevo.
Virginei patuere doli, fecitque negatis
Numinibus metus ipse fidem. Tunc torta priores
Stringit vitta comas, crinisque in terga solutos
Candida Phocaica conplectitur infula lauro.
Haerentem dubiamque premens in templa sacerdos
Inpulit. Illa pavens adyti penetrale remoti
Fatidicum prima templorum in parte resistit
Atque deum simulans sub pectore ficta quieto
Verba refert, nullo confusae murmure vocis
Instinctam sacro mentem testata furore,
Haud aeque laesura ducem, cui falsa canebat,
Quam tripodas, Phoebique fidem. Non rupta trementi
Verba sono, nec vox antri conplere capacis
Sufficiens spatium, nulloque horrore comarum
Excussae laurus, inmotaque culmina templi,

**138** sibillae VUMR, carmina VUMRTG, carmine. *rell. et vulgo*, longevae MG, **139** nocentis G, **142** prioris MA. priores m c. rell.. **143** vi*t*ta M, **144** conplectitur MA, **146** aditi VUMR, penetral*e* M. **148** su*b* M. **149** confussae MA, **150** furor*e* M, **151** haut V, **152–211** adsunt in Pv, cf. v. 91; *v.* 152–166 *pleraque evanuerunt*, *phoebique* U, **153** antra, corr. m. rec. in vulg. U, **154** h*or*rore M, **155** excusae U (excussae Pv c. reliquis), usimmotaaq Pv, limina U, culimina M, culmina Pv (. lm. .) uVAG.

oraculum, in re trepida praescribunt prodigia procuranda; dicunt, quid futurum sit his peractis. Locus non intellectus est, quod *vobis* quo referatur, et *long. Sibyllae* quis casus sit prima specie obscurum, et inde corruptus. Burmannum sequitur Hosius. Etiam *arcana*, non iungendum cum *carmina*, primo ambiguum. Talia autem in carmine non perpolito tolerari possunt. Vulgata olim *fati—carmina*, quae interpretanda est addito *esse* ad *commissa*, laborat intolerabili abundantia in his: „fati arcana futuri", quam non tollit Marklandus coniciens: „fatique *patent* arcana futuri, carmine —".

141, sq. Metus ipse sacerdotis significabat re vera esse aliquam adscendenti in tripodem molestiam et vaporem etiamtum ex hiatu emitti. quod illa negabat (*negatis*).

147 *Tectorum* Bentleius pro *templorum*.

148, sqq. Oudendorp. v. 150 *intactam* pro *instinctam* commendat duplicem desiderans negationem: sine ullo murmure (149) et non tactam a deo prodens mentem. Sed „nullo murmure testata" i. q. non testata murmure. V. 148 interpretandum: deum simulans pectus suum occupasse (esse „sub pectore quieto") verba refert ficta.

149 *Concussae* in MA fuisse coniicio.

151 Heinsius: *lusura*. Sententia: „magis etiam nocebat fidei oraculi quam Appio", sed *pari* eventu (nullo) *luderentur* oraculum et Appius. Cf. VII. 848.

152 sqq. „non — nec — nullo — immota", series negationum, dum singula momenta, quae in vera vaticinatione adesse debebant, negando persequitur poeta, conferatur cum II. 354 sqq. „non — non (360) — haud (362"). Defectus omnium, quae adesse debebant, ostendebat nolle virginem deo operari. Negatio quae est in *nullo* iungenda cum *excussae*. „Securumque nemus" affirmative enuntiatur = quod nemus securum manebat.

155 *Limina* praefert Bentl. coll. Verg. A. III. 91, minus recte; nam non adstat

Securumque nemus veritam se credere Phoebo
Prodiderant. Sensit tripodas cessare, furensque
Appius: „Et nobis meritas dabis, inpia, poenas
Et superis, quos fingis, ait, nisi mergeris antris,
Deque orbis trepidi tanto consulta tumultu
Desinis ipsa loqui". Tandem conterrita virgo
Confugit ad tripodas, vastisque abducta cavernis
Haesit, et insueto concepit pectore numen,
Quod non exhaustae per tot iam saecula rupis
Spiritus ingessit vati, tandemque potitus
Pectore Cirrhaeo non unquam plenior artus
Phoebados inrupit Paean, mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere iussit
Pectore. Bacchatur demens aliena per antrum
Colla ferens, vittasque dei Phoebeaque serta
Erectis discussa comis per inania templi
Ancipiti cervice rotat, spargitque vaganti
Obstantis tripodas magnoque exaestuat igne,
Iratum te, Phoebe, ferens. Nec verbere solo

**156** Poebo U **157** prodiderat G—rant g, sensit O, sentit Grot., **158** et nobis dabis — ait (159)) I. Servius ad Aen. VI. 662, improba MG Serv., impia mg c. reliquis (.s. imp. $P^v$), **159** fugis U, fingis $P_v$ m c. reliquis, fiuges M, mergeres corr. in vulg. M, .erg . ris $P_v$, **160** consultamultu $P_v$, **162, 163** l. Mythogr. Vat. III. 8. 5. p. 202 B, adducta MART, a$\overset{d}{b}$ducta V, abducta $GP_v$ (ab . .), *immersa* U Myth., cavernas $M_1$, **163** invito M, insueto V̇UmAB Schol. Voss. („quia diu Apollo tacuerat"). Myth. **164** tot in saecula T, **165** incessit BG ingessit g, **166** cyrreo VG, chirreo UMA, numquam M, supra scr. m. 2: no, **167** inrupit $P^v$UMA. irrupit VG, **168** atque — pectore (169) laudat Prisc. 206. 18 H, Servius Aen. III. 433, **169** bachatur RU, **170** phoebeiaq. V, **171** erectas comas u, erectis discussa comis Acro ad Hor. Epod. 5. 27, **173** obstantis UM, obstantes M corr., cum reliquis, etiam $P_v$, igni mA, ($P^v$ c. reliquis—ne), **174** solum G, solo g.

Pythia ante templum ut apud Vergilium Aeneas. Si quis intravit (147) motum totius aedificii animadvertet, non valvarum. Cf. infra 520.

158 „*At* nobis" Heinsius, cui non favet locus pronominis, aptus oppositioni: „*et* nobis, *et* superis". Servius *et* confirmat. *Inproba* in G et M, diversae familiae codd., et Servio interpolatum e Verg. A. IV. 386 „dabis. inprobe, poenas".

169 „Aliena per antrum *ora* ferens" Steinhart, de schedis rescr. Vindob. p. 15: „corda gerens" Bentl. Rectius Steinh., sed sine probabilitate palaeographica: *aliena* = reluctantia, sc. a iugo ferendo (cf. Verg. A. VI. 77, sqq.). „Non propria vi ac natura", inde = irritus aut insolitus. Hom. Od. XX. 347 γνάθμοισι γελοίων ἀλλοτρίοισι. Hor. Sat. II. 3. 72 „malis ridentem alienis", Apul. Met. IV. 27 „pedibus fugientem alienis". Vid. etiam infra 169 et X. 293, 299. Ceterum cf. „ancipiti cervice" v. 172.

170 *Peneaque* serta coni. Heins. Advv. p. 139. i. q. Daphnaea.

171 *Erectis* non *arrectis* cf. I. 209.

Ureris et stimulis: flammas in viscera mergis.
Accipit et frenos, nec tantum prodere vati,
Quantum scire licet. Venit aetas omnis in unam
Congeriem miserumque premunt tot saecula pectus.
Tanta patet rerum series, atque omne futurum
Nititur in lucem, vocemque petentia fata
Luctantur: non prima dies, non ultima mundi,
Non modus Oceani, numerus non deerat arenae.
Qualis in Euboico vates Cumana recessu,
Indignata suum multis servire furorem
Gentibus, ex tanta fatorum strage superba
Excerpsit Romana manu, sic plena laborat
Phemonoe Phoebo, dum te, consultor operti
Castalia tellure dei, vix invenit, Appi,
Inter fata diu quaerens tam magna latentem.
Spumea tunc primum rabies vesana per ora
Effluit, et gemitus, et anhelo crebra meatu
Murmura; tunc maestus vastis ululatus in antris
Extremaeque sonant domita iam virgine voces:
„Effugis ingentis, tanti discriminis expers,

**175** ureris *editor*, uteris O, set $P_v$, ac (pro: et) R, stimulos UM$P_v$T, stimulis uM ex corr. t cum reliquis, flammaque O$P_v$, mergit U corr. rec. m. in vulg., **176** efrenos T, nec tantum — licet (177) l. Serv. Aen. III. 379, cf. id. ad VI. 80, **177** imam T, venit — pectus (178) l. Serv. Aen. III. 379, **180** potentia $P_v$, **182** derat MA, deerrat $P_v$, deerat m cum reliquis, **183** euboyco U, talis O, **187** phoemonoe $P_v$V, phebonoe R, **189** multa Vu, magna UM, **190** tunc $P_v$ cum reliquis, rerora $P_v$, **191** clara O$P_v$, **192** tum V, tunc primum [maestus] $P_v$, agris V, antris v, **193** domitae MA, dòmita m cum reliquis, etiam $P_v$.

175 *Uteris* vulgo, sed fieri non potest ut hoc et *mergis* diversorum sint subiectorum: *uteris* Apollinis, *mergis* („in viscera tua demittis") Phemonoae esset. Oppositum membrum cum emphasi sine particula adversativa ponitur: flammas in viscera mergis, cf. IV. 775 „non volneribus nec sanguine solum: | telorum nimbo peritura ac pondere ferri". X. 37 „non illi flamma nec undae | nec sterilis Libye nec Syrticus obstitit Hammon: | isset in occasus mundi devexa secretus | ambissetque polos". X. 105 „nequiquam duras tentasset Caesaris auris, | voltus adest precibus". *Uteris, at stimulos* Oudendorp, *urges sed stimulos* Steinhart, de schedis rescr. Vindob. p. 14. De usu verbi *uro* cf. intpp. ad Hor. Epist. I. 16. 47: „loris non ureris". „Inusta flagella" Catull. 25. 11, cf. Gron. Diatr. Stat. p. 351 Hand., infra VI. 193. Heinsius: „et stimulos flammas in pectora cogis", per appositionem. De conff. *uro* et *utor* cf. VI. 578.

183 *Qualis* cum Cortio Damsté. Quomodo Cumana Sibylla ex sortibus universis solas Romanas collegit manu superba, fastidiosa, sic solius Appii fatum Phemonoe ex omnibus conquisivit. Cf. Verg. A. III. 445, VI. 74. Tertium comparationis est in delectu. Per *qualis* ad sequentia respicitur, per *talis* minus recte ad superiora, in quibus nulla delectus significatio. Ad *qualis — sic* cf. I. 100, 498.

191 *Crebra* Bentl. *Clara* sine dubio corruptum; clara vox et murmura sunt contraria inter se. Non tam certum, quid sit substituendum, sed ex propositis emendationibus *rara*, *rauca*, *vasta*, *crebra*, Bentleiana proxime ad traditam lectionem accedit.

Bellorum, o Romane, minas, solusque quietem
Euboici vasta lateris convalle tenebis".
Caetera suppressit, faucesque obstrinxit Apollo.
Custodes tripodes fatorum, arcanaque mundi,
Tuque potens veri Paean nullumque futuri
A superis celate diem, suprema ruentis
Imperii caesosque duces et funera regum
Et tot in Hesperio conlapsas sanguine gentes
Cur aperire times? An nondum numina tantum
Decrevere nefas, et adhuc dubitantibus astris
Pompeii damnare caput, tot fata tenentur?
Vindicis an gladii facinus poenasque furoris
Regnaque ad ultores iterum redeuntia Brutos,
Ut peragat fortuna, taces? Tunc pectore vatis
Inpactae cessere fores, excussaque templis
Prosiluit. Perstat rabies, nec cuncta locutae,
Quem non emisit, superat deus. Illa feroces

**195** [o] G, **196** teneb.is M, convelle, supra scr. a $P_v$, **197** subpressit UR (suppressit etiam $P_v$), fauces [que] $P_v$T, [faucesque] R, obstrinxit $P_v$, *reliqui* obstruxit *praeter* AG: obstrusit et T: obtrusit, *et sic vulgo* (g supra scr. xit), **198** tr*ypo*das U, tripodae G, arcana contra perpetuum recentiorum librariorum usum, non: archana, $P_v$, **200** supprema UG, **201** inperio corr. in – rii M, **202** conlabsas $P_v$, conlapsas UMA, hespereo A, **205** Pompei $P^v$M, dampnare U, **206** vindiciis $P_v$, furorīu $P_v$, furorum UABG, furoris VMag, **208** tunc $P_v$G, tum UMVA, at (pro: ut) m, **209** inpactae cessere fores Prisc. 525. 24 H., inpactae $P_v$VUMAG, inpulsae vu, expulsaq. VUMaRG, exclusaq. AB, excusaq. T, templo $P_v$, **210** restat AT, in marg. m. 2. *p*, locuta est VUmAG, locutae M, loctae $P_v$, **211** superest O vulgo, ille O vulgo ferocis, $M_1$ (feroces $P_v$ cum reliquis), ille O, Desinit $P_v$, cf. V. 272.

196 *Latebris* Acad. I. ap. Cortium, quae lectio requireret maiorem mutationem: „Euboicis vasta latebris convalle tenebis". Oraculorum obscuritas omnia potest excusare, velut hic *lateris* (= orae).

197 „Obstrinxit" Steinhart e $P^v$., „de schedis" p. 21.

208 Haskins: „lest, if the dead of Brutus were known beforehand, it should be prevented". V. 207 „regnaque – Brutos" i. q. poenam regni affectati, iterum Brutis commissam.

209 „Pectore vatis cessere inpactae (ei) fores" figurate fores vati inpactae significant necessitatem loquendi ei iniunctam, vincula soluta sunt, nec verba amplius ei extorquentur.

Ib. *exclusa* (A) merito spretum est; vere Cortius: *excludere* est *non admittere* coll. III. 332, 368 et aliis, et sic apud comicos. Non significat: exturbare, expellere. *Excussa* Cortius e deterioribus. T: *excusaque* monstrat originem corruptionis; verbum frequens apud Lucanum. Nota est Chloë apud Horatium, quae *excutitur*, Carm. III. 9. 19, equus equitem excutiens ap. Livium et al.; et homo excussus negotiis Hor. Sat. II. 3. 20 et qui „quatitur foras" = eiicitur Terent. Eun. 358.

211 *Superesse* ea quae loco non mota sunt, dicere quid opus erat? et indecora verba, quasi tanquam venenum evomere deberet deum, aut tanquam potionem malam; *superesse* pro *περιεῖναι* vincere, Lucanus certe non dixit. Leg. *superat*, absolute positum pro superior est. Heinsii coni. *nondum* non sanat locum. Adv. p. 140.

Torquet adhuc oculos, totoque vagantia caelo
Lumina, nunc voltu pavido, nunc torva minaci;
Stat numquam facies; rubor igneus inficit ora
Liventisque genas; nec, qui solet esse timenti,
Terribilis sed pallor inest, nec fessa quiescunt
Corda; sed, ut tumidus Boreae post flamina pontus
Rauca gemit, sic muta levant suspiria vatem.
Dumque a luce sacra, qua vidit fata, refertur
Ad vulgare iubar, mediae venere tenebrae.
Inmisit Stygiam Paean in viscera Lethen,
Quae raperet secreta deum. Tunc pectore verum
Fugit, et ad Phoebi tripodas rediere futura,
Vixque refecta cadit. Nec te vicinia leti
Territat, ambiguis frustratum sortibus, Appi;
Iure sed incerto mundi, subsidere regnum
Chalcidos Euboicae, vana spe rapte, parabas.
Heu demens, nullum belli sentire fragorem,
Tot mundi caruisse malis, praestare deorum
Excepta quis Morte potest? Secreta tenebis
Littoris Euboici, memorando condite busto,

**213** pav. vultu, hoc ord. V, **214** stat n. f. Serv. ad Aen. VI. 47 [igneus] R, **215** liventisque U, **216** fassa $M_1$, **217** ut — gemit (218) l. Lact. Stat. Theb. I. 479, timidus Boreas p. fl. ventus Lact., timidus T, **218** multa VUmG, mentem g, **219** dumqua U, que videt c, vadit $M_1$A, vidit a c. rell., **220** ad vulgare iubar, s.s.: ad comūnē sensū V, **221** pean VUM, loethen VU, **222** saecreta U, quae A, **223** tripodas phoebi c, **224** vixque reiecta C, loeti VUM ut semper, **225** ambiguis M, **226** subsidere — parabas (227) l. Serv. Aen. XI. 268, **227** calchidos VUA, calchidas $M_1$, euboyce u, **228** heu demens n. l. [Prob.] IV. 248, 1 K, nulli B, **229** prestare M, **230** segreta R, **231** ouboyci U.

Ib. *Illa* tam flagitat sermo (torquere oculos is solus dicitur, cuius sunt oculi) quam nexus, ipsa enim adiectione pronominis ostenditur ad aliud subiectum transiri, et sic tantum est, quo referatur *torva*, 213 (femin. nec iungendum cum lumina). Commendavit hanc lectionem Bentl. post Bersmannum, recepit ex recentioribus Weise. *Ille* Grotius et secuti.

218 Heinsius Adv. p. 140 confert ad *muta* Claud. Rapt. III. 160 „absumpsit mutas in fata querellas". Sonus non in verba distinctus sed protractus significatur; frustra Burm. *multa* defendit.

226 „Subsidere in agro" Bentl., quod non promiserat Phoebus regnum. Sed solus habiturus erat quietem in Euboea, reliquis bellantibus v. 195, satis id erat Appio, ut quietem *per imperium* speraret. Burmannus multa molitur locum desperatum dicens et tentans: „nec te vicinia fati territat — iure *sub* (Hamb.) incerto, mundi subsidere regnum (rapte vana spe Chalcidos Euboicae)" et alia. Iuvenis aliquis apud Burm.: „Appi *Dure!* sed incerto mundi *sub sidere*, regnum Chalcidos — parabas", in quibus *dure* alienum, reliquis non opus. Appius sperat quietem *convalle* Euboica, quietum imperium Euboeae; dum omnia sint incerta (iure incerto mundi) in hac terrae confusione facile in eius possessionem se subrepere posse putat. *Capte* malebat Heinsius. — Ad *subsidere* cf. Verg. Aen. XI. 268 „devictam Asiam subsedit adulter". Gronov. Obss. I. 17. Sil. It. XIII. 221.

Qua maris angustat fauces saxosa Carystos,
Et tumidus infesta colit qua numina Rhamnus,
Artatus rapido fervet qua gurgite pontus,
Euripusque trahit cursum mutantibus undis
Chalcidicas puppis ad iniquam classibus Aulin.
  Interea domitis Caesar remeabat Hiberis
Victrices aquilas alium laturus in orbem,
Cum prope fatorum tantos per prospera cursus
Avertere dei. Nullo nam Marte subactus
Intra castrorum timuit tentoria ductor
Perdere successus scelerum, cum paene fideles
Per tot bella manus satiatae sanguine tandem
Destituere ducem, seu maesto classica paulum
Intermissa sono claususque et frigidus ensis
Expulerat belli furias, seu praemia miles
Dum maiora petit, damnat causamque ducemque
Et scelere inbutos etiamnunc venditat ensis.
Haud magis expertus discrimine Caesar in ullo est,
Quam non e stabili, tremulo sed culmine cuncta

**232** l. Lact. ad Stat. Theb. VII. 370, caristos VUR, cari$\overset{s}{n}$tos M, **233** quae $B_1$ $M_1$A nomini $M_1$, ragnis T, rhamnis A, ramnos U, **234** *qua* M, **235** l. Lact. ad Stat. Theb. VII. 333, eurippusque U, vadis Lact., **236** calchidicas VUA, colchidicas R, clasibus U, **237** remeavit T, remeabat Caesar G, **239** factorum c, **241** l. Prisc. II. 43. 18, **242** pene U, *fideles* M, **243** *tandem* M, **244** paulum UM, **246** expulerant Um (. u . s.s.), **248** etiamnum A, etiamnunc a (marg.) c. rell., vendicat T, **249** haut V, nullo T, [est] ABG (est g *add.*), **250** quam – despiceret (251), l. Prisc. 132. 11 et 474. 17 H, [e] M (add. m. 2).

232 Valerius M. l. l. „regionem, quae inter Rhamnunta nobilem Attici soli partem (f. pagum) Carystumque Chalcidico freto vicinam interiacens Coelae Euboeae nomen obtinet". Sed Rhamnus est in continente, Carystus in Euboea. Interiacet mare, non regio. In id vitium non incidit Lucanus, sed cur Rhamnus admisceatur, non apparet.

236 *Aulin* reposuit Oudend., quem reliqui sequuntur praeter Weisium, qui *Aulim*.

245 *Clausus* i. q. vagina conditus. Seditio haec secundum Appianum II. 47, 48 Placentiae facta, oppressa est a Caesare ex Hispania reduce antequam Romae consul cum P. Servilio creatus est, a$^{0}$. 48 ineunte. Caes. B. Civ. III. 1. 6. Cum Massiliae etiamtum ipse esset, unde Placentiam festinavit (vid. App.), probabile est, hos milites expeditionis Massiliensis et Hispanae non fuisse participes; sic demum aliquamdiu gladius quiescere potuit. A Brundisio, ubi Pompeium Caesar frustra obsederat, (Caes. I. 24) statim in Galliam Cisalpinam missi videntur. Non pugnat 265: „(nostri) partem (eripuit) duris Hispania bellis", nam *nostri* int. de toto exercitu. Pertinent haec ad finem a$^{i}$. 49. Ceterum Suetonius Caes. 69 IX fuisse legionem tradit, cf. ad 374.

248 *Venditat* primus Bersmannus. Facile id in *vindicat* potuit corrumpi, quod *vendicare* pro *vindicare* saepius MSS. „Suam impietatem etiamnunc, tanquam pretio dignam, vendit miles". De demendis armis sermo non est, quod si esset *vindicat* rectum esset.

249, 257, 260 „in ullo est", „timori est", „inultum est" cf. ad II. 142.

Despiceret, staretque super titubantia fultus;
Tot raptis truncus manibus gladioque relictus
Paene suo, qui tot gentes in bella trahebat,
Scit non esse ducis strictos, sed militis, ensis.
Non pavidum iam murmur erat, nec pectore tecto
Ira latens; nam quae dubias constringere mentes
Causa solet, dum quisque pavet, quibus ipse timori est,
Seque putat solum regnorum iniusta gravari,
Haud retinet: quippe ipsa metus exsolverat audax
Turba suos; quidquid multis peccatur, inultum est.
Effudere minas: „Liceat discedere, Caesar,
A rabie scelerum. Quaeris terraque marique
His ferrum iugulis, animasque effundere vilis
Quolibet hoste paras. Partem tibi Gallia nostri
Eripuit, partem duris Hispania bellis,
Pars iacet Hesperia, totoque exercitus orbe
Te vincente perit. Terris fudisse cruorem
Quid iuvat Arctois, Rhodano Rhenoque subactis?
Tot mihi pro bellis bellum civile dedisti.
Cepimus expulso patriae cum tecta senatu,
Quos hominum vel quos licuit spoliare deorum?
Imus in omne nefas manibus ferroque nocentes,
Paupertate pii. Finis quis quaeritur armis?
Quid satis est, si Roma parumst? Iam respice canos,

**251** fluctus m (m. 2), **252** truncis $A_1$, **253** gentis $M_1$, **254** ducem $T_1$, milite (*corr. in* militi) senses M, corr. m. 2: militis enses, **255** sed pectore r, toto $R_1$, **256** m̄tēs A, **259** aut T, ipse $M_1$, **260** quidquid — est l. Lact. ad Stat. Theb. II. 399. Schol. Iuvenalis II. 46, Prov., **261** effundere T, **262** terr*aque marique* M, **263** animisque $U_1$, *effundere viles* M, **266** totoque — perit (267) l. Acro ad Hor. Carm. II. 1. 29, hesperi*a* M, **268** arthois V, arctoys U, artois M, renoque V, **270** coepimus VUG, **272—301** adsunt in $P^v$, cf. V. 211, **274**, **275** quid — parum l. (Prob.) IV. 248. 22 K, parum est O etiam $P^v$ et Prov., et Hieronymus ad Geront. de Monom. p. 93, epist. CXXIII. 915, [est] solus Probus.

257 Subiecti domino metuendi ipsi tamen metuunt, nec se potentiores regnante putant, quod singuli gravamina sua premunt, eoque quisque se solum et debilem credit. Patientia civium sub malis imperatoribus Romanis haec scribenti Lucano sine dubio observatur.

261 „Exarsere animis" Bentl. ne verbum *effundere* bis ponatur, cf. 263.

263 Iniusta exprobratio, quasi Caesar perdere milites studeret: gladium quaeris, quo transfigamur.

268 *Rheno Rhodanoque* Cortius, quia poetae scilicet temporis ordinem saepe neglegant!

271 Non expulerant senatum nec urbem expugnaverant milites; Caesar emisso Pompeio e portu Brundisino sine militibus urbem petivit, quam expilandam noluit exercitui tradere, antea quoque armatos non in urbem admisit cf. III. 72 et 100. Non constat sibi III. 116.

Invalidasque manus et inanis cerne lacertos.
Usus abit vitae, bellis consumsimus aevom,
Ad mortem dimitte senes. Anne improba vota?
Non duro liceat morientia cespite membra
Ponere, non anima galeam fugiente ferire
Atque oculos morti clausuram quaerere dextram,
Coniugis inlabi lacrimis, unique paratum
Scire rogum. Liceat morbis finire senectam.
Sit praeter gladios aliquod sub Caesare fatum.
Quid, velut ignaros ad quae portenta paremur,
Spe trahis? Usque adeo soli civilibus armis
Nescimus cuius sceleris sit maxima merces?
Nil actum est bellis, si nondum conperit ista
Omnia posse manus; nec fas nec vincula iuris
Hoc audere vetant. Rheni mihi Caesar in undis
Dux erat, hic socius; facinus quos inquinat, aequat.
Adde, quod ingrato meritorum iudice virtus
Nostra perit: quidquid gerimus fortuna vocatur.
Nos fatum sciat esse suum. Licet omne deorum
Obsequium speres, irato milite, Caesar,
Pax erit". Haec fatus, totis discurrere castris

**275** inanis VR (inanes etiam $P^v$)C ad 333, invalidas[que] M, que add. m., **276** aevum cum reliquis $P^v$, **277** demitte AB, en vulgo O at improba C (explicans: at num quid inprobum petimus?), inproba, in a m. 2 in ras. quatuor litterarum M, improba $P^v$ c. rel., **278** licuit G (—ceat g), **279** animam galea $P^v$ animam galeam MA, anima galeam VUGC, anima m, glebam m *sed a* 3 *manu*, [ferire] $P^v$ (*abscisum cum marg.*), **280** clauram, supra scr. m. 2 *su* M, **281** inlabi $P^v$VUA, **282** *morbisf*ineri U, **283** cum caesare M (sub m), **284** ignarus $A_1$, atq ABE, paremus a, **285** spes $P^v$, **286** nesciamus $P^v$, **287** conceperit T, istas O vulgo, **289** ante 283 T, vetat $P^v$, **290** dixerat $T_1$, **292** quitquit $P^v$,
rit
quicquid VUMA, **293** suum $P^v$ et rell., C ad 339, **294** *irato* M, **295** paxehaecf. atus $P^v$.

275 „Inanes *carne* lacertos" coni. Oudend., vix latinum.

277 Vulgo *en*, ironia parum apta. *Anne* et *an* non differunt, cf. 328 et 339.

279 Steinhart de schedis rescr. p. 16, cum non ferret anima galeam *ferit*, Waddelii coniecturam probat: „anima galeam fugiente perire". Sed „anima fugiente — i. e. in morte deficiente, evanescente — galeam ferire" de milite est intellegendum, qui in ipso proelio vulneratus concidit. *Glebam* recepit Burmannus, quo facto sententia repetitur iam in superioribus enuntiata. De galeis clausilibus vid. Drakenb. ad Sil. XIV. 636 et Rich i. v.

280 *Morti*, nempe is qui claudit mortui oculos, famulus est Mortis.

285 „Spe *rapis*" Kiesling. Melior vulgata = differs, ludis.

287 *Ista* coniectura est Guyeti; verbis „ista manus" non se excipit miles, cf. infra 351 et I. 342, in primis VI. 242. *Se* omissum; vulgata caret subiecto.

289 *Arvis* coni. Bentl. sine exemplis, quibus *Rheni arva* defendatur. Requiritur: „ad undas". Cf. tamen IV. 696: „nec Rheni miles in undis exploratus".

295 *Haec fatus* corruptum puto; primo enim nomine carent, quo referantur, supra v. 260 de turba sermo erat: *effudere*, hoc loco

Coeperat, infestoque ducem deposcere voltu.
Sic eat, o superi! quando pietasque fidesque
Destituunt, moresque malos sperare relictum est;
Finem civili faciat discordia bello.
Quem non ille virum potuit terrere tumultus?
Fata sed in praeceps solitus demittere Caesar,
Fortunamque suam per summa pericula gaudens
Exercere, venit nec, dum desaeviat ira,
Expectat: medios properat tentare furores.
Non illis urbes spoliandaque templa negasset
Tarpeiamque Iovis sedem matresque senatus
Passurasque infanda nurus; volt omnia Caesar
A se saeva peti, volt praemia Martis amari,
Militis indomiti tantum mens sana timetur.
Non pudet heu, Caesar, soli tibi bella placere
Iam manibus damnata tuis? hos ante pigebit
Sanguinis? his ferri grave ius erit? ipse per omne

**296** voltu Pv, vultu rell., **297** eat 2 m. in ras. M. stat T, laceat *ante* l *erasa* p, G, liceat, eat o superi g, fato AB (eat o, a), **298** relictum [est] M, rel. est m., **300** virum Pv, reliqui ducem, **301** preces T, dimittere PvVG, cōmittere U, Desinit Pv, cf. 331, **304** exspectat $M_1$ (s delet m. 2), expectat V, temptare VUM ut semper, **306** matrisque M, matresque m, **307** omnia certe O vulgo, **308** [se] $U_1$. pati b, **309** mens tantum G, **311** dampnata U, suis mAGC, hoc c, pigebat m.

singularis; deinde *discurrere* non recte de uno homine dicitur, quare probabile est, collectivum aliquod positum fuisse, veluti *miles* aut *turba*, cuius locum occupaverit *haec fatus*, quod necessarium videbatur: *haec miles*; *totis*, aut simile quid. Simplicius sane esset *fatur* scribere, sed collectivum *turba* v. 260 nimis remotum est.

296 „Coepit et infesto requiem" (missionem) Bentl.

297 *Sic eat* est ironica concessio: age vero (fraai zoo!), si ita placet, experire. Non magnopere differt *i nunc.* Expostulatur cum aliquo, ut videat quas calamitates sibi pepererit, aut gloriabundus recipit in se aliquis quidquid consequitur, cf. II. 304, Heins. ad Claud. II in Eutropium 155. Paulo diversus Liv. I. 26.

300 *Virum* ex Pv commendat Steinhart, de Sched. p. 13.

301 *Committere* defendit Steinhart l. l. p. 21 collato IX. 372; „in ignotas agmen committere gentes", qui locus non plane similis est. *Dimittere* multis defendit Cortius, aliena et dubia admiscens, sed *dimittere* est a se removere, procul amandare. *demittit* fata tanquam sortes Caesar, proiicit; nulla est separationis notio. Ceterum cf. VII. 52 „sua fata — praecipitare cupit".

306 *Matres* i. q. matronas, oppositum: *nurus* i. q. virgines.

307 *Certe* reduxit Oudend., ante erat *Caesar. Certe* mirifice friget; assertio ipsa per *certe* significat dubitari posse et debilitat locum; contra *Caesar* invidiosum est. Oudend. aliena affert.

308 *Martis avari* Heinsius. *Amari* i. q. in pretio esse. Solus fructus non impius belli: satietas et horror sanguinis, non toleratur.

311 *Suis* Bentl., ut milites dicantur manus bellorum, quod argutissimum ei et propterea Lucano dignum videtur. *Manus* tamen Caesaris et quasi *operae* milites dici possunt. Idem v. 314 coll. VII. 558 *sceleri sibi*, et hic quidem nitens auctoritate optimi Regii et postulante sententia. Ineptum votum est *liceat* tibi a scelere desistere. Quis dubitat? Sed sceleri venia desinendi concedi non videbatur, tam furebat.

Fasque nefasque rues? Lassare, et disce sine armis
Posse pati; liceat sceleri sibi ponere finem.
Saeve, quid insequeris? quid tam nolentibus instas?
Bellum te civile fugit. Stetit aggere fulti
Cespitis, intrepidus voltu, meruitque timeri
Non metuens, atque haec ira dictante profatur:
„Qui modo in absentem voltu dextraque furebas,
Miles, habes nudum promtumque ad volnera pectus.
Hinc fuge, si belli finis placet, ense relicto.
ɔ: Detegit inbellis animos nil fortiter ausa
ɔ: Seditio, tantumque fugam meditata iuventus,
ɔ: Ac ducis invicti rebus lassata secundis.
Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis;
Si non feminei voltus linguaeque tumultus 321*

**314** sceleris R scelerum, rell. vulgo, sibi m a g, tibi rell., **315** iam O vulgo, molestibus T, **316** fulto G, **317** voltum ABE, **319** quo modo c, **320** promptumque VU, prommtumque T, **321** finis belli V, hinc mT, *si* M, **321*** Exstitit in Pⁿ qui *inter v.* 301 *et* 331 *habuit folium, nunc deperditum. continens* 302—330 *i. e.* demto 321* 29 *versus, quibus unus addendus, ut numerus solitus* (2 × 15) 30 *expleatur*. 321* exstat in U, **322** nil—seditio (323) l. Sidonius Ap. ep. I. 11. 7, animas VUmABE Prov. animos MG, deter..git M, detigit Prov., **325** a*d* M, r*elin*quite M.

313 „Sine armis posse pati" disce privatus esse, quasi: pati te esse sine armis. cf. IX 262 „et nescis sine rege pati". Verg. Ecl. X. 52 „certum est in silvis, inter spelaea ferarum malle pati". Seneca Thyest. 470 „immane regnum est posse sine regno pati". Herc. Oet. 1524 „quique sub plaustro patiuntur ursae", Nat. QQ. III praef. 6: „sine patria pati"; pati in his = durare καρτερεῖν. Vid. Gron. ad priorem Senecae locum et Grot. ad h. l.

315 *Tam* cod. Reg. aliquis ap. Bentl., multo gravius quam vulgata, nec dubitavi recipere.

316 *Se* Bentl. (milites, instrumenta belli, bellum detrectant), argute, non necesse. Te = destituit te, non potes regere, de manibus tuis habenae decidunt.

Ib. *Fulti* defendit Heinsius. Ex usu Lucani *fultus* = confirmatus, stabilitus: X 122 „fulcit gemma toros" (figit), VIII. 528 „Magni fulcire ruinam" sustentare, fulcrum supponere, ne cadat (*schoren*). Ergo agger fultus est cespite, non contra. Leg. cum Oudend. et aliis: *fultus*. Praesidio ei erat, a tergo, ut videtur, contra tumultuantes agger.

321 „Hic (in pectore meo) ense relicto" legit et interpretatur Schol. cf. Heins. p. 140. Non animadversum videtur, quam frigide hoc dicatur, cum non unum militem alloquatur sed omnes, quasi mille gladios recipiat pectus. Tum quid opus erat *fuga?* Facessere iubet milites 325: *vadite*, incolumi duce nimirum. Proximo versu 322: „detegit, sqq. non est γνώμη; si in universum verum sit: seditio detegit imbellis animos", tamen sententia fit inepta additis verbis „nil fortiter ausa"; per se intellegitur: qui nil audet est imbellis. Itaque verba Caesaris vulgo habentur illa „detegit" sqq., quamquam tale effatum a tempore et persona alienum est. Versus 323 et sq nihilo aptiores; non est haec oratio militaris, non ducis suo iure confisi et intrepidi: „*iuventus*" honorificum vocabulum minus aptum. Versus 322—324 non sunt huius loci, per se tamen Lucano digni. Iis remotis legendum est: „*hinc* fuge". Vult arma relinqui non in pectore suo, sed in castris. Cum his apprime conveniunt: *vadite* 325 et „invenient haec arma (a vobis relicta) manus". Si belli finis placet, inquit, discedite, modo relinquatis arma, quae vos non decent. Cf. Caesaris dicta in alia seditione ap. App. II. 92 p. 777, 8—11 Mendelsohn.

321* Ne verbo quidem dignus, nisi e palimpsesto appareret esse antiquissimum, unde argumentum Weberi haustum ex similiter cadentibus *vultus* — *tumultus*, quasi versus sit leoninus recens, quodammodo infringitur. cf. Weber II. 436.

325 „*Ac* bella" Millard.

Invenient haec arma manus, vobisque repulsis
Tot reddet fortuna viros, quot tela vacabunt.
Anne fugam Magni tanta cum classe secuntur
Hesperiae gentes, nobis victoria turbam
Non dabit, inpulsi tantum quae praemia belli
Auferat et vestri rapta mercede laboris,
Lauriferos nullo comitetur volnere currus?
Vos despecta, senes, exhaustaque sanguine turba
Cernetis nostros, iam plebs Romana, triumphos.
Caesaris an cursus vestrae sentire putatis
Damnum posse fugae, veluti si cuncta minentur
Flumina, quos miscent pelago, subducere fontis?
Non magis ablatis unquam descenderit aequor,
Quam nunc crescit, aquis. An vos momenta putatis
Ulla dedisse mihi? Numquam sic cura deorum
Se premet, ut vestrae morti vestraeque saluti
Fata vacent. Procerum motus haec cuncta secuntur,
Humanum paucis vivit genus. Orbis Iberi
Horror et Arctoi nostro sub numine miles,
Pompeio certe fugeres duce. Fortis in armis
Caesareis Labienus erat, nunc transfuga vilis
Cum duce praelato terras atque aequora lustrat.

**327** vocabunt R, vocabant U, u s. s. man. rec., **328** sequentur U, **330** qua U, exacti gl. in VU, **331–390** *adsunt in* $P^n$, *i. e. Neapolitanae schedae, quae continuant Vindobonenses,* cf. $P^v$ 301, **331–345** *in* $P^n$ *adsunt tantum aliquot litterae ab initio versuum,* **332** laurigeros currus Prisc. Part. 498. 4, *omisso auctoris nomine,* **333** defecta b, senex A, **335** *ultimus folii* 54v 33us *in pag. deleto alio post adscriptus* U, **337** quae Prov., **338** decreverit Um, descenderit MAT, descenderet VR, **340** ullan $P^n$, **341** premet MB, premit bc. rel., implicat *glossa supr. scr.* U, **342** sequentur Ub, secuntur M, **344** numine U, *reliqui* nomine, **345** Pompeyo V, **346–360** *in* $P^n$ *adsunt tantum in fine versuum aliquot syllabae,* **346** transfoga, *o* corr. in *u* U, caesaries M, corr.: — reis.

330 Quae labant, uno ictu concidunt sive uno impulsu, qui etsi rem conficit, tamen non est difficilis; itaque qui impulerunt tantummodo nec praepararunt labem praemia auferunt facile decessoribus debita. De verbo *inpellere* sic usurpato cf. Seneca Herc. Oet. 1686 „cecidit inpulsus dolor", ubi cf. Gron. et ad I. 149. Cum 331 cf. App. I. l.

338 *Descenderit* probat Bentl. pro *descenderet.* Ex duabus lectionibus *descenderit* et *decreverit* altera glossae similior est. Oratio perturbata; vulgo post *fontes* minor distinctio ponitur; ita „descender*it*" parum aptum. Interrogatione continuata, post *fontis* subsistit orator et omittens negationem (*non ita*) ἀσυνδέτως; cum emphasi *non magis* ab initio asseverationis ponit. Atque ea respondet superiori interrogationi. Heinsius l. l. p. 140 *num magis – decreverit.*

341 I. e. ut propter mortem vestram aut vestram vitam fata mutentur. *Vacare* est fere: effectu careant vestra causa (non legendum *sorti* nec *marti*: Heins.) *Paucis* v. 343 est dativus masculin., paucis proceribus omnia serviunt (*servit* sine causa Heins.).

344 *Numine* imperio ac nutu; nimis tenue est *nomine. Numine* Cortius.

Nec melior mihi vestra fides, si bella nec hoste
Nec duce me geritis. Quisquis mea signa relinquet,
Nec Pompeianis tradet sua partibus arma,
Hic numquam volt esse meus. Sunt ista profecto
Curae castra deis, qui me committere tantis
Non nisi mutato voluerunt milite bellis.
En, quantum Fortuna humeris iam pondere fessis
Amolitur onus! sperantis omnia dextras
Exarmare datur, quibus hic non sufficit orbis.
Iam certe mihi bella geram; discedite castris,
Tradite nostra viris ignavi signa Quirites.
At paucos, quibus haec rabies auctoribus arsit,
Non Caesar, sed poena tenet. Procumbite terrae,
Infidumque caput feriendaque tendite colla.
Et tu, quo solo stabunt iam robore castra,
Tiro rudis, specta poenas, et disce ferire,
Disce mori". Tremuit saeva sub voce minantis
Volgus iners, unumque caput tam magna iuventus,
Privatum factura, timet, velut ensibus ipsis
Imperet, invito moturus milite ferrum.

**349** relinquens VRG, *relinquens*, U, relinque..M, *prior correctio*: — ent, *altera*: — et, reli.que.s $P_n$, relinquet $A_1$, *castra* U, **350** non VMR, nec UmAG, tradet URM, tradit VAGM ex corr., **354** heu — onus (355) l. Prisc. 498. 4 H., heu quantum O, humerus R, **355** dextris a, sperantis M, **359** ad a, **360** *sed poena* U, terra $P_n$VUT, terre corr. in — ra M, **361** tollite T, **360—391** *in $P_n$ desunt aliquot syllabae in mediis versibus, omissa notabo si dubia continent*, **364** rudi corr: — is A, **365** volgus $P_n$, iam R, **366** hostibus C, **367** moturos $P_n$ morturus C.

348 „*Neque* hoste" Cortius ad III. 389 et II. 283. *Neque* ante consonam ut dactylum efficiat in prima versus parte Lucanus, ante vocalem libri non sibi constant. Hoc loco nulla debet esse dubitatio.

350 *Tradet* an *tradit* quaeritur. Alacrius est *tradit*: quisquis me relinquens (ita vulgo) non tamen Pompeium sequitur, non (*nunquam* est fortior negatio) vult esse meus. Sed cum ferri possit utrumque auctoritati cedendum. Cum *tradet* autem convenit *relinquet*, quod recepi; *relinquens* ex *relinques*, id ex *relinquet* exstitit; ita tollitur mala emphasis in *nec*. Ante Oudend. (*relinquens non*) erat *relinquit nec*; Burm. id revocavit, cum Oud. facit Cortius. — Heins.: *velit* „imprecantis".

352 Qui me in tantum discrimen, quantum nunc instat, dare noluerunt, nisi mutato milite (vobis, infidis, amandatis). „*Ista* castra = mea cf. VI. 242, III. 126.

354 *En* Bentleius.

360 *Tenet* i. q. retinet Weise, scil. reliqui abire poterant armis relictis.

363 Tironum auxilium invocat in veteranos noxios, quos retineant et feriant, partim spectatores erunt (*specta*), partim actores (*disce ferire*). Omnino duodecim milites interfecit App. II. 47.

367 Pro *invito* probat Bentl. ex cod. Pulmanni: *et manco*, at non agitur de vulnerato, sed refractario milite. Condicionalis vis extenditur ad participium fut. act. = velut moveret. Potentialis significatio aut notio animi propensi in *sonaturus* Hor. Sat. I. 4. 44, *laturus* Liv. XXIV. 4. *erupturus* Tac. I. 28 non aliter explicanda. Quemadmodum condicionaliter „fui laturus" = tulissem, sic sine verbo subst. *laturus*. Landgraf ad Reisig. II. p. 741 amandat ad alios grammaticos.

Ipse pavet, ne tela sibi dextraeque negentur
Ad scelus hoc Caesar; vicit patientia saevi
Spem ducis, et iugulos, non tantum praestitit ensis.
Nil magis adsuetas sceleri quam perdere mentis
Atque perire tenet; tam diri foederis ictu
Parta quies, poenaque redit placata iuventus.
 Brundisium decimis iubet hinc adtingere castris,
Et cunctas revocare ratis, quas avius Hydrus,
Antiquosque Taras, secretaque littora Leucae,
Quas recipit Salapina palus et subdita Sipus
Montibus, Ausoniam qua torquens frugifer oram
Delmatico Boreae Calabroque obnoxius Austro
Apulus Hadriacas exit Garganus in undas.
 Ipse petit trepidam tutus sine milite Romam,
Iam doctam servire togae, populoque precanti

**368** nec $P^n$, dextraque A (dextraeque a), **370** ensis A, **371** nihil $P^n$ assuetas R, **372** tenet $P^n$CA (corr. in: timet) GM, (supra scr. ẽ i. e. tenent), timet mb, diri $O_1$ *etiam* $P^n$ et c, diro *ed. Gryph.*, iam U, **374** l. Servius ad Aen. XI. 445, Acro ad Hor. Carm. II. 1. 34, hinc A m. 2 in marg., R *supra scr.* hanc, hanc reliqui , vulgo, adtingere A, etiam $P^n$, **375** retinere $P^n$VR, rates $P^n$, hidrus U, hidruns R, hydruns (*n* e corr.) G, hydrius corr. in hydrus M, **376** antiquus $P^n$, antiquos M, supra scr. *u* man. rec, Tharas U, Tares T, litora leucas $P^n$, **377** salamina $P^n$, salpina AM, salpira U, alpina (*s* supr. scr.) $V_1R_1$, calpina G, . eibus $P^n$, sifus C, siphys (vel -yx) a, siphis (supra scr. us) M *qui in marg. habet*: al. sipus (supr. scr. l), silphus U, sippus V, **379** delmatico $P^n$MR, dalmatico VUmAG, **380** [garganus in u] $P^n$, versum l. Servius Aen. XI. 247.

372 Egregie Bentleii coniecturam *tenet* confirmant nunc libri eius aetate ignoti. Nil magis continet rudia ingenia quam supplicium (*perdere*) videre aut scire sibi instare. Pax inter milites et Caesarem parta invidiose *foedus* vocatur, et *dirum* foedus, quoniam milites tanquam hostiae ceciderant. Male adhuc fere *diro*. *Ictus* est icendi actio. Praeierat Valerius Maximus II. 7. 1.

374 Vulgo *hanc*, sed multo melius per *hinc* haec superioribus iungentur; nec opus obiecto, ubi de imperio ducis sermo, ut ex Livio notum e. g. XLI. 3 med. „tribuni militum tertiae legionis pabulum lignaque proicere iubent", ubi Madv. sine causa *milites*, nisi forte scribendum etiam ubique erit: receptui *cani* iussit; perpetuum est *canere*; *convenire iubent*, XLVII. 43: „stare primo, deinde redire in pugnam iubebat". Deinde iuventus non revocabat rates v. 375. Si Placentiae seditio facta significatur (cf. ad 245 *decimis castris*, (quod firmatur Caes. III. 1: *undecim dies*) non recte numerus se habet; videtur igitur haec seditio non ad ipsam Placentiam, sed in itinere Brundisium suscepto facta esse. Habent haec speciem poenae ex celerato itinere. Vidit iam Petrarca, cf. Nolhac Petrarque et l'humanisme, Paris 1892, p. 242.

378 Garganum obnoxium Boreae et Austro non posse dici frugiferum vidit Guyetus, coniciens *pinifer* aut *fagifer*. Fort. *frugiferam oram*. De elisione cf. Trampe, p. 31, VIII. 644 „ubi ipsa", II. 255 „tibi uni". Haskins: „torquens oram giving a curve to the shore". Potius vexans oram fertilem vicissitudine frigoris et caloris, dum expositus est utrique vento. Hor. Sat. 1. 5. 78: „montes quos torret Atabulus" ventus meridionalis, vexans Apuliam. Sid. Apoll. epist. I. 5: Calaber Attabulus — spiritu modo calores alternante, modo frigora, vaporatum corpus infecit". Mons, qui torquentem i. e. vexantem ventum excipit, ipse *torquere* a poeta dici potest. Ceterum omnia nomina v. 375—380 sunt urbium Apuliae maritimarum, quae naves suas *revocare* 375 a mari iubentur.

Scilicet indulgens summum dictator honorem
Contigit et laetos fecit se consule fastos.
Namque omnis voces, per quas iam tempore tanto
Mentimur dominos, haec primum repperit aetas,
Qua sibi ne ferri ius ullum Caesar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere securis.
Addidit et fasces aquilis, et nomen inane
Imperii rapiens signavit tempora digna
Maesta nota. Nam quo melius Pharsalicus annus
Consule notus erit? Fingit sollemnia Campi,
Et non admissae diribet suffragia plebis,
Decantatque tribus, et vana versat in urna.
Nec caelum servare licet, tonat augure surdo

**383** summo AV (supra scr. u), R, su....onore Pn, honore AV (linea supra *e* posita correctum) G. — ri bR („summo—honori" MStht; *mecum facit Oud. e Buh.* = *M nihil annotans*), **386** dominis Pn, cum rell., **387** quas, corr. in: qua U, **388** hesperias Pn, **390** nomina Pn, imperio, corr. -rii M. **392** solemnia campis R, sollempnia VUM, *Desinit Pn cf. v.* 631, campus O, vulgo, **393** i. Prisc. II. 57. 3 H, dirimit O, vulgo. amissae T, **394** l. Prisc. 438. 24 H, tribu U, **395** nec — servare l. Lactant. ad Theb. VIII. 194.

383 Habuit tanquam dictator comitia consularia; iam ante Massiliam captam a M. Lepido dictator dictus (Caes. II. 21) nunc populo precante illum honorem capessit. Bentleius: „petenti—summo dignatur honore Comitia", „summo dictator honori consulit", Id. Accipio: ad summam dignitatem adscendit. Insolens quodammodo, sed insolentius etiam Cortius: „summo d. honori". Locus Iuv. VIII. 27. 28 habet iocularem exaggerationem quae huc non facit. Comitiis consularibus habitis abdicavit, nec annum suum expectans consulatum capessivit et Brundisium profectus est, Caesar Civ. III. 2. Appian. Civ. II. 58.

384 cf. Stat. Theb. IV. 1. 20: da gaudia fastis. Claud. XVIII. 317: exhorruit annus nomen (Cortius).

386 „Mentior dominum" est: fallacem domini speciem prae me fero. Burmannus, qui solus *dominos* pro *dominis* e nescio quo Rottend. pr. recepit, confert Mart. III. 43: „mentiris iuvenem", cf. Apul. Metam. XI. 8 „feminam mentiebantur", vide supra I. 131 „dedidicit ducem", X. 134 „iuventus execta virum", quibus locis personae nomen pro facultate ponitur. Val. Flaccus VII. 211: „sicut erat, mutata deam mentitaque Circen". Persius I. 11: „sapimus patruos". Mentiebantur dominos, quod dum videbantur conferre potestatem, inania nomina concedebant. — Ornamento erat Caesar fastis, non contra iis illustrabatur; inde *uam* explicatur. — Ad ordinem verborum v. 387 cf. supra ad III. 679. (Heitland *dominis*, quia *dominos* sit: „*eos* dominos m." quod non credo).

392 *Campi* Heinsii emendatio necessaria, abs qua inepte *dirimit* (*diribet*) subiectum haberet *campus*.

393 Dedi *diribet* cum Webero, vocabulum hac in re proprium, librariis ignotum. Sine causa Klotzius et Dorvillius de quantitate dubitant; cf. *dĭrimo* e dis-imo; *dĭribeo* = dis-hibeo. Plebs non admissa, in diribitione, aut non ad suffragia admissa ut Caesariani aliquot pro plebe sententias ferrent. Ordo centuriatorum hoc loco neglectus; primum enim de caelo servatur (395), tum sortitio fit (394), et latis suffragiis diribitio (393), quae a poeta transverso ordine memorantur. Cf. Cic. Phil. II. 33. Ceterum si vellem plene hunc locum illustrare excederem fines commentarii.

394 „Decuriatque tribus et inani" Bentleius. Nihil opus. Ad praerogativam sortiendam evocat (*decantat*) principes tribuum, ut sortem quisque suam in urnam conicerent, ipse urnam movet, unde sors exsiliat. Sortitio fit etiam ante renuntiationem (Varro RR. III. 17. 1) sed ea non magni momenti. Centuriam post instaurationem centuriatorum saec. tertio (a. c.) et deinde fuisse subiunctam tribui constat, et convenit cum hoc loco. *Vana* urna ut omnia quae fiebant nunc.

395 *Tonat* sc. caelum. Non obnuntiatio

Et laetae iurantur aves, bubone sinistro.
Inde perit primum quondam veneranda potestas
Iuris inops; tantum careat ne nomine tempus,
Menstruus in fastos distinguit saecula consul.
Nec non Iliacae numen quod praesidet Albae,
Haud meritum Latio sollemnia sacra subacto,
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.
  Inde rapit cursus, et quae piger Apulus arva
Deseruit rastris et inerti tradidit herbae,
Ocior et caeli flammis et tigride feta
Transcurrit, curvique tenens Minoia tecta
Brundisii, clausas ventis brumalibus undas
Invenit et pavidas hiberno sidere classis.
Turpe duci visum, rapiendi tempora belli
In segnis exisse moras, portuque teneri,

**396** l. Prisc. II. 331. 23 H et I. 566. 4, Servius Aen. IV. 462, Schol. Voss. I. 558, **398** tant. car. VUG, car. tant. rell., **399** infaustus A, infastus a, in fastus R, in fastis G, distingunt T, **401**, **400** hoc. ord. G, aut T (d s. s), meritum est M, solemnia M (*l* add. 2 manus) A, **402** vidit...flammifera M, **403** et qua — rastris (404) l. Acro ad Hor. C. III. 16. 26, capit G; rapit g c. rell. qua U, **404** inherti R, **405** l. Serv. Aen. X. 166, e coeli T, tygride faeta U, otior A, **406** adscr. m. 2 extra lineas U, **407** brundisii UMAR, **408** sydere U, **409** visum est VUma, **410** pontuque $M_1$, tenere $M_1$.

significatur, in qua de faustis („et — aves") tacebatur, sed caeli observatio, quae fiebat a praeside comitiorum adstante augure ante comitia. Omne tonitru centuriatis infaustum erat, sive dextrum sive sinistrum. Locos auctorum vide ap. „Lange, Röm. Alterth". I³. p. 558. sq. Legitima formula est „servare de caelo", ut notum, sed cf. VI. 428 „sidera caeli servet", et sic: *avem* servare et simm.

397 *Inde*: ex neglectu sollemnium, veneranda maiestas imperii minuitur. *Primum*, quamvis sequente *quondam*, iungendum cum *veneranda*. „Iuris inops" legis praesidio destituta.

399 *Menstruus* cum contemtu, ut videtur, i. q. in menses *aliquot*, non in annum creatus. Certe hinc effici non licet, aliquando contra consuetudinem in unum mensem esse electos ordinarios consules. Cf. Mommsen Staatsrecht II. 1² p. 81. sqq. Suet. Nero 15: „consulatum in senos plerumque menses dedit". „Distinguit saecula" notat tempora et refert (digerit) in fastos. Non improbandum foret *in fastis* si meliores alii praeter Gemblacensem haberent.

400 „Et tamen Iupiter Latiaris in monte Albano vidit confectas ferias Latinas sacrificio nocturno". Schol. Voss. ad 402: „hic ergo accipimus (Cortius pro tradito: hoc e. accipiamus) haec sacra Caesarem sollemniter celebrasse, cum adeptus est dictaturam et consulatum". Minus recte alia apud Weberum scholia (Bernensia ad h. l. desunt) interpretantur *una tantum nocte*, cum deberent per novem celebrari. Non merebatur Iupiter (401) quod Latium subegerat.

404 „Deseruit rastris" i. q. inculta reliquit. *Castris* inepte Withofius, alii (Heinsio adscribit Cortius), et *desuevit* vir doctus ap. Oudend. „Inerti herbae" malis herbis, lolio.

406 „Minoia" cf. II. 610: „urbs (Brundisium) est Dictaeis olim possessa colonis".

410 *Traxisse* Heins. coni. pro *exisse*, quod Grotius receperat; *haesisse* antiquiores editiones. Burmannus: „*rapienti* tempora belli in segnes *haesisse* moras". Hoc peius vulgata. *Exisse* insolens sed quis non intellegit esse „tandem abisse". „Exit dies" Seneca dixit (cf. Oud.). Subiecti mutatio vix recte statuitur cum *portu teneri* sit potius accipiendum de indefinita persona.

Dum pateat tutum vel non felicibus aequor.
Expertis animos pelagi sic robore conplet:
„Fortius hiberni flatus caelumque fretumque,
Cum coepere, tenent, quam quos incumbere certos
Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.
Nec maris anfractus lustrandaque littora nobis,
Sed recti fluctus soloque Aquilone secandi.
Hic utinam summi curvet carchesia mali
Incumbatque furens et Graia ad moenia perflet,
Ne Pompeiani Phaeacum e littore toto
Languida iactatis conprendant carbasa remis!
Rumpite, quae retinent felicis vincula proras.
Iamdudum nubes et saevas perdimus undas".
  Sidera prima poli Phoebo labente sub undas
Exierant, et luna suas iam fecerat umbras,
Cum pariter solvere rates, totosque rudentes
Laxavere sinus, et flexo navita cornu
Obliquat laevo pede carbasa, summaque pandens

**411** totum g, **412** expertos U, **414** cepere M, tenet $M_1$, **415** fervidi M, perfide m, **416** amfractus V, **418** utinam summi curvet c. m. (sic) C ad 423, hac M, carthesia R, **419** furens VUMAG, ferens g, ad U 2 m., perfert A, perstet Sthto *videtur* in $M_1$ scriptum, **420** nec $M_1$, *versus in A adscr. in inf. pag. m.* 2, **421** remo $U_1$, remi R, mali G, iactantes ABGR iactatis a, *c. rell.* comprehendant R, **424** labante T, umbras $B_1$, **426** *solvere rates* M, totos [que] T, rudentis C, tortosque AC, totosque VUMG, **428** summaque — auras (429) l. Isidorus XIX. 3. 4, tendens Is.

411 „Vel non felicibus", quanto magis sibi, Caesari. *Tutum* non pugnat cum 407, Caesar sic iudicabat.

414 *Coepere* praeferendum, Mss. in hoc nulla auctoritas, qui promiscue scribunt *cepi* et *coepi*. Venti intelleguntur etesiae aut similes, qui cum semel flare *inceperunt*, continui sunt et semel cursu directo nautarum magnam operam non requirunt. „Recti fluctus secandi" (417) i. q. recta non oblique navi mota. *Secare* h. l. non de contrariis fluctibus, quos prora dividat, sed de fluctu omnino qui sulcatur. Mire aquilo hic admiscetur, quasi borea opus sit Brundisio in Epirum transmissuro; num festinationis an ignorantiae documentum sit, dubium, cf. infra 427 et 705.

419 *Ferens* Bentleius, languidum et nimis mite h. l. vocabulum. Optat saevas undas (423) et ventum vehementem, qui carchesia = summum malum cui annexa sunt suppara, ab audaci nauta expansa, curvet. Oudendorp. *furens* recte defendit. A supparis diversa carbasa, vela maiora, quae si pendeant, vento non impleta, cursus ita est tardus, ut remis adversarii possint assequi studentes evadere. *Iactandis* (Heins. 421) nihil differt a *iactatis*.

420 *Tecto* Trampe in thesibus. Conieci *torto. Ph. e l. toto* i. q. undique ex Corcyra.

426 *Tortos* manifestum σφάλμα librarii non intellegentis *totos* cum *sinus* esse iungendum. Eo pertinet quod C habet *rudentis* quasi accusativum.

427 „Flexo cornu" nim. antennae, trabis unde velum suspensum est (stang). Cum ex duobus cornubus unum pede attrahitur versus gubernaculum, velum obliquatur; id fit ad ventum obliquum melius excipiendum. Pedes funes sunt, quibus ab inferiore parte velum utrinque tenetur, ex his laxato uno vel attracto sinus veli maior aut minor fit. *Suppara* sunt ut Oudend. interpretatur: topzeilen. Videtur Lucanus credidisse cursum fuisse in orientem et meridiem (ZO.) et quo magis sub aquilone possent eo cursum dirigere laevum pedem esse attractum. Cf. intpp. ad Catullum 4. 21.

Suppara velorum perituras colligit auras.
Ut primum levior propellere lintea ventus
Incipit exiguumque tument, mox reddita malo
In mediam cecidere ratem, terraque relicta
Non valet ipsa sequi puppis, quae vexerat aura.
Aequora lenta iacent, alto torpore ligatae
Pigrius inmotis haesere paludibus undae.
Sic stat iners Scythicas adstringens Bosporus undas,
Cum glacie retinente fretum non inpulit Hister,
Inmensumque gelu tegitur mare; conprimit unda,
Deprendit quascunque rates, nec pervia velis
Aequora frangit eques, fluctuque latente sonantem
Orbita migrantis scindit Maeotida Bessi.
Saeva quies pelagi, maestoque ignava profundo
Stagna iacentis aquae; veluti deserta, rigente

**429** supara U, sipara CA, sippara Rg, collegit A, **431** tument et r. U, **432** A habet intra versus a m. 2, **433** l. Schol. Berol. ad 459 (ap. Weberum), **434** ligato AB, ligatae aM, ligata VUGE, **435** inmotis R, **436** bosphoros V. bosforis T, bosforos UM, phosforus A, adstringes T, astringens M, **437** glatie A, hister O, **440** *eques* M, [que] $M_1$, sonatem T, **441** cingit Maeotica Osbernus p. 77, scidit $MA_1$, maraotida M, **442** l. Aldhelmus p. 530 M, 241. 21 G, **443** tacentis UE, regente M, vigente m.

431 Reiecta in malum reciderunt in mediam navem. Pendent vela et cursum navis (remis adactae) non aequat ventus sed tardior est.

434—446 Versus nimis onerati: primum 435, 436 torpor describitur, 436—441 egregia comparatio cum Ponto Euxino et palude Maeotica glacie adstrictis, post quam quidquid addideris friget; tamen v. 442—446 haec repetuntur et ampliantur sic, ut nescias num in mari rursus Brundisino versetur poeta, donec contrarium docet ultimus versus: „non solis imagine vibrat", quae ad tectam tantummodo glacie aquam pertinere possunt. Est in his copia Ovidio digna, quem in superioribus potissimum v. 440 ob oculos habet, cf. Trist. III. 10, 33.

434 Distinxit post *iacent* et *ligatae* pro *ligata* scripsit Bentleius, idem iam Oudendorpius.

437 Perfecti temporis *inpulit* rationem nullam video nisi metrum. Si de una actione, de uno „impulsu" ageretur, post quem, velut irritum conamen iam mare rigeret, secus statuerem; sed perpetuo nunc non movet (*impellit*) aquas marinas Danubius. Egregie *conprimit* (438) glacies quas occupavit naves, non potuit melius.

438 *Intensum* ex Barber.: *infensum* Heinsius. Advv. p. 134.

439 De *nec* multa argutatur Cortius, ut etiam *ac* commendet. Negatio pertinet ad totam sententiam: „nec frangit aequora eques aut orbita Maeotida paludem scindit"; haerent qui cum Cortio *nec* ad *pervia* tantum referunt. Affirmativa sententia haec: „pervia velis aequora frangit eques", in qua nemo non videt „pervia velis aequora" esse i. q. mare navigabile, per *nec* in contrarium convertitur: non frangit eques, ungula equi vias navigabiles. Et sic proxima: nomadis Bessi currus (orbita) non scindit (findit) glaciem Maeoticam. Confusa Bosporus Cimmerius, palus Maeotis, (*Scythicus* 436, 441) et Pontus Euxinus, in quem Hister influit.

442 *Scaeva* Waddelius. Plane quod *scaevus saevus* hac aetate subinde est, nempe: malum portendens, mali ominis. Schraderus *laeva*. *Pelago* iure praefert Cortius.

443 Post *aquae* lenius distinguens Bentleius: *regente*, ipse „sententia clara, inquit, *stagna cessant veluti deserta Natura regente* sive quae regit". Nemo videtur intellexisse *deserta* esse substantivum; tam planus et solitarius magnus campus congelati maris

Aequora natura cessant, pontusque vetustus
Oblitus servare vices non commeat aestu,
Non horrore tremit, non solis imagine vibrat.
Casibus innumeris fixae patuere carinae:
Illinc infestae classes et inertia tonsis
Aequora moturae, gravis hinc languore profundi
Obsessis ventura fames. Nova vota timori
Sunt inventa novo: fluctus nimiasque precari
Ventorum vires, dum se torpentibus unda
Excutiat stagnis et sit mare. Nubila nusquam
Undarumque minae; caelo languente fretoque,
Naufragii spes omnis abit. Sed nocte fugata,
Laesum nube dies iubar extulit, imaque sensim
Concussit pelagi, movitque Ceraunia nautis.
Inde rapi coepere rates atque aequora classem
Curva sequi, quae iam vento fluctuque secundo
Lapsa Palaestinas uncis confixit harenas.
  Prima duces iunctis vidit consistere castris

**444** vetusta A, **445** commineat $T_1$, **446** orrore M, **448** illic $M_1$ABE, (illinc a marg.) **449** hic $M_1$RG, **450** timore C, **451** precaci m, **452** currentibus G, torpentibus g ($1^a$ m.) c. rell., **456** diem VMGC, dies UA, **458** ratis $M_1$, cepere R, classem corr. in classis V, class*em* M, **460** palestinas VU, confinxit U, harenas U, **461** iunctis vidit, hoc ord. GR, vidit iunctis vulgo.

ac desertum. Ita ablativus abs. „rigente natura" aptus, modo post *deserta* minor distinctio ponatur. *Commeat* de increscente per aestum et in littus escendente unda int.

446 Mirum potuisse errari in explicandis verbis „solis imagine". Sententia: non tremulae undae (*horror*) solis repercussa imagine splendent. Non sane solis radiis tanquam speculo exceptis vibrant undae, sed vibrantes a nobis perspiciuntur (vibrant nobis). Sed talia poetis conceduntur.

447 Patuerunt = expositae sunt. Schol. Voss.

448 *Illinc* venturae cf. 450, non *illic*. Classes Pompeianae melius remigio paratae significantur.

449 *Moturae* cf. ad 367.

456 *Diem* Commentum, dum ad *concussit* subaudit „totum (Usener: *tectum*) iubar". *Laetum diem* Bentleius; scilicet milites nubes optabant. Usitatum est: „aurora affert diem" (VI. 333, X. 434) rarius contra (attulit Hosius Iliad. Lat. 117; minus probat Verg. Aen. VII. 148). Sed *laesum* (= obscuratum) defendit Burmannus recte, allatis Statii Theb. VII. 45: „laeditur adversum Phoebi iubar" et Silv. III. 1. 81 „laesique fides reditura sereni". Et *dies* aptius subiectum ad *concussit* et *movit* quam *iubar*. *Dies* Cortius. „Movit Ceraunia nautis" fecit, ut oculis militum apparerent et evanescerent, *condidit*. Ceraunia transvehebantur, ad Palaesten, Genusum Apsumque cursum dirigentes. Navigantibus orae, quas legunt, *recedunt*, *subsidunt*, *residunt*, *transeunt*, *fugiunt*, cf. Drakenborch. ad Sil. It. III. 157. Ceraunia et Palaesten commemorat Caesar III. 6. Donec tamen simile exemplum verbi *movere* inventum erit, dubio non exemta lectio est (*monstratque*?)

461 „Iunctis vidit (hoc ord.) — *considere*", Bentleius, non aptius quam *consistere*. Heinsii l. l. p. 141 „scripti plurimi" offerentes *considere* sunt inferioris notae. Secundum Caesarem enim III. 13. 5 iter factum est copiarum inter Palaesten et castra ad Apsum posita, nec aliter fieri potuit aut sibi rem fingere Lucanus.

Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus
Circueunt ripis. Apso gestare carinas
Causa palus, leni quam fallens egerit unda;
At Genusum nunc sole nives, nunc imbre solutae
Praecipitant. Neuter longo se gurgite lassat,
Sed minimum terrae, vicino littore, novit.
Hoc fortuna loco tantae duo nomina famae
Composuit, miserique fuit spes irrita mundi,
Posse duces parva campi statione diremtos
Admotum damnare nefas. Nam cernere voltus
Et voces audire datur, multosque per annos
Dilectus tibi, Magne, socer, post pignera tanta
Sanguinis, infaustam sobolem mortemque nepotis,
Te nisi Niliaca propius non vidit arena.
  Caesaris adtonitam miscenda ad proelia mentem
Ferre moras scelerum partes iussere relictae.
Ductor erat cunctis audax Antonius armis,
Iam tunc civili meditatus Leucada bello.
Illum saepe minis Caesar precibusque morantem

**462** genesus U, hapsus UMT, absus A, **463** cyrcueunt U, circumeunt M, hapso UMT, abso A, **464** quem $G_1$, **465** at — praecipitant (466) Lact. ad Theb. III. 672, aut (Genusum) nunc Lact., genesum U, soluta A, **468** numina G, **470** diremptos VUMG, direptos R, campis A, **471** totus vers. in ras. m. 3 M, vulti M, dampnare U, **473** magna $A_1$, **474** nepotum MRTCg, nepotis m, **478** doctor A, **479** leucadei T, **480** praecipibusque A.

464 *Egerit* i. q. exhaurit cf. III. 272.

467 Ex *neuter* supplendum affirmativum *uterque*.

471 Milites colloquia utrinque habuisse Caesar III. 12, non vero se et Pompeium refert.

474 Qui defendunt traditam lectionem *infausti* distinguant necesse est: — „tanta, sanguinis infausti sobolem, mortemque nepotis". Sic Iulia dicitur „infausti sanguinis", Caesare oriunda! Imo *sanguinis* est: consanguinitatis, vid. I. 111 „nam pignera iuncti sanguinis — abstulit ad manes — Iulia". Weisium interpretantem: (post) sobolem et mortem infausti nepotis, i. e. post partum et mortem nepotis, refutavit Haskins; ipse „(post) sanguinis infausti sobolem" interpretatur: postquam nata est propago generis infausti (the scion of a hapless race), debebat potius: consanguinitatis, coniugii infausti; tum „mortemque nepotis" epexegesin continent. Durum hoc. Verum puto *infaustam*; librarii accommodaverunt adiectivum praegresso nomini: „post pignera tanta sanguinis, infaustam sobolem (Iuliam) mortemque nepotis" i. e. postquam pignora iuncta sunt, filia infausto omine sublata est, nepos mortuus. Oudendorp.: „*raptum*que nepotum", quo non opus, cf. VI. 164 „usque ad Thessaliam". Ubi summatim in re nota tempus notatur, solum substantivum sine participio Lucano sufficit, quasi quis diceret: „post Urbem" omisso: Conditam. — *Nepotum* defendit Cortius, cum Oudend. ad Casaubonum in Suet. Iul. 26 provocans, qui nihil de duobus nepotibus dicit, cf. IX. 1049.

476, sqq. Caesar III. 25. 4 „quibus rebus (mora Antonii Brundisina) permotus Caesar Brundisium ad suos severius scripsit, nacti idoneum ventum ne occasionem navigandi dimitterent".

479 Meditatus quod proelio Actiaco affectavit, imperium dimidii orbis terrarum. Versu superiore *iunctis* mavult Heins. l. l. p. 141. Cf. X. 351.

Evocat: „O mundo tantorum causa laborum,
Quid superos et fata tenes? Sunt cetera cursu
Acta meo, summam rapti per prospera belli
Te poscit fortuna manum. Non rupta vadosis
Syrtibus incerto Libye nos dividit aestu?
Numquid inexperto tua credimus arma profundo,
Inque novos traheris casus? Ignave, venire
Te Caesar, non ire, iubet: prior ipse per hostis
Percussi medias alieni iuris harenas,
Tu mea castra times? Pereuntia tempora fati
Conqueror, in ventos inpendo vota fretumque.
Ne retine dubium cupientis ire per aequor;
Si bene nota mihi est, ad Caesaris arma iuventus
Naufragio venisse volet. Iam voce doloris
Utendum est: non ex aequo divisimus orbem.
Epirum Caesarque tenet totusque senatus,
Ausoniam tu solus habes”. His terque quaterque
Vocibus excitum postquam cessare videbat,
Dum se deesse deis, ac non sibi numina, credit,

**481** et vocato A, mundo U, mundi, rell. vulgo, laborum gVUM, malorum ABG, **482** facta A, **485** lybiae MR, vidit M, di s. s. m. 2, **487** nodos A, **488** hostis U, s. s. tes, iuvet (ex: iuvat) A, **489** percussit B, viris A, **490** ti A, cur mea T, **491** in — fretumque l. Schol. Berol. VII. 617, **492** cupientis M, **493** mihi nota est $G_1$, **496** epirumque tenet caesar T, tutus C, **497** habis s. s. *e* M, habessıerq; quaterq; A. **499** cum U.

481 *Mundo* Cortius. Artificiosa et parum poetica duplicis genetivi constructio „mundi laborum causa”. Mire Caesarem Lucanus facit futura divinantem.

487 Caesar, quod mare iam transmisit „veni” Antonio dicere potest; si, cum ipse in Italia esset, Antonium iussisset bellum transferre in Epirum, *ire*, non venire, eum iussisset; ergo: sequi te iubet, non praeire. Grotio et Burmanno aliter haec intellecta. Sane in Titi ad Vespasianum redeuntis verbis apud Suetonium Tit. 5 „veni, pater, veni” *venire* paratum animum significat, sed hoc cum *iubet* non recte convenit. — *Novos* = ignotos.

489 *Pervasi* mavult Heinsius. Sensus: Secui viam in alieno solo. Sed *arenas* percutere novum. De ancora intellegit Schol. Voss. Significatur tamen motus per medium littus hostile. Non sine causa haerebat Heinsius. *Per hostes* breviter i. q. p. h. via facta, fallens Pompeium.

495 *Ex aequo δικαίως*. Non: aequis partibus. Tu solus obtines Italiam, nos, duces et universus senatus, solam Epirum, minus te pro portione habere par est. Adverbium *aeque* non habet illam quam dixi significationem (*δικαίως*), ut notum est. Haec indignatio (*doloris* 484) per *iam* mire superioribus annectitur (= denique?).

499 *At* Sulpicius et secuti, *ac* restituit Cortius. V. 500, sq. *sponte* et *iussi* opponuntur; nullo iubente facit Caesar, quod ne iussi quidem (milites Antonii) audent, expertus (sibi) temeraria cessisse prono deo, prospera Fortuna.

. Commentum Bernense ad h. v. „illud tangit quod Pompeianis ad se (egregie Usener: Apsum) transeuntibus fracto secum ponte lapsi perierunt”. Haec sumta esse e Livio, libro CXI Usenerus ostendit. E Livio saepe Lucanus haurit, veluti IV. 344, II. 583 et paulo ante Comm. ad 494 („naufragio venisse volent”): „Livius de hoc: veniant si modo mei sunt”. Quo

Sponte per incautas audet tentare tenebras,
Quod iussi timuere fretum, temeraria prono
Expertus cessisse deo, fluctusque verendos
Classibus exigua sperat superare carina.
 Solverat armorum fessis nox languida curas.
Parta quies miseris, in quorum pectora somno
Dat vires fortuna minor. Iam castra silebant,
Tertia iam vigiles commoverat hora secundos;
Caesar sollicito per vasta silentia gressu
Vix famulis audenda parat, cunctisque relictis,
Sola placet Fortuna comes. Tentoria postquam
Egressus, vigilum somno cedentia membra
Transsiluit, questus tacite quod fallere posset,
Littora curva legit, primisque invenit in undis
Rupibus exesis haerentem fune carinam.
Rectorem dominumque ratis secura tenebat
Haud procul inde domus, non ullo robore fulta,
Sed sterili iunco cannaque intecta palustri,
Et latus inversa nudum munita phaselo.
Haec Caesar bis terque manu quassantia tectum

**500** inavitas A, latebras MABC, (tenebras m, m. rec.), **504** fessas O, vulgo, **505** in — minor (506) l. Lact. ad Stat. Theb. I. 389, parva OTC, pectore u, sono R, **507** ora T, **512** transiliit U, quaestus M, quo M (*d* add. m. 2) AB, **513** primis quae A, **514** excessis $A_1$, **515** dominumquae A, **516** nullo T, **517** stereli $M_1$. intexta O vulgo, **518** inverso UAG, faselo V, **519** causantia A.

indicio apparet, unde Lucanus hauserit; Caesar ipse nihil de Antonio a se per naviculam petito. Cf. Civ. III. 23. De Livio Lucani auctore scripsit G. Baier diss. Vratisl. 1874. cf. Appianus II. 56 sq.

504 Vulgata „armorum *fessas* — curas", merito suspecta Aem. Schaefero, diss. Monast. a. 1886, qui coniicit: „*fessos* — *curis*". *Armorum* cum *fessis* iungendum. Nostra mutatio paulo lenior est.

505 „*Parva* quies miseris" Bentleius „per epexegesin. Parva, quia mane ad curas redeundum erat". Utinam certe „multo mane" scripsisset. Ita *parva* i. q. nimis parva. Et sic reliqui, qui *parva* defendunt, partim parenthesin statuentes. *Parca* non improbat Oudendorpius. *Parta* Sabellico auctore omnes ante Burmannum, etiam Cortius a. 1726; post ad *parva* redierunt Burm. Cortius², Heise, Haskins. Heinsius: „parta q. m.; *sunt quorum* in pectora somno". minus feliciter. Nova pars narrationis incipit a descriptione noctis in universum. Per *miseris* non milites, sed omnino pauperes significantur velut Amyclas v. 520. Factum significatur (obdormiverant), non iudicium effertur.

517 „Intexta casa iunco" significat eam cuius parietes ad rimas implendas aut alio consilio ostendunt hic illic texturas iunci, quod non voluit poeta; *pertextam* iunco locus requirit. Burmannus frustra ad Verg. A. X. 784 provocat, nec opitulatur vulgatae Silius XIII. 109 „intextus axibus agger." Verum est *intecta*. Iuxta ponuntur tectum et parietes (*latus*). De *textus* et *tectus* confusis vid. Oudend., cuius iudicium de Ov. Metam. VIII. 630 non sequor.

519 „*Ut* Caesar" Bentl., idem Heinsius aut *cum movit*, Cortius *cum surgit*. Asyndeton non est alienum a vigore narrationis. *Haec* i. q. talia, tam mira, clausa per phaselum, cuius alveus pro ianua erat.

Limina commovit. Molli consurgit Amyclas,
Quem dabat alga toro. „Quisnam mea naufragus, inquit,
Tecta petit? aut quem nostrae Fortuna coegit
Auxilium sperare casae?" Sic fatus, ab alto
Aggere iam tepidae sublato fune favillae
Scintillam tenuem commotos pavit in ignis
Securus belli; praedam civilibus armis
Scit non esse casas. O vitae tuta facultas
Pauperis, angustique lares! o munera nondum
Intellecta deum! quibus hoc contingere templis
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu
Caesarea pulsante manu? Tunc poste recluso
Dux ait: „Expecta votis maiora modestis
Spesque tuas laxa, iuvenis. Si iussa secutus
Me vehis Hesperiam, non ultra cuncta carinae
Debebis, manibusque inopem duxisse senectam.
Ne cessa praebere deo tua fata, volenti
Angustos opibus subitis inplere Penates".
Sic fatur, quamquam plebeio tectus amictu
Indocilis privata loqui. Tum pauper Amyclas:
„Multa quidem prohibent nocturno credere ponto.

**520** molli — toro (521) l. Probus IV. 23. 8 K, amictas A, **521** alta Prob., thoro U, inquid A, **522** aud A, petiit T. **524** vel fuste s. s. U, **525** tenuent A, **526** tum — ait (532) l. Prisc. 548. 12 H, **527** o vitae — lares (528) l. Acro ad Hor. C. II. 16. 13, **528** et munera — deum (529) l. Serv. ad Georg. II. 499, peuperies A, **529** tectis U, **531** cum m, tunc ABU, caesaream $A_1$, **532** exspecta $M_1$, **533** iuvenes A, **534** meveissperiam A, speriam B, **535** manibusve UG — que gc. rell., **536** necesse A, tuo A, volento A, faventa T, **537** augustos $G_1$, **538** fatus $BG_1$, **539** liqui A, amiclas A, **540** proibent $M_1$A.

524 „Fune favillae" vulgo. *Torre* Bentleius, *fuste* Hosius. Egregie Bentl. intellexit quid locus postularet; *ab alto aggere,* inquit, *favillae,* raro enim focum verrebat nec studebat munditiei. Favilla iam *tepida* erat, at torris sive stipes ambustus paulum ignis servaverat; hunc anima et spiritu suo commovit ac produxit ad flammam". Guyetus: *sublatam. Pavit* i. q. nutrivit sc. anima sua aut flabello; *in* (post *pascendi* verbum) finale (donec in ignem exarsit), non locale est. Schrevelius: „nutrivit movendo donec flamma eluxit". Scholl. Bern.: „commotos | dum commovit". Non recte. *Commotos* non iungi debebat cum *ignes*, ut Cortius quoque vidit. Aut legendum est „tenues commotam" aut *pāvit* perfectum est verbi **păvio* i. q. concutere, protrudere (in ignes commotos = in cineres a se commotos) cf. Verg. Aen. I. 176: „silici scintillam *excudit* Achates — rapuitque in fomite (h. l. fune, lino vetusti funis) flammam". Cf. Moreti 8, sqq. Val. Fl. II. 450. Ovid. Metam. VIII. 631—633 („tepidum cinerem *dimovit*"), Fast. V. 505.

530 „*Quis* potuit" mallet Bentl. sine causa. Burmannus v. 528 *quondam* pro *nondum.* Eodem versu Peerlkamp *laris* ad Hor. C. II. 10. 16, propter productionem dubium.

535 *Duxisse* suspectum Heinsio; *tolerasse* Cortius, *fugisse* Schrader, *ducesve,* distinguens post *manibusque* Madv Advv. II. 130. Ad posterius membrum *debere* per zeugma pro *necesse habere* suppletur. Praebere = committere.

540 Lectio *proibent* monstrat transitum ad **prŏbere* et *probrum,* cf. *prōmere.*

Nam sol non rutilas deduxit in aequora nubes
Concordesque tulit radios: noton altera Phoebi,
Altera pars borean diducta luce vocabat.
Orbe quoque exhaustus medio languensque recessit,
Spectantisque oculos infirmo lumine passus.
Lunaque non gracili surrexit lucida cornu,
Aut orbis medii puros exesa recessus,
Nec duxit recto tenuata cacumina cornu
Ventorumque notam rubuit, tunc lurida pallens
Ora tulit, voltu sub nubem tristis ituro.
Sed mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus,
Nec placet incertus, qui provocat aequora, Delphin,
Aut siccum quod mergus amat, quodque ausa volare
Ardea sublimis pinnae confisa natanti,
Quodque caput spargens undis, velut occupet imbrem,
Instabili gressu metitur littora cornix.

**541** rutulos duxit A, rutilans G, **542** nothon VU, **543–545** bis habet A, vocabant A marg. m. 2, deducta c, **544** exaustus $A_1$, **545** spectantisque VUM (corr.: -tesque) b spectantis AG, **546, 547** A in marg., **546** nec grac. R, **547** exaesa VM, **549** tum—ituro (550) l. Prisc. 544. 16 H, notam AB (M Stht) nota rell. vulgo, **551** sed—delphin (552) l. Servii cod. Paris. ad Aen. X. 98, **552** quod R, **553** quodque—ardea (554) l. Isidorus XII. 7. 21 et Servius ad Georg. I. 364, quodque signum Serv. quodque—natanti (554) Serv. ad Aen. VII. 412, volare est R, **554** pinnae AR, **555** imbres M e corr. occupat c, **556** instabili—cornix l. Acro ad epod. 4. 7, stabili codd. plerique ap. Acronem.

540–552 e Nigidii libro de ventis sumta opinatur R. Fritzsche, Quaestt. Lucaneae, Gothae 1892, p. 27. Non pugnant cum Georgicis et conveniunt cum Arateis, vulgo tum notis et lectis. Nam quod a Micyllo ad 548 Aratea, (Dios. 56) discedere dicuntur a Lucaneis, non recte fit, laudandi erant Arati v. 97, sq. *οὐδ᾽ ὁπότ᾽ ἀκτίνων αἱ μὲν νότον, αἱ δὲ βορῆα σχιζόμεναι βάλλωσι, τὰ δ᾽ αὖ περὶ μέσσα φαεινῇ, κτέ.*

543 *Notabat* Bentleius et Schraderus. *Vocabat* est: praesagiebat. Comm. *provocabat.*

545 „Spectantis*que*" primus Oudend., a quo cur recederetur non erat (exhaustus et passus). *Spectantis* accusativum puto; *-tis* evasit, quod genetivum putabant. Ad *recessit* cf. Verg. Georg. I. 443: „medioque refugerit orbe". *Exhaustus* i. q. excavatus, obscurus, cf. *exesus* 547.

547 Cf. Verg. Georg. I. 427 sqq. „luna revertentes cum primum colligit ignis, — sin ortu quarto — pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit", rell. *Gracilis* i. q. non obtusus, cornibus acutis, cf. „*tenuata* cacumina" 548. Arat. Dios. 56, sqq. *Puros* puto: lucidos; intra cornua etiam lucidi quid pellucet, quod nunc obscurum manet.

549 Cf. Verg. Georg. I. 430, 431: „vento semper rubet aurea Phoebe". *Notam* Hos., rubuit ruborem, qui est index s. nota ventorum. Qui Graece norunt non gravabuntur.

551 *Sed* resumitur v. 557. — „Sonitus nemorum" Bentleius.

552 *Incurvus* Bentleius, inane epitheton; Plinius XVIII. 87, quem ipse affert: „delphini tranquillo mari lascivientes flatum praesagiunt". *Incertus* i. q. vagans, turbidus. — „Quod provocat" Bentl.

554 cf. Verg. Georg. I. 361, sqq. „Pinnae confisa *madenti*" Guyet, sc. „ex natatu" Recte; sed non necessario, ardea, avis palustris, non natat, sed *natanti* figurate dictum (de aequabili volatu, quo alis vix motis stringit aera) et propterea quodammodo superfluum. Prodigium est in eo, quod paludes relinquit et evolat.

556 *Instabilis* Bentl.

Sed si magnarum poscunt discrimina rerum,
Haud dubitem praebere manus. Vel littora tangam
Iussa, vel hoc potius pelagus flatusque negabunt".
Haec fatur, solvensque ratem, dat carbasa ventis;
Ad quorum motus non solum lapsa per altum
Aera dispersos traxere cadentia sulcos
Sidera, sed summis etiam quae fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati. Niger inficit horror
Terga maris, longo per multa volumina tractu
Aestuat unda minax flatusque incerta futuri;
Turbida testantur conceptos aequora ventos.
Tunc rector trepidae fatur ratis: „Adspice, saevom
Quanta paret pelagus. Zephyros intendat, an austros
Incertum est. Puppim dubius ferit undique pontus.
Nubibus et caelo notus est, si murmura ponti
Consulimus, cori verrent mare. Gurgite tanto

**561** lapsa—polis (564) l. Isidorus de nat. rer. XXV. 2, fatus G, at A, **562** dispositos G, dispersos g c. rell., **564** poli M, *s* add. m. 2, **567** aequore $G_1$, **568** aspice VUM, **569** parat V zephyrosne m, an austros UVmG, an euros MA, **570** puppem V, fert MT (ferit m), **572** chori VUAR. veniet UAGR, venient MbrT, ferient V.

559 Languidum est alterum membrum, cui non opitulatur Heinsius proponens: „vel hoc *votis*" aut *hos portus*. Tamen *votis* praestat vulgatae, quae me iudice intolerabilis est; *potius* enim in hac disiunctiva sententia, necessario adverbium est (μᾶλλον) non adiectivum (= potentius). Cum gravitate assertionis conveniret: vel tangam, vel occumbam; veluti: „vel hoc (δεικτικῶς, corpus meum) potius pelagus flatusque vorabunt".

562 *Cadentia* genus astrorum significat quae quandocunque merguntur, opposita *fixa* veluti ursa, arctophylax, al. quorum motus exiguus. Ut primum vela dederunt, tam vehementer quassa est navis ut per obliquum eius motum totum caelum moveri videretur. In maius auctum est id quod in turbulenta navigatione unusquisque vectorum animadvertit. Vulgo interpretantur de prodigio Verg. Georg. I. 361. Aen. II. 697, Sen. NQ. I. 14, VII. 20. Sed motus astrorum manifesto significatur effectus per navigationem.

569 *An euros* cum Hortensio Grotius, *an austros* Oudend.; Bentleius *austros* (meridionales i. q. notos) iuxta Zephyros (occidentales) commendat comparatis *noto* (= austro) v. 571 et *coris* v. 572 (fere = zephyris septentriones inter et occidentem N. W.). Contra Euri ex adverso (oriente, Z. O.) positi, iuxta Zephyrum (W) mentio esse non potuit. Nempe hoc versu agitur de fluctu, in cuius „directione" definienda non tantum discrimen esse potest; num ex occidente an ex oriente fluctus veniant, non potest esse dubium. Aliud est si fluctus et nubes componantur. — Ventorum nomina tractat Gellius II. 22. 3, sqq. cf. Keller et Haeussner in editione Horatii Lips. et Pragae 1885 (aut post) p. 227. Quamvis venti saepe permutent nomina, non est cur invitis libris hanc confusionem poetae obtrudamus. Idem probat Hosius J. Jahrb. 1893 p. 341. Ad *intendere* = meditari, minari cf. Haskins ad VIII. 568. Minus probandum *Zephyro* et *Euro* Heins. Adv. p. 134.

572 *Verrent* Bersmannus primus, ex coniectura; lectionem traditam cum A. Rutgersio defendit Bentleius distinguens: „Nubibus et caelo notus est; si murmura ponti consulimus, cori (sc. sunt); *veniet* mare gurgite tanto, nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras". Postremus versus (*gurgite tanto* ad superiora relato) male adhaeret et insolens asyndeton ante *veniet*, et ipsum *veniet mare*. Heinsius l. l. p. 141: „si *marmora* ponti Consulimus, *coris fervet*

Nec ratis Hesperias tanget, nec naufragus oras.
Desperare viam et vetitos convertere cursus
Sola salus. Liceat vexata littora puppe
Prendere, ne longe nimium sit proxima tellus".
  Fisus cuncta sibi cessura pericula Caesar,
„Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti
Trade sinum. Italiam si caelo auctore recusas,
Me pete. Sola tibi causa est haec iusta timoris,
Vectorem non nosse tuum, quem numina numquam
Destituunt, de quo male tunc Fortuna meretur,
Cum post vota venit. Medias perrumpe procellas,
Tutela secure mea, caeli iste fretique,
Non puppis nostrae labor est; hanc, Caesare pressam,
A fluctu defendet onus. Nec longa furori
Ventorum saevo dabitur mora, proderit undis
Ista ratis. Ne flecte manus, fuge proxima velis
Littora; tunc Calabro portu te crede potitum,
Cum iam non poterit puppi nostraeque saluti
Altera terra dari. Quid tanta strage paretur,
Ignoras? Quaerit pelagi caelique tumultu
Quid praestet Fortuna mihi". Non plura locuto
Avolsit laceros, percussa puppe, rudentis
Turbo rapax, fragilemque super volitantia malum
Vela tulit; sonuit victis conpagibus alnus.
Inde ruunt toto concita pericula mundo.

**573** hesperies T, **574** desp. viam l. Prisc. II. 282. 16 H, veritos N. apud Prisc., desp. — salus (575) l. Prisc. II. 301. 11 H, **576** nec ABc, **580** est haec, hoc ord. O, ac M, hec m, hac a (deleta *h*), **582** destitunt $M_1$, **585** pupes $M_1$, nr̃e puppis $G_1$ *hanc* M, **587** proterit undas G, **588** *istae* M, *flecte* M, flete T, manum A, nec b (2. m.), **590** proderit $R_1$, **591** qui M (d. add. m. 2), tante $R_1$, **593** quod $M_1$ ABRGc, quid ag *c. rell.*, **594** rudentis A, **595** *omissum in ima pag. adscripsit A*, **597** concita VUMABCg, congesta G.

mare", sed ita *marmora* alienum. Cortius et alii praesens *verrunt*; futurum etiam propter libros necessarium.

578 *Ferenti* Bentleius, quod miror.

850 *Me* sc. auctore. — „Causa est ac iusta". Cortius cum M et correcto A.

583 „Perrumpe capellas" i. e. hoedos, contemne sidus malevolum, Gronovius teste Cortio in 2ª, Vir Doctus in 1ª ed.

587 „Ventorum credo" Bentleius temere. — „Proderit undis i. r.] quasi procellis maria laborent et subventura sit mari ratis, dum Caesari parcitur". Comm.

593 „*Quod* praestet" Heinsius, in qua iunctura coniunctivus (tanquam potentialis) vix stare potest; „quod praestat" Bentleius, non recte; post verbum aliquod *quaerendi* sequitur vulgo interrogatio obliqua, non relativa sententia.

595 „Gracilemque" ex cod. quodam regio Bentl.

597 „Congesta" Weise, interpretamentum in codd. 30 Cortii recentibus. Ad quantitatem cf. Val. Fl. V. 576 „concita furoribus arma". Heinsius malebat *tonitrua*.

Primus ab Oceano caput exeris Atlanteo,
Core, movens aestus; iam te tollente furebat
Pontus et in scopulos tortas erexerat undas.
Occurrit gelidus boreas, pelagusque retundit,
Et dubium pendet, vento cui concidat, aequor.
Sed Scythici vicit rabies aquilonis, et undas
Torsit, et abstrusas penitus vada fecit harenas.
Nec perfert pontum boreas ad saxa, suumque
In fluctus cori frangit mare, motaque poscunt
Aequora subductis etiam concurrere ventis.
Non euri cessasse minas, non imbribus atrum
Aeolii iacuisse notum sub carcere saxi
Crediderim: cunctos solita de parte ruentis
Defendisse suas violento turbine terras,
Sic pelagus mansisse loco. Nam parva procellae
Aequora rapta ferunt: Aegeas transit in undas
Tyrrhenum, sonat Ionio vagus Hadria ponto.

**599** chore VUMAR, **600** totas O vulgo, **601** refundit U, revulsit g, retundit u *c. rell.*, **602** concidat O, **605** prefert T, **606** chori VUAMR, possunt O, vulgo, **609** aeoli $M_1$, la (lat?) in marg. ad iacuisse A. **610** ruentis M (corr: — tes). **612** non parva A, nec G, procellis O vulgo, **613** in U post adscriptus inter versus, m. 1 ut videtur, **614** adria MA, thyrrenum A.

600 „Tortas" Guyetus. Vulgo *totas*, i. q. omnes; de undis quae in scopulos escendunt, *tortas* magis evidens („graphicum"). *Tortas* placebat etiam Heinsio, Oudendorpio, Marklando. *Iras* ex deterioribus Cortius.

601 „Validus Boreas" ludit Bentleius. Idem *pareat aequor* defendit, quod primus Aldus; Grotius *concidat* (i. e. succumbat) ex omnibus libris restituit. *Pareat* rursus Burm.. Weise. Aptius est *pareat* (Bentleius: „neutri vento *concidit*, id dubium erat, ab utro *tolleretur*") sed palaeographica probabilitas desideratur, non enim satisfacit Bentleianum: „*pareat*, gloss. *concedat*, inde factum *concidat*". *Pareat* enim facilius intellectu est quam illud *concidat*. Undas tanquam athletas cogitavit luctantes. Heins. l. l. p. 142 *concidat* defendit.

603 „Et una" pro „et undas" Bentl.

604 „Patefecit" Cortius pro „vada fecit" collato v. 613. Eleganter, sed vulgata in Lucano ferenda (et esset in Ovidio quoque): aquilo fecit penitus abstrusas arenas vada i. q. fluctus ita removit, erexit, ut fundus maris exigua tegeretur aqua. Nec Bentleianum *una* (603) probandum.

606 „Motaque *perstant*" pro *possunt* Bentleius, *poscunt* debetur Schradero.

607 „Subductis ventis" moti semel fluctus non quiescunt, sed sibi arrogant certamen (*poscunt*). Quid *possent* venti nec perficerent parum referebat.

610 „Credideris" Schrad. Cur *σολοικοφανὲς* obtrudamus poetae non video. Coniecturam suam Lucanus in sqq. profert. Idem scite: „solita sed parte". Denique „violento *a* turbine" conicit; sed eodem redit: quisque ventus suo turbine a turbine alterius suam terram defendit.

612 *Nam*, *nec* Cortius, Burm. *Procellae* Bentl. *Nam* exceptionem afferens et pelagus (mare magnum) opponens parvis aequoribus non intellexerunt aliquot librarii, inde *nec* et *non*. „Ferunt" qui *procellis* scribunt, de fama coguntur interpretari, quasi de historica fide agatur, quod in re omnem fidem superante ineptum; „procellae ferunt" i. q. auferunt cf. Verg. A. I. 59. — V. 611—613 olim a se eiectos defendit Steinhart, de Schedis, p. 6. — V. 613 nihil mutandum, quamvis longe absit Tyrrhenum ab Aegeo (intersunt Ionium et Hadriaticum et multae terrae), cf. II. 665. Aegeum videtur extendisse ad Siciliam.

Quot quotiens frustra pulsatos aequore montes
Obruit illa dies! quam celsa cacumina pessum
Tellus victa dedit! Non ullo littore surgunt
Tam validi fluctus, alioque ex orbe voluti
A magno venere mari, mundumque coercens
Monstriferos agit unda sinus. Sic rector Olympi
Cuspide fraterna lassatum in saecula fulmen
Adiuvit, regnoque accessit terra secundo,
Cum mare convolvit gentes, cum littora Tethys
Noluit ulla pati, caelo contenta teneri.
Nunc quoque tanta maris moles crevisset in astra,
Ni superum rector pressisset nubibus undas.
Non caeli nox illa fuit: latet obsitus aether
Infernae pallore domus, nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem.
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aether.
Tunc superum convexa tremunt, atque arduus axis
Intonuit, motaque poli conpage laborat.
Extimuit natura chaos: rupisse videntur
Concordes elementa moras, rursusque redire
Nox manes mixtura deis. Spes una salutis,
Quod tanta mundi nondum periere ruina.
Quantum Leucadio placidus de vertice pontus

**615** ah quotiens O, vulgo, quoties $M_1$A, **616** ille VUR, illa MAG, **617** illo M, **620** si rector $A_1$, mortiferos G, **622** adcessit $R_1$, **623** cum — undas (626) l. Isid. de nat. rer. XL. 3, thetis V, tethis URT, **625** tunc O vulgo, **627** aer O vulgo, **628** squalore V, pallore U c. rell., **629** depremitur A, **630** fulgora $M_1$, luxent T, **631** aer VU, **631—660** adsunt in $P^n$, cf. V. 390, **631** set $P^n$, silit $P^n$ deflet T, aer O, **632** tum M, reliqui tunc, tremunt O, etiam $P^n$ (non: fremunt), **633** laborat $P^n$, laborant O, insonuit $P^n$GA, intonuit VUMg, **635** prorsusque G (rursus g), **637—741** *scripti olim in* $f^o$ 50 *quod interiit, desunt in M; folium supplevit manus recentissima, cuius varietatem non adscripsi,* **638** quantum O, etiam $P^n$ et c, leucadeo $P^n$, leuchadio U.

615 A me impetrare non potui, ut *ah* illud ethicum, doloris et misericordiae plenum (cf. VI. 328, 724) retinerem, cum Bentleius *quot* proposuisset, ante *quotiens* omissum; „librarii, inquit, *ah* de suo dederunt, inepte profecto quasi ob scopulorum aliquot ruinam noster ingemeret". Minus assentior ei de *subruit* pro *obruit* substituendo; commendat illud verbis „pessum dedit". Sane hoc de aliis scopulis est accipiendum.

631 Nimbosussilit in $P^n$ exstitit e: nimbosussusilit, syllaba *sus* per errorem semel posita. Sed *dissilit* verum est, putabant enim ruptis nubibus fulmen existere, sed non *aer*, sed *aether* finditur, quare hoc ex coniectura posui, ut supra v. 627, quoniam utrumque perpetuo confunditur. *Rimosus* frustra Bentl.

633 *laborat* recepi e $P^n$. Axis vix medium locum tenet compage caeli mota. Seneca Agam. 485, sqq. multa habet huic loco similia, cf. etiam Verg. A. I. 105, III. 564.

638 *Quantus* Cortius et Haskins. At sen-

Despicitur, tantum nautae videre trementes
Fluctibus e summis praeceps mare, cumque tumentes
Rursus hiant undae, vix eminet aequore malus:
Nubila tanguntur velis, et terra carina.
Nam pelagus, qua parte sedet, non celat harenas,
Exhaustum in cumulos, omnisque in fluctibus unda est.
Artis opem vicere metus nescitque magister,
Quam frangat, cui cedat aquae. Discordia ponti
Succurrit miseris, fluctusque evertere puppim
Non valet in fluctum, victum latus unda repellens
Erigit, atque omni surgit ratis ardua vento.
Non humilem Sasona vadis, non littora curvae
Thessaliae saxosa pavent, oraeque malignae
Ambraciae portus: scopulosa Ceraunia nautae
Summa timent. Credit iam digna pericula Caesar
Fatis esse suis. „Tantusne evertere, dixit,
Me superis labor est, parva quem puppe sedentem
Tam magno petiere mari? Si gloria leti
Est pelago donata mei, bellisque negamur,
Intrepidus, quamcunque datis mihi numina, mortem
Accipiam. Licet ingentis abruperit actus

**639** tenentes T, *sine dubio ex* timentes *natum cf. supra* 372, **640** e summis G, a summis reliqui, assummis T, **642** franguntur T, **643** harenas O ut vulgo, **644** cumulos O etiam $P^n$, omnis(que) U, undae est R, **645** vincere R, **647** fluctuque $P^n$, puppem VU (corr.: im) A, **648** fluctum VUR, fluctus $P^n$AG, **649** eregit A, rates A, **650** sassona GCBA (in hoc *s* altera add. m. 2), **651** horaeque V, malignae $P^n$, malignos reliqui, **652** ambrachiae VURg (ciae A$P^n$), **654** suis q; tantusne $P^n$, quantusne AGRT, tantusne b$P^n$ VU, **656** loeti VU ut semper, **659** ingentis AV, ambrumperet $P^n$.

tentia non est: „quantus *prospectus* est de Leucadio promontorio" sed: quantum spatium est a vertice Leucadio usque ad maris superficiem, cum placidum est. Convenit apte quod sequitur: fluctibus e summis praeceps. Quantum est accusativus moduli, in quantum. cf. Scholia Web.

644 Unda pro aqua: omnis aqua sublata est et exhausta ad fluctus augendos.

648 *Fluctum* probat Bentl. *Inflictae* coni. Heins. p. 142, speciose, non vere. *Fluctus* tantummodo potest incliuare navem, nam antequam totam subvertat, altrinsecus fluctus alius suffulcit. Sunt haec (cf. 644) figmenta Ovidianis similia, cuius habemus illud: „aequorque refundit in aequor". Met. XI. 488. Compara etiam Propertium III. 7. 47 sqq. et Silium XVII. 244 alios. Horrores maris poetae Romani ultra verum exaggerant.

651 „Malignos portus" contrarium in adiecto, quod aiunt, ferrem si effugium non daretur, sed *malignae* in palimpsesto recte se habet, cf. VIII. 565.

651 Palmerius voluit „(curva) Thesprotum saxosa", Cortius „Cassiopae", sane crassus error est, et crassior quam quo Phocis cum Phocaea confunditur, Philippi et Pharsalus eiusdem regionis creduntur. Fortasse recte Palm., *Thesprotia* pertinet ad Epirum.

653 „sola timent" Guyet., quia summa Ceraunia (cacumina C.) timere non possint, sed id ipsum convenit cum magniloquentia poetae et cum oppositione locorum vadosorum in praegressis, ut vidit Burmannus. *Sed* omissum cf. ad 175.

Festinata dies fatis, sat magna peregi.
Arctoas domui gentes, inimica subegi
Arma metu, vidit Magnum mihi Roma secundum.
Ius a plebe tuli, fasces per bella negatos,
Nulla meis aberit titulis Romana potestas,
Nec sciet hoc quisquam, nisi tu, quae sola meorum
Conscia votorum es, me, quamvis plenus honorum
Et dictator eam Stygias et consul ad umbras,
Privatum, Fortuna, mori. Mihi funere nullo
Est opus, o superi, lacerum retinete cadaver
Fluctibus in mediis, desint mihi busta rogusque,
Dum metuar semper, terraque expecter ab omni".
Haec fatum decimus, dictu mirabile, fluctus
Invalida cum puppe levat, nec rursus ab alto
Aggere deiecit pelago, sed pertulit unda
Scruposisque angusta vacant ubi littora saxis,
Inposuit terrae. Pariter tot regna, tot urbes
Fortunamque suam tacta tellure recepit.
 Sed non tam remeans Caesar iam luce propinqua,
Quam tacita sua castra fuga comitesque fefellit.

**660** ac magna $P^n$, peregit A m. 2 in marg. Desinit $P^n$ cf. VI. 21 $P^n$, **661** archoas V, **663** iussa plebe O vulgo, iussa a Sch. Voss.. **665** nesciet VUATS, hunc c, **666** fatorum g, **667** undas G, umbras g *c. rell.*, **671** l. Prisc. 391. 7. 272. 18, 276. 10, expecter Prisc. V, **674** pelagi O vulgo, **675** vagant A, **677** iacta A, tecta $T_1$.

660 „Dies *fati*, sat" proponit Oudend. sine causa, festinata = maturata, accelerata (ut Schol. ad VII. 668) a fatis. *Ac* in P exstitit omissa una *s* ex coniectura, nam C et T in capitali scriptione non facile confundun tur, secus est in unciali, si C cum superiore littera iungitur per lineam (c = τ).

663 Schol. in V: „negatos m(i) per bella a plebe iussā.i. quae iusserit mi (l. iusserat om. *mi*)". Durum, sed legisse eum *iussa a* apparet. *Iussa a* est ambiguum „ego mandata tuli" aut „accepi quae imperaveram"? iussa plebe i. q. „cum plebs meum imperium accepisset" non convenit cum specie comitiorum quam ostenderat Caesar. Sed ius petendi consulatum senatus negaverat, plebs (populus post principum fugam) honorem impertiverat. Itaque *ius a* scripsi.

665 *Nesciat* Grot., *nec sciet* Oud., *ne sciat* Heins. ad Ov. Fast. III. 489, Bentl. Recte Oud. *nec sciet* i. q. omnes honores adeptus sum, nec quisquam sciet me amplius optavisse, me mihi ipsi videri privatum. „Hic *privatum* est nondum Regem. Ita in II (564) non *privata* cupit Romana quisquis in urbe Pompeium transire parat" GROTIUS.

670 *Iusta* Heins. Pericope illa „mihi funere (668) — ab omni (671)" non cohaeret cum superioribus *privatum mori*, quatenus in illis de condicione privata ignorata, in sequentibus de morte ignorata agitur. Ceterum dictatura se abdicaverat Caesar, consul creatus, Caes. III. 2. „Terra ab omni": quamdiu non constabat mortuum poterat *ex* omni terra expectari.

674 *Pelago* Waddelius, quod recepi; necessarium; fluctus deiecit eum sane ab aggere maris, sed non in mare (pelago), sed in terram. Agger aquarum ut mons, tumulus cf. Aen. I. 105.

Circumfusa duci flevit, gemituque sonoro
Et non ingratis incessit turba querellis:
„Quo te, dure, tulit virtus temeraria, Caesar?
Aut quae nos vilis animas in fata relinquens,
Invisis spargenda dabas tua membra procellis?
Cum tot in hac anima populorum vita salusque
Pendeat et totus caput hoc sibi fecerit orbis,
Saevitia est voluisse mori. Nullusne tuorum
Emeruit comitum, fatis non posse superstes
Esse tuis? Cum te raperet mare, corpora segnis
Nostra sopor tenuit. Pudet, heu! tibi causa petendae
Haec fuit Hesperiae? visum est, committere quemquam
Tam saevo, crudele, mari. Sors ultima rerum
In dubios casus et prona pericula morti
Praecipitare solet, mundi iam summa tenentem
Permisisse mari tantum! quid numina lassas?
Sufficit ad belli summam favor iste laborque

**680** cyrcumfusa U, gemituque Ug, reliqui: gemitusque, ut vulgo, suorum O vulgo, **681** ingessit VRG, ingratas g, querelas g, quaerelis R, **682** quod te A, quo te margo A c. rell., **683** relinquaes T, **684** invitis O vulgo, **686** tantus O vulgo, tibi g, **687** saev. — mori Serv. Aen. IV. 311, saevicia U, sevicina T, **688** et meruit R, **691** iussum est g, quod mittere UAC (p. 184. 11), committere a *c. rell.*, cuiquam C (p. 184. 9), **692** quam saevo g, **693** mortis AVUb, morti RG, **695** quod g, numina b, fata fatigas $U_1$, permississe A, **696**, **697** l. Prisc. 523. 21 H, ad fatum belli Prisc. ACG, summam belli VU, labor iste favorque V.

680 Bentleius: „circumfusa duci *fletu* gemituque suorum | et non ingratis incessit t. q." Burmannus: „flevit *gemitumque sonorum* | et non *ingratas* ingessit turba *querelas*". Peerlkamp ad Aen. I. p. 53 b. „gemituque furorem". *Sonoro* nondum inspecto Burmanno conieceram, quo recepto in reliquis Vossiani U optimi lectio nulla eget mutatione. *Ingessit* ex *incessit* corruptum, cui Gemblacensis correctus accommodavit *ingratas querelas*, sed is solus. *Suorum* in quavis lectione, etiam Bentleiana incommodum. cf VII. 706 „prohibe lamenta sonare". Gell. IV. 20: „clare nimis et sonore oscitavit". Tac. A. I. 65: „laeto cantu aut truci sonare". *Sonorus* omnino de rebus perquam diversis veluti tempestate, aere, axe currus. aliis apud Vergilium et Claudianum. *Incessit* est perfectum contractum.

684 *Invisis*, quod dedi, est in deterioribus, *invitis* male defensum ab Oudend.; si scissent invitas esse procellas ad tollendum Caesarem, non fuisset obiurgandi causa, nec Caesar periculum incurrisset.

685 „Ab hac anima" Oudend. refutatus a Burm.

686 *Totus* debetur Bentleio, qui „non placet, inquit, illud *tantus*, quasi hic de mensura orbis ageretur". Totus orbis hunc sibi principem fecit.

692 *Desperacio* gl. in V ad *sors u. r.*

695 „Mari! tantum quod" vulgo; „mari tantum. Quid" distinguunt Heins. et Schrader. „Solet, mundi iam summa tenentem | permisisse mari quantum!", *ultima* accusativum statuens, pendentem a *praecipitare* i. q. sors proiicit res vilissimas, quantum est promisisse summa, quae iam teneas!" Burmannus. „Sors ultima rerum" sunt infimae condicionis homines; ad *rerum* cf. Horatianum „quid agis dulcissime rerum?" *Praecipitare* intransitivum est.

696 „Labor iste favorque" Oudend., „ad fatum belli" id., „ad b. f." Bentl. Sententia: „num ex tua opinione fortuna per totum bellum (ad belli summam) satis egit, si te

Fortunae, quod te nostris impegit arenis?
Hinc usus placuere deum, non rector ut orbis,
Nec dominus rerum, sed felix naufragus esses?"
Talia iactantes discussa nocte serenus
Oppressit cum sole dies, fessumque tumentis
Conposuit pelagus, ventis patientibus, undas.
Nec non Hesperii lassatum fluctibus aequor
Ut videre duces, purumque insurgere caelo
Fracturum pelagus borean, solvere carinas,
Quas ventus doctaeque pari moderamine dextrae
Permixtas habuere diu; latumque per aequor,
Ut terrestre, coit consertis puppibus agmen.
Sed nox saeva modum venti velique tenorem
Eripuit nautis, excussitque ordine puppis.
Strymona sic gelidum bruma pellente relincunt
Poturae te, Nile, grues primoque volatu
Effingunt varias casu monstrante figuras;
Mox ubi percussit densas notus altior alas,

**697** quae V, quo AB, **698** hinc G, **699** essem $V_1$, **702** patentibus T, **703** hesperiis $AB_1R$, flatibus T, **705** borean UAR, boream VG, **708** consorti[s] A, terrestrae R, **710** puppis V, [que] T, **711** strymona – grues (712) l. Prisc. 475. 16 H, et 558. 26 H, stirmona T, **712** crues $A_1$, **714** tensas VMA, densas bRU.

naufragum servavit?" „Num favor fortunae exhaustus est antequam eo ad victoriam utare". Heins. p. 142 ad *summa belli* confert similia e Silio et Statio.

702 *Ponentibus* et *parentibus* Heinsius l.l. p. 142, qui si reliqua minus poetica essent, non offensus esset; iniuria *patientibus* nimis mite videbatur iuxta grandia illa verba reliqua.

704 „*Puro*que insurgere caelo | *straturum*". Bentl. cf. „albus notus"; I. 222 „fracti fluminis undae" et alia non sunt similia, in quibus *frangere* est *secare, dividere*, quod est diversum a verbo *sternere; frangere* est i. q. frangere impetum s. vires pelagi. Praeferrem *sternere*, sed optio non datur. De borea non adverso cf. supra 417.

706 *Ductae* Gronov. Obss. I. 10. Moderamen non est remigantium sed gubernatoris.

707 „*Egere* diu" Heinsius. Cf. VI. 494 „obstrictos habuere deos". H. Woronowicz „üb. den Gebrauch von habere c. part. perf. pass." Petersburg. 1881, Jahresbericht XXXII. 349. Mirum Heinsium in hoc et non in *permixtas* haesisse, i. q. ordinatas, composita[s].

708 Bentl.: „consertis *passibus* agmen". sed tum requiritur: „*latae*que per aequor" nempe naves, „ut terrestre coit cons. pass. agmen". In vulgata, quam tenui, *agmen* est navium: coit (perf.) agmen (navium) consertis puppibus, ut terrestre (agmen).

709 *Caeca* Schrad. collato v. 718, sed non attendens ad 720, unde apparet boream flasse usque ad ortum solis. Ad *saevus* i. q. infestus cf. supra 442, III. 127. In proximis „clavique modum velique tenorem" Withof. Modus venti ratio observandi venti. Simili libertate IX. 846 „nec quae mensura viarum | quisve modus norant".

714 „Densas alas" (frequentes, quasi consertas, stipatas volucres) dedi pro *tensas* quod plane inutile, nec verum, nam grues non tenent extentas alas sed perpetuo movent et remigant. Aliter de Statio Silv. IV. 3. 38: „non tensae volucrum per astra pennae" iudicandum. De confusione hac cf. ad I. 531. *Densas* habent editiones ante Aldum.

Confusos temere inmixtae glomerantur in orbis,
Et turbata perit dispersis littera pinnis.
Cum primum redeunte die violentior aer
Puppibus incubuit, Phoebeo concitus ortu,
Praetereunt frustra temptati littora Lissi
Nymphaeumque tenent. Nudas aquilonibus undas
Succedens boreae iam portum fecerat auster.
  Undique conlatis in robur Caesaris armis
Summa videns duri Magnus discrimina Martis
Iam castris instare suis, seponere tutum
Coniugii decrevit onus, Lesboque remota
Te procul a saevi strepitu, Cornelia, belli
Occulere. Heu quantum mentes dominatur in aequas
Iusta Venus! Dubium trepidumque ad proelia, Magne,
Te quoque fecit amor; quod nolles stare sub ictu
Fortunae, quo mundus erat Romanaque fata,
Coniunx sola fuit. Mentem iam verba paratam
Destituunt, blandaeque iuvat ventura trahentem

**716** l. Isidorus XII. 7. 14, Servius Aen. I. 398, littera U, pinnis A, **719** temptati littora U, temtati M, **720** nympeum m, **722** conlatis U, **723** saevi magnus VU, diri u, **724** deponere a, **725** remota VMRTA, remotam UG, **727** oculere R, **728** magni a, **731** parantem m, **732** iuvant GC, iuvat g *c. rell.*

717 sqq. *Auster* pro *aer* Schrad. Frustra haec cum Caesare conciliare (III. 26) student. Cf. supra 414. Secundum Lucanum navigant borea impellente, sed eo flante portum tenere non possunt Nymphaeum, apertum meridiem versus; igitur cum frustra laborassent, sub ortum nanciscuntur prosperum austrum. *Succumbens* (721) aliquando placuit Cortio, sine causa. Sed non concoquo: „undas portum fecerat", nam undae portus esse non possunt; *nuda* (720) dicuntur omnino ea, quae suo integumento cassa sunt, undae nullum habent; littora, terrae nudae, arboribus privatae sunt, *nuda* corpora non vestita sunt, et sic porro. *Undas* in fine versus corruptum. Substitutum puto pro *oras*; hoc solum aptum vocabulum: expositum boreae littus, cum aquilones cessissent austro iam pacatum.

724 *Deponere* Heinsius, ut plus semel Lucanus de *tuta* statione s. custodia. *Seponere* ad occultum respicit, cf. *occulere* 727. *Remota* (725) quod erat *Lesbos* eligebatur, melius quam *remotam*, probatum Grotio et nunc Hosio JJ. 1893 p. 345. Oudend. et Bentl. exempla afferunt, quibus non opus est.

729 *Quam* Heinsius, quo non opus; *quod* (= id „quapropter nolles, (hoc) erat uxor"). Eleganter idem 730 „mundus *erant* Romanaque fata". *Sub ictu* frequens Senecae, ut observat Hosius RM. 1893 p. 391.

731 *Parata* Cortius, melius certe quam *parantem* (sic mens parat verba!) quod Martini-Laguna commendat, sed *mens parata* i. q. consilium fixum; „verba destituunt mentem" magis e more poetarum de eo qui, quod aiunt, verba invenire non potest. „Ventura trahere" i. q. incumbentia differre. Insolens tamen. Res enim extrinsecus oblatas et extra potestatem nostram sitas non trahimus. Num *trahenti*? Mora trahebat (post se, adducebat) venturas calamitates, ut crepuscula noctem trahunt (Ovid.), alia. Hor. C. III. 5. 15: „exemplo trahenti (nach sich ziehen, nam sic legendum puto) perniciem veniens in aevum". Verg. G. IV. 392: „quae mox ventura trahantur" i. e. deinceps sequantur.

Indulgere morae, et tempus subducere fatis.
Nocte sub extrema, pulso torpore quietis,
Dum fovet amplexu gravidum Cornelia curis
Pectus et aversi petit oscula grata mariti,
Humentis mirata genas, percussaque caeco
Volnere, non audet flentem deprendere Magnum.
Ille gemens: „non nunc vita mihi dulcior, inquit,
Cum taedet vitae, laeto sed tempore, coniunx,
Venit maesta dies, et quam nimiumque parumque
Distulimus; iam totus adest in proelia Caesar.
Cedendum est bellis; quorum tibi tuta latebra
Lesbos erit. Desiste preces temptare, negavi
Iam mihi; non longos a me patiere recessus:
Praecipites aderunt casus, properante ruina
Summa cadunt. Satis est audisse pericula Magni,
Meque tuus decepit amor, civilia bella
Si spectare potes. Iam me, iam Marte parato,
Securos cepisse pudet cum coniuge somnos,
Eque tuo, miserum quatiunt cum classica mundum,
Surrexisse sinu. Vereor civilibus armis
Pompeium nullo tristem committere damno.

**733** [et] MTA, **738** dep̄hendere M, **739** non nunc vita VUMAg, non vita mihi nunc G, **740** quam g, sub $V_1$. taedit $M_1$, lecto A, leto a cum rell., **741** et quam — distulimus l. Prisc. II. 70. 2 et 76. 12 H, **742** iam — Caesar l. scholia det. Web. VI. 1, **747** audire a c, **748** nosque U (s. s.: me), **749** morte parata U, nam me *vulgo*, iam me MAT, **750** piget V, **751** quat. mis. (hoc ord.) OTR, quatient AM, quatiunt VTG, quaterent Ua, quatium R, **753** pompeio $M_1$.

733 *Et* in MAT omissum inter E et T.

739 Oudendorp. ordinem codicum durissimum iudicans dedit „vita non nunc" et sic vulgo; aliter iudicasset si *nunc* cum emphasi pronuntiasset. Vita nunc ei vilis.

741 „*Nimium* respectu rerum, *parum* respectu amoris". Weise. Cortius: *minimum* „ut *magis magisque* et simm." Itaque amplius differendum erat? Nimium distulerant et propterea nunc properandum; confligendi opportunitas iam transiit.

743 *Latebrae* Heinsius.

746 „Cum summa cadunt, celer est lapsus". Logicum momentum est in *prop. ruina.*

748 *Me tuus heu* Heins., *teque tuus* Schrad., Hosius. Sententia: „nimis te amavi, si crudelis es". „Amore tui deceptus sum, si proelia civilia potes spectare". Arcte hoc cohaeret cum superioribus: „tibi satis est audisse proelia, et odissem te, si desiderares adspectum".

749 Vulgo „*nam* me": „Equidem non tuam praesentiam bella gerens desidero. nam iam nunc pudet me te habuisse mecum". „Nam me = me quidem (ἐμὲ μὲν οὖν) cf. 612 et Cortius. Nimis placida et frigida ratio loquendi, quare emphaticum *iam* recepi: iam nunc, marte iam parato, pudet me, rell.

751 „Miserum qu." hoc ord. Grotius et secuti. *Quatient* idem, *quatiunt* Oudend., Bentl. De praesenti tempore loquitur: pudet me cepisse (nunc) et (nunc), cum mundus quatitur, surrexisse. Iam nunc peccavit ille.

753 *Multo* Burmannus, „sollicitum magna cura de uxore et distractum". Minus recte. Schol. in V: „vellem me laesum aliquo

Tutior interea populis, et tutior omni
Rege late, positamque procul fortuna mariti
Non tota te mole premat. Si numina nostras
Inpulerint acies, maneat pars optima nostri;
Sitque mihi, si fata premant victorque cruentus,
Quo fugisse velim". Vix tantum infirma dolorem
Cepit, et adtonito cessere e pectore sensus.
Tandem vix maestas potuit proferre querellas:
„Nil mihi de fatis thalami superisque relictum est,
Magne, queri; nostros non rumpit funus amores,
Nec diri fax summa rogi, sed sorte frequenti
Plebeiaque nimis careo dimissa marito.
Hostis ad adventum rumpamus foedera tedae,
Placemus socerum. Sic est tibi cognita, Magne,
Nostra fides? credisne aliquid mihi tutius esse,
Quam tibi? non olim casu pendemus ab uno?
Fulminibus me, saeve, iubes tantaeque ruinae
Absentem praestare caput? secura videtur
Sors tibi, cum facias etiamnunc vota, perisse?
Ut nolim servire malis, sed morte parata

**754** timor (s. s. ut) T, **755** positaque R, **756** tuta g, 756, 759, 757, 758 hoc ord. T, **757** optima magni Ac, **758** prement VU₁mG, premant U (corr.) MA, cruentis A, **759** velint AB, velim a c. rell.. **760** cesserunt pectore AG, **761** tandem ut VUM, vix VRmG, vox UMA, perferre UV₁MART, **763** amoris M₁, rumpet RM, **764** forte T, *frequenti* U, **765** plebīa (sic) U, demissa MAR, **769** no*n* M, non VUAB, nos T, **770** fluminibus M, **771** praebere Ma, **772** etiamnum M, etiamnunc m, mors g, **773** sorte G, morte g c. rell.

damno, ut sic tristis ad bella descenderem". Grotium sequitur in interpretatione Bentleius his verbis usus: „ut fortuna hominumque invidiam placem, hoc me infortunio macto, quod te caream".

757 *Maneas* Heinsius.

758 „Fata *sinant*" Bentl. nimirum quod *premat* legitur v. 756.

759 *Firma* Bentl.; melius vulgata cum proximis convenit.

761 *Loquellas* pro *querellas* e tribus deterioribus Bentl. coll. Aen. V. 843. Idem et Cortius *ut* omittunt. *Vix*, reiectum ab Oudendorpio iidem restituerunt. „*Vox* — potuit *perferre* q." Hosius.

764 „Nec *seri* fax" Heinsius. — Acerbe: non incuso deos, sed maritum, qui divortium meditatur. *Plebeius* i. q. vulgaris, nam plebs sane non saepius mittebat uxores quam nobilitas; *plebs* et pro populo et pro vulgo usurpatum Lucano. Sequentia usque ad *socerum* (767) habent non minus acerbam ironiam.

768 „Credisne", rell.] aliquid esse, quod mihi tutius sit quam tibi, i. e. in quo ego te diligens minus periculi incurram, quam tu. Oratio affectus plena, qua respondetur ad 754 „tutior omni | rege late". Olim = dudum, cf. Haskins ad II. 230, Senecae quoque usurpatum. *Non* pro *nonne.*

770 *Absentem* a te divolsam, cum quo ego sum unita, quo acerbior fit calamitas.

772 *Perisse* improprie ut: perii! i. q. desperasse. Cum tu etiam nunc vota facias, me iam despondisse. iam vota abiecisse tanquam re transacta. Melius fortasse Gronovius (ap. Cort.) *facias* de generali persona interpretatur: perisse aliquem dum vota faciat s. speret.

773 „*Superare* (= superesse) malis" Ben-

Te sequar ad manes, feriat dum maesta remotas
Fama procul terras, vivam tibi nempe superstes?
Adde, quod adsuescis fatis, tantumque dolorem
Crudelis me ferre doces. Ignosce fatenti:
Posse pati, timeo. Quodsi sunt vota, deisque
Audior, eventus rerum sciet ultima coniunx.
Sollicitam rupes, iam te victore, tenebunt;
Et puppim, quae fata feret tam laeta, timebo.
Nec solvent audita metus mihi prospera belli,
Cum vacuis proiecta locis a Caesare possim
Vel fugiente capi. Notescent littora clari
Nominis exilio, positaque ibi coniuge Magni,
Quis Mitylenaeas poterit nescire latebras?
Hoc precor extremum, si nil tibi victa relinquent
Tutius arma fuga, cum te commiseris undis,
Quolibet infaustam potius deflecte carinam,
Littoribus quaerere meis". Sic fata, relictis
Exiluit stratis amens, tormentaque nulla
Volt differre mora. Non maesti pectora Magni
Sustinet amplexu dulci, non colla tenere,
Extremusque perit tam longi fructus amoris.

**774** meta $U_1$. **776** adde — fatis l. Prisc. 394. 24 H, suescis (ad s. s. m. 2) M, suescis (ad similiter s. s. m. 1) A, assuescis U. **778** pati meo T, **779** eventus — coniunx l. Acro epod. 1. 15, ventus $AB_1$, *sciet* M, belli Acro. sic et R, **780** me (pro: iam) b, **781** puppem V, fata in U s. s., ferent a. ferat AB, iam U, *ta*m M, tenebo $M_1$, **782** bella OR, belli a, **784** notescent — exilio (786) l. Prisc. 398. 1 H, **785** hic coniuge VU, ibi M, exi*lio* M, positaque A (op s. s.), **786** mitileneas M, miteleneas AR, mitilenas T, **791** exiluit UM, **792** mora in A s. s., **793** teneri $M_1AB_1$, **794** fluctus $A_1$, iam g.

tleius, peius quam vulgata: non vult ancilla esse adversae fortunae nec servili modo plagas eius excipere. *Malis* neutrum est. Sapiens habet perfugium rei adversae in morte: mortem in promptu habens maritum secutura erat. „Tamen, inquit, tam diu saltem [certe] superero, donec nuntius cladis ad me pervenerit". GROTIUS. Apodosis incipit a *feriat*, vel potius „feriat — terras" praeparant apodosin. *Nempe* est alienam opinionem h. l. Pompeii tanquam absurdam reiicientis.

776 *Adsuesco* Guyetus sine causa. Transitiva composita a *suesco* minime dubia sunt. Verg. A. VI. 832, Hor. Sat. II. 2. 109, I. 4. 105, Prisc. supra laud. Plura Oudend. et Burm. „*Adsuesci* fatis" inepte vir doctus ap. Cort.[1], Gronovius (?) ap. Cort.[2] „Facis, inquit, ut mihi familiaris sit tui interitus cogitatio, nec terribilis tua mors", *posse pati timeo* „metuo ne post tuum obitum possim durare s. vivere. Ovid. Met. X. 25 Orpheus: „posse pati (mortua Eurydica) volui". Cf. Bentl. et supra ad 313.

778 „Si rata vota" proponit Burm., recte ad sententiam, sed non probabiliter. *Vota* schol. B explicat „id quod opto". Probabilius: „MEA (post TIMEO) si sunt vota deisque | audior". „*Mea* sunt vota" i. q. mihi contingunt, conceduntur.

782 *Belli* iam editio princ., praeter a tantum deteriores.

787 *Relinquunt* c. aliquot deter. Cortius.

794 „Extremus *fructus* tam longi amoris" *fructus* in his verbale est: non fruebantur alter altero, extremus congressus corruptus est.

Praecipitantque suos luctus, [neuterque recedens
Sustinuit dixisse vale] [vitamque per omnem
Nulla fuit tam maesta dies. Nam cetera damna
Durata iam mente malis firmaque tulerunt.]
Labitur infelix, manibusque excepta suorum
Fertur ad aequoreas, ac se prosternit, harenas,
Littoraque ipsa tenet, tandemque inlata carinae est.
Non sic infelix patriam portusque reliquit
Hesperios, saevi premerent cum Caesaris arma.
Fida comes Magni vadis duce sola relicto,
Pompeiumque fugis! Quae nox tibi proxima venit,
Insomnis! Viduo tum primum frigida lecto
Atque insueta quies uni, nudumque marito
Non haerente latus. Somno quam saepe gravata
Deceptis vacuum manibus complexa cubile
Atque oblita fugae quaesisti nocte maritum!
Nam, flamma quamvis tactas urente medullas,

**795** praecipitatque R, neuterque recedens – vale (796) u in marg., m a m. 2, ab 2 m; om. UMABE, **796** suo loco et iterum in fine pag. R, **797, 798** i. Prisc. 397. 16 H. Adsunt in codd., **798** firmataque g, **800** l. Aldhelmus p. 238. 18 G, ac se proiecit in undas Aldh., **801** carina est UA, **802** relinquit A, **803** tremerent g, fugerent g (2 *variae l.*), **804** vadis G, vadit g c. rell., **805** fugis G, fugit g c. rell., tibi UMG, sibi VgA, **806** dum U. **808** gravata ē V, qū m, **809** cubile est O vulgo, **810** om. M, quaesivit O vulgo, **811** tectas VUTGmABE, tacitas uM (dub. an tactas), urgente U Schol. Voss., tacta surgente R, quamvis flamma. hoc ord. AG.

795 *Praecipitant* praecipiunt. maturant cf. VII. 51, II. 105. — V. 795b 796a propter codd. suspecti sunt. 797b et 798 (*nam — tulerunt*) propter se ipsos. Lucanus potest tumere sed non tam frigide docere. Nec *dura* mente Cornelia reliqua tulit. Nec longa vita, qua testimonia suae „duritiae" darent, manebat eos. Contra verba: „neuterque recedens | sustinuit dixisse vale" per se non sunt Lucano indigna. Suspecti mihi sunt versus omnes 795—798. Locum lacerum in libro poetae relictum duae manus imperitae suppleverunt, quarum alteri successit fraus. Nam fidem apud librarios invenit.

799 „Labitur *exanimis*". Bentl. quod v. 802 *infelix* eadem versus sede recurrit.

800 Ad ordinem verborum insolentem cf. III. 678, VIII. 343, Catullus 66. 18. *Hic se* Heinsius.

805 *Sibi* soloecum non tenuissent multi editores, nisi *tibi* alias mutationes traxisset; sed in *tibi*, bonorum cod. lectione, evasit feliciter indicium verae lectionis, quam recipere ausus sum, a Bentleio commendatam. Vulgo erat 804 *vadit*, 805 *fugit*, *sibi*, 809 *est*, 810 *quaesivit*. In his nulla maior mutatio est, nisi *quaesisti*, sed exstitisse puto ex *quaesivisti*, librariis notiore forma. Atque haec omnia suspensa sunt ex uno clavo (*tibi*) et grata erunt sensus poetici non expertibus. — „Quae nox *ibi*" Dorvillius (in Lesbo). V. 806 *insomni* Heinsius.

809 *Vacuo cubili* Burm. Omisi *est*, quo retento *atque* friget.

811 *Tacitas* probat Heinsius, Advers. p. 63, Hosius J. J., 1893 p. 345. *Tectas* Gron. coll. v. 255 „pectore tecto". *Tactas* defendi Mnem. XIX p. 28 iungens: „quamvis (quantumvis) tactas." Remotis locis ubi *pectus* cum *tacitus* iungitur, qui nihil probant, restant Prudentius c. Symmachum I. 538 et Petronius 119. 54: „tabes tacitis concepta medullis". Est hoc aptum de clam aut sensim prorepente amore et relinquendum Petronio cum ipsius „curis latrantibus" (v. 55, ego mallem *lacerantibus*); de amore coniugali et diu confirmato h. l. non aptum videtur. Ante Oudend. edebatur *urgente*. Multa exempla *urendi* habet Heins. Ov.


Non iuvat in toto corpus iactare cubili,
Servatur pars ima tori. Caruisse timebat
Pompeio; sed non superi tam laeta parabant.
Instabat, miserae Magnum quae redderet hora.

**813** illa (pro *ima*) O vulgo, **815** restabat c.

Am. I. 2. 17. *Urgere* habet molesti adiunctam notionem cf. Tib. II. 1. 79: „ah miseri. quos hic graviter deus urget! at ille | felix cui placidus leniter afflat amor".

813 „Retinet sibi imam partem, reliquam tanquam iamiam redituro destinabat coniugi". Vulgatum *ille* nemo explicavit; *ima* proposuit Burmannus, *una* Schraderus. receptum neutrum est. *Illis* et *imis* confusa cf. Heins. ad Metam. IX. 663.

814 *Tam laeta*] ut iam tum in perpetuum careret viro. Sed amariora ei dii parabant, ut victum reciperet virum. Melius fuisset mortuum.


N ec quamuis uiridi uiceret robore lentas
I gnis agit uires· teda sed raptus ab omni
C onsequitur nigri spatiosa uolumina fumi.
N et solum siluas sed saxa ingentia soluit.
E t crude putri fluxerunt puluere cautes;
P rocubuit maiorque iacens apparuit agger;
S pes uictis telluris abit. placuitque profundo
F ortunam temptare mari; non robore picto
O rnatas decuit fulgens tutela carinas.
S ed rudis. et qualis procumbit montibus arbor
C onseritur stabilis naualibus area bellis;
E t iam turrigeram bruti comitata carinam·

Codex Vossianus primus

Phars. III. 490—514.

Non iuvat in toto corpus iactare cubili,
Servatur pars ima tori. Caruisse timebat
Pompeio; sed non superi tam laeta parabant.
Instabat, miserae Magnum quae redderet hora.

**813** illa (pro *ima*) O vulgo, **815** restabat c.

Am. I. 2. 17. *Urgere* habet molesti adiunctam notionem cf. Tib. II. 1. 79: „ah miseri, quos hic graviter deus urget! at ille | felix cui placidus leniter afflat amor".


813 „Retinet sibi imam partem, reliquam tanquam iamiam redituro destinabat coniugi". Vulgatum *ille* nemo explicavit; *ima* proposuit Burmannus, *una* Schraderus. receptum neutrum est. *Illis* et *imis* confusa cf. Heins. ad Metam. IX. 663.

814 *Tam laeta*] ut iam tum in perpetuum careret viro. Sed amariora ei dii parabant, ut victum reciperet virum. Melius fuisset mortuum.

Moenia. nunc aries suspenso fortior ictu
Incussus. densi compagem soluere muri
Temptat et impositis unum subducere saxis;
Sed super e flammis. et magne fragmine molis
Et sudibus crebris. et adusti roboris ictu
Percusse cedunt crates. frustraque labore
Exhausto. fessus repetit tentoria miles;
Summa fuit grais starent ut moenia uoti.
Vltro acies inferre parant; armisque coruscas
Nocturni texere faces. audaxque iuuentus
Erupit; non hasta uiris. non letifer arcus.
Telum flamma fuit. rapiensque incendia uentus.
Per romana tulit celeri munimina cursu;
Nec quamuis uiridi luctetur robore lentas
Ignis agit uires. teda sed raptus ab omni
Consequitur nigri spatiosa uolumina fumi.
Nec solum siluas sed saxa ingentia soluit.
Et crude putri fluxerunt puluere cautes;
Procubuit maiorque iacens apparuit agger;
Spes uictis telluris abit. placuitque profundo
Fortunam temptare mari; non robore picto
Ornatas decuit fulgens tutela carinas.
Sed rudis. et qualis procumbit montibus arbor
Conseritur stabilis naualibus area bellis;
Et iam turrigeram bruti comitata carinam.

Codex Vossianus primus

Phars. III. 490—514.




Codex Montepessulanus

Phars. IV 780–817.

Membrorum que uidet lapsum. & ferientia tra̅

Corpora conpressum turba stetit omne cadauer

Excipit inuisas dire carthaginis umbras.

Inferias fortuna nouas feralis cruentus

hannibal. & poenicu̅ dira piacula manes. 

Romanam superi libi̇ca tellure ruinam — na̅

Pompeio prodesse nefas. uotisq; senatus.

Africanos potius uincat. sibi curio fusas

Ut uidit campis acies & cernere tantas

Permisit clades conpressus sanguine puluis.

Non tulit adflictis animam p̲ducere rebus

Aut sperare fugam. ceciditq; in strage suoru̅

Impiger adl(a)etum & fortis uirtute coacta

Quid nunc rostra tibi prosunt turbata foru̅q;

Unde tribunicia plebeius signifer arce

Armadabas populis. quid prodita iura senatus — i. et p dicta iura

Et generátq; socer bello concurrere iussi

Ante iaces quam dira duces parsalia confert.

Spectandumq; tibi bellum ciuile negatu̅ est.

Has urbi miser(a)e u̅ro desanguine poenas — i. et urbi

Ferre datis. luitis iugulo sic arma potentes.

Felix roma quidem ciues q; habitura beatos.

Si libertatis superis tam cura placeret

Quam uindicta placet libicas ennobile corpus

Pascit aues nullo contectus curio busto.

At tibi nos. quando non proderit ista silere

A quibus omne aeui senium sua fama repellit

Digna damus iuuenis merit(a)e p̄conia uit(a)e,

Codex Ashburnhamensis

Phars. IV. 786—813.